UNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELICO-THOMISTICA,

Veterum, Recentiumque, præsertim Maignani, Cartesii, Gassendi, &c. placita non segniter excutiens.

AUTHORE

P. F. JOANNE SYRI

UVADANO

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

Utriusque Lombardiæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Alumno.

TOMUS TERTIUS

Physicam particularem, nimirum de Cœlo, de Generatione, & Corruptione, de Meteoris, & de Anima complectens.



VENETIIS, MDCCXIX.

Sumptibus Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

INDEX

Syntagmatum, Librorum, Quæstionum, Articulorum, Conclusionum, & §§.

§. 2. Con-

LIBER SECUNDUS

Syntagma. De Meteoris, ideft mixtis imperfectis.


Ad Libros de Anima Prolepsis.

Parvus Liber primus de Anima.

Arti-

LIBER TERTIUS. De Anima.

§. 3. Sol-



214

	ERRATA.	CORRIGE.
Fol. 2. col. 1.	Forma quævis eò ipso	Forma quævis incorporea eò
Fol. 7. col. 2.	essentialiter ordinatur	ordinatum
Fol. 9. col. 1.	Angelus, & homines	Angelos
Fol. 13. col. 1.	aliquam ex indispositione	aliqua
Fol. 14. col. 2.	unius duntaxat	unus
Fol. 15. col. 1.	quæ ratione	qua
Fol. 17. col. 2.	effectum diversitas	effectuum
Fol. 18. col. 2. §. 3.	mobiliori	nobiliori
Ibidem §. 4.	continui	contigui
Fol. 20. col. 2.	continere milliaria duo	continentes
Fol. 21. col. 1.	jugitur	jugiter
Fol. 28. col. 1.	reveretur	veretur
Fol. 30. col. 1.	à gravia	ac gravia
Ibidem	ergo movetur	moventur
Fol. 37. col. 2.	prædicere	prædixere
Fol. 38. col. 1.	pedentem	pendentem
Fol. 41. col. 1.	cùm tunc actio alterativa	cùm tùm
Ibidem col. 2.	in animalis generis	genesi
Fol. 42. col. 1.	utrumque	utcunque
Fol. 43. col. 2.	ceu fortiori	ceu fortior
Fol. 48. col. 1.	oppositionem	oppositione
Fol. 49. col. 1.	animalis genesis	genesi
Fol. 53. col. 2. num. 3.	in illa tertia actione	in illa prima
Fol. 54. col. 1.	carnis, aut bolas	carnes
Ibidem col. 2.	Patri magis	matri magis
Fol. 56. col. 1.	ad modum requisitas	ad motum
Fol. 59. col. 2.	studium comparatum	studio
Fol. 67. col. 2.	omnes quantitates	qualitates
Fol. 74. col. 2.	ad perfectiorem, & exterfiorem	intensiorem
Ibidem col. 1.	duos manus	duas
Fol. 75. col. 2.	per modum localem	per motum
Fol. 77. col. 1.	seu intransmutabiles	ceu
Fol. 78. col. 1.	ut tum	& tunc
Ibidem col. 2.	activa effectivam	effectiva
Ibidem	secundum tertium humiditas	secundum frigus, tertium
Fol. 86. col. 1.	sufficeret	sufficerent
Ibidem sub finem	quod convertitur non destruitur	convertitur destruitur
Fol. 89. col. 2.	lapus	Lector
Fol. 115. col. 2.	exaltationes collium	vilium
Fol. 118. col. 1.	fulminis indole germano	germani
Fol. 119. col. 1.	trahere solet vulgus	vulgum
Ibidem col. 2.	eam habeat	cùm habeat
Fol. 120.	DRACO VALANS	VOLANS
Ibidem in fine	agimus	egimus
Fol. 121. col. 1.	ignis pingitur	Iris
Fol. 123. col. 1.	contra hunc dicendum	dicendi modum
Ibidem	posse	possint
Fol. 133. col. 1.	de ventibus	de ventis
Fol. 134. col. 1. in fine	esse habitum	halitum
Fol. 138. col. 1.	non currit	concurrit
Fol. 142. col. 1.	adeo	ideo
Ibidem col. 2.	etiam non	etiam nunc
Fol. 149. col. 1.	multum	nullum
Fol. 153. col. 1.	Deo hoc	De hoc
Fol. 161. col. 2.	exercent oppositionem	non exercent
Fol. 165. col. 1.	imperfectissima est	perfectissima est
Fol. 168. col. 2.	constituendo ipsum gradum	gratum
Fol. 198. col 2.	immateriale	materiale
Fol. 213. col. 1.	licèt actum non sit materia	actu non sit in materia
Fol. 218. col. 2.	etiam effectum	etiam producens effectum
Fol. 219. col. 2.	& alium moralem	alium rationalem
Fol. 222. col. 2.	vel nimirum	vel nimium





SYNTAGMA SUPER LIBROS DE CŒLO.

QUàm operosa, quàm impervia nobis fiat Cœli notio deprehendes ex argumento Salomonis Sap 9. *Difficilè æstimamus, quæ in terris sunt, & quæ in prospectu nostro sunt invenimus cum labore; quæ autem in Cœlis sunt quis investigabit?* Nihilominùs quantum permittitur Cœli conditionem rimari fas est postquam per octo Physicorum libros ea extricavimus, quæ de motu in communi, & ad ipsum attinentia à Philosophis agi, agitarique consuevere. Quandoquidem, cùm scientia illa, quæ de genere aliquo persolvit, de speciebus quoque ejus differere habeat, ne dicatur, Scientiam, quæ de animali agit aliam esse ab ea, quæ de Homine pertractat; hinc nos ad motus species contemplandas deflectere operæ pretium est. Et primò de motu locali, qui luculentiùs enitescit, quia iste præ cæteris universalis est, & ab universalioribus Aristotelica methodus consultò adoriri nos monet.

Comprehenditur autem hoc sub tractatu Mundus totus, quia totus motu circulari primi mobilis ambitur, Empyreo dempto Cœlo; imò & istud remotè saltem esse localiter mobile vidimus 2. Phys. in Præloquiis, vestigando quibus conveniat naturæ ratio. In sententia etiam eorum, qui neque remotè, seu remotissimè profitentur, esse mobile, adhuc isto continetur sub tractatu; quia si ullus ei motus competere posset, nullus ei aptior locali foret.

Qua ex re habes, hujusce tractatus objectum adæquatum esse ens mobile ad *Ubi*, idest mobile motu locali. De quo nonnulla apud Arnù videre poteris.

Tres propterea distinguendi hic forent libri. Primus de Mundo in communi. Secundus de Mundo cœlesti, sive Mundo superiori. Tertius de Mundo elementari. Verùm quia de Mundo in communi potissima dedimus 8. Phys. solumque minusculæ quædam superessent controversiunculæ, utputa num Mundus sit perfectus; qua anni tempestate sit conditus num Vere, vel Autumno, &c. Quæ videri apud Cavinum possunt; sicut etiam de Mundi unitate & perfectione videri potest Guerinois hic q. 1. art. 5. Pariter quia de elementis agemus lib. 2. de Gener. & Corrupt. Idcircò unicus nos manet liber de Cœlo.

LIBER UNICUS
DE COELO.

CŒli definitio hic minimè traditur, quia circa ejus quidditatem variæ extant lites infra dirimendæ. Nomine tamen illius venit corpus illud superius ad ista cuncta sublunaria eminens, eaque ambiens. Quandoquidem à cœlando Cœlum dicitur, eo quòd suo veluti amplissimo in sinu contineat, obducat, ac cœlet, sive quasi abscondat. Ea ex re Seneca in exceptis consolaturus quendam, ut post mortem insepultum maneret damnatum, *Cælo*, inquit, *tegitur*, *qui non habet Urnam*.

Istud autem Cœlum extare quotidiano fit palam experimento, Tum ejus ex influxu; tum ex eo, quòd videt quisque visu non inops, continuò nobis succedere dies, ac noctes.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura Cœli.

VEterum missis erroribus, quorum nonnulli putavere, Cœlum esse ex quatuor elementis compositum; alii unum ex elementis, quidam nimirum esse amplissimum aerem; quidam ignem; quidam verò esse compositum ex aere, & igne; quidam cum Thimæo, & Platone esse floribus fabrefactum.

His inquam missis placitis, quorum falsitas perspicua est; & quò ad elementa dicetur art. 3. §. 1. sex dubitationes per sex articulos resolvendæ se exhibent.

ARTICULUS PRIMUS,

Sit ne Cœlum Compositum ex materia, & forma.

§. I.

1. DUbitatio hæc inter eos duntaxat locum habet, qui Atomistarum, Chymicorumque principia exe- crantes, materiam & formam absolutè, & universaliter ultrò farentur. Et pro resolutione

Suppono, Cœlum esse corporeum. Motus siquidem localis puro spiritui competere nequaquam potest, cùm motus quilibet localis sit essentialiter à circumscriptivo loco dependens, à quo independens penitus est spiritus. Eò vel maximè quòd corporeis oculis naturaliter cernitur. Dubium itaque duntaxat prout in titulo emergit.

2. Annuunt Philosophi omnes adversus Averroem, nonnullosque alios veteres apud Ruvium, & Arnù, quos unicè sequitur Pontius, secutus fortasse Scotum; qui dixisse fertur, secundùm Philosophos à Cœlis materiam esse relegandam, & secundùm Theologos adstruendam.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. ANnuit Arist. hic lib. 1. de Cœlo cap. 9. tex. 95. ubi *Cœlum autem*, inquit, *est quidem eorum, quæ singularia sunt, & eorum, quæ ex materia sunt.* Annuit quoque S. Th. ibidem lect. 6. qui videri potest etiam p. p. q. 66 art. 2. & 3.

Prob. Præsupponendo, Cœlum non esse puram materiam (ut apud omnes est in confesso) cùm saltem naturaliter ista nequeat esse sine forma. Eò vel maximè quòd materia se sola nullam habet operationem exercere. Forma Cœli est forma materialis; sed omnis forma materialis dependet essentialiter à materia: ergo essentialiter ex materia, & forma Cœlum componitur. Min. videtur constans, Tum quia (ut 1. Phys. diximus) forma materialis educitur de potentia materiæ. Tum quia non dicitur materialis, nisi per ordinem ad materiam. Maj prob. Forma Cœli est forma corporea; sed quælibet forma corporea est materialis: ergo &c. Prob min. Forma, quæ in suo esse non excedit formam materialem, materialis est; sed nulla forma corporea excedit in suo esse formam materialem: ergo &c. Prob. min. Forma, quæ in operari non excedit formam materialem, nec in esse eam excedit; sed nulla forma corporea excedit in operari formam materialem: ergo &c. Maj. est certa, quia operari sequitur ad esse. Min. prob. Operationes cujuslibet formæ corporeæ sunt corporales; sed corporales actiones non excedunt operationes formæ corporeæ, loquendo saltem de generico excessu: ergo &c. Maj. est manifesta, cùm utriusque operationes dependenter à corpore fiant.

Dixi loquendo de generico excessu, quia loquendo de excessu specificæ perfectionis, exploratum est, formam Cœlorum excedere sublunarium formas. Idcircò urgeo sic. Quæcunque spirituales actiones vocantur immateriales: ergo ab opposito operationes omnes corporeæ erunt materiales, proindeque propriæ formæ materialis. Præterea forma omnis spiritualis est immaterialis: ergo ab opposito forma omnis corporea erit materialis.

Dices, formam Cœli esse quidem corpoream, sed completam, ad eum modum, quo in spiritualibus extant formæ completæ, ut Angeli, & incompleta, ut Anima nostra.

Contra tamen est, quia forma quæcunque eò ipso, quòd corporea est, qualitercunque corporea sit, debet esse materialis; sicut è contra forma quævis, eò ipso, quòd est talis, est immaterialis; sed unaquæque forma materialis, cùm talis dicatur per ordinem ad materiam, est essentialiter actus materiæ; ergo est quid incompletum.

Ad id verò, quòd dicitur de spiritualibus, assignatur discrimen, quia formæ spirituales sunt superioris ordinis, adeoque habent majorem simplicitatem, sicque possunt extare formæ spirituales tum completæ, tum incompletæ. Quod non habet locum in formis corporeis, quæ sunt inferioris ordinis, secùs sequeretur, quòd quemadmodum forma spiritualis incompleta, qualis est Anima nostra potest naturaliter esse per se existens; ita id posset forma incompleta corporea. Quod dixerit nemo.

Conf. Si forma Cœli esset forma completa per se subsistens, ab omni materia segregata, sequeretur, quòd esset forma perfectissima: ergo perfectissimas haberet operationes, quæ sunt intelligere, & velle, adeoque capax foret beatitudinis. Prima consequentia est exacta, Tum quia operari sequitur ad esse. Tum quia deo Theologi cum D. Th. p. p. q. 14 art. 1. probant, Deum esse summè intellectivum, quia est summè immaterialis.

4. Prob. 2. Conclusio. Quicquid est sensibile habet materiam; sed Cœlum est sensibile: ergo habet materiam simul, & formam, non verò est sola forma. Min. est omni non cæco perspicua, cùm Cœlum, ceu lucidum, sit visibile, & oculis cernatur. Maj. verò est Aristotelis hic 1. de Cœlo cap. 9. tex. 92. & ultimis suadetur. Siquidem omne, quod est infra sphæram objecti potentiæ materialis est materiale; sed quodcunque sensibile cadit sub objecto potentiæ materialis, idest existentis in materia: ergo &c. Maj. iterum est evidens, quia objectum, & potentia commensurari invicem debent.

Conf. Quantitas consequitur ad materiæ substantiam, cùm sit accidens maximè potentiale; sed Cœlum habet quantitatem: ergo habet materiam.

Dices. Non esse necessè, quòd omne sensibile, vel quantum habeat materiam. Quandoquidem si per possibile, vel impossibile formam aliquam materialem absque materia conservaret Deus, eum ad modum, quo in Eucharistia accidentia sine subjecto conservat illa sensibilis foret, & quanta, quemadmodum & accidentia Eucharistica hoc obtinent.

Contra. Etenim (quicquid sit num conservari forma sine materia queat, de quo egimus 1 Phys. quæst. 1. art. 4.) adhuc tamen forma illa haberet materiam radicaliter, & exigitivè. At Cœli forma si foret sine materia, nec radicaliter istam haberet, Tum quia modò est in suo esse naturali, Tum quia (ut Adversarius obtestatur) esset forma completa.

§. III.

Obversantium argumenta dissolvuntur.

5. ARg. 1. Cœlum importat solam formam: ergo non est compositum ex materia, & forma. Prob. ant. Cœlum est quid simplex; sed si ultra formam importaret etiam materiam esset compositum: ergo &c. Prob. maj Siquidem non est mixtum: ergo &c.

Resp nego ant. Ad prob. dist. maj. est quid simplex per exclusionem compositionis ex contrariis elementis, concedo, per exclusionem compositionis ex materia, & forma, nego.

Contra. Cœli sunt corpora simplicia magis, quàm elementa; sed non sic essent, nisi excluderent compositionem etiam ex materia, & forma: ergo &c. Min. patescit, quia elementa admittunt compositionem duntaxat ex materia, & forma. Maj prob. siquidem quò aliquid est perfectius est simplicius, idcircò Deus, qui perfectissimus est, simplicissimus quoque est, omnis compositionis expers; sed corpora Cœlestia sunt Elementis perfectiora: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob dist ant. passivè, concedo, activè, nego. Elementa namque etiam aliorum, nimirum mixtorum, compositionem ingrediuntur. Præterea major perfectio salvatur, quia Cœlorum compositio, ceu indissolubilis, perfectior est, eorum attenta incorruptibilitate, de qua art. sequenti. Adde, quòd licèt inter ea, quæ sunt diversi generis, id, quod est perfectius debeat esse simplicius, qua ratione Deus est simplicissimus omnium, & Angeli sunt Homine perfectiores: secùs ea, quæ ejusdem sunt generis. Palam namque est, quòd Homo perfectior est Brutis, & tamen non est illis simplicior. Cœlum autem, & elementa sunt ejusdem generis saltem logici, quia univocè in ratione corporis conveniunt.

Contra. Si per impossibile elementa non componerent mixta, adhuc essent imperfectiora Cœlis; ergo & tali in hypothesi Cœli essent simpliciores: ergo & compositionem ex materia, & forma Cœli excludunt. Maj. non est cur negetur. Eò vel maximè, quòd & tali in hypothesi elementa degerent in inferiori loco. Ut autem dicetur infra in

quæ-

quæstiuncula ponenda sub finem hujus quæstionis, corpus quò nobilius est, nobiliorem sibi vendicat locum.

Resp. permisso ant. & primo consequenti nego secundam consequentiam. Etiam enim tunc elementa quamquam non actu, benè tamen aptitudinaliter mixta componerent. Prætcrea elementa saltem secundùm partes subsunt corruptioni, proindeque imperfectior eorum extat compositio.

6. Arg 2. Ubi locum non habet transmutatio, motivum non adest dandi materiæ locum; sed in Cœlis locum habet transmutatio nulla: ergo &c. Prob. maj. Substantiva transmutatio in sublunaribus, est motivum eis adscribendi materiam, juxta dicta s. Phys. q. 2. in prælóquio: ergo è contra &c.

Resp. vel nego, vel dist. maj. non adest motivum dandi locum materiæ transmutabili de una forma ad aliam, concedo, intransmutabili, nego maj. & concessa min. dist. consequens proportionali modo.

Contra. Ideo nos loco citato probavimus, extare materiam primam, quia experimento deprehendimus transmutationem substantivam; sed ibi loquebamur de materia in communi: ergo ubi non extat substantialis transmutatio, nulla prorsus materia extat. Prob min. Ibi agebatur de materia ab Arist. definita; sed Arist. illa definitione definit materiam in communi: ergo &c.

Si dicas ex Complut. nos equidem probasse, quòd extet in sublunaribus materia ex illa substantiva mutatione; tamen illam non esse unicam rationem, sed plures alias esse, quas retroacto § 2. adduximus.

Contra est, quoniam ratiocinatio illa debet esse idonea: ergo cùm aliàs probare debeat de materia quacunque, & in quocunque, quia probat de materia in communi, ut ostensum est, jam &c.

Resp. bene ibi. Ad oppugn. nego suppositum consequentis. Ad annexam prob. dico, quòd equidem sermo erat de materia à Stagirita definita, at non ea tota in universalitate, in qua ab eo definita fuit. Nostrum quandoquidem intentum erat probare, quòd aliquid definitum ea definitione extet, proindeque materia aliqua, non verò omnem probare materiam.

7. Arg. 3. Cui non competit ratio passivi, nec materia competere potest; sed passivi rationem Cœlum non obtinet: ergo &c. Maj. ignoratur à nemine, à quo non ignoretur, quòd materia prima est passiva potentia. Min. prob. Eatenus aliquod patitur, quatenus recipit; sed Cœlum nihil recipit: ergo &c. Prob. min. Cœlum agit ut universalissimum agens hæc in inferiora, nihil in se recipiendo: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob dist. min. nihil recipit ab inferioribus, concedo, à superiori movente, nego. Recipit siquidem ab intelligentia localem motum, & etiam qualitates, per quas in sublunaria influit.

Dices. Cœlum si capax foret à superiori quidpiam recipiendi esset capax alterationis, quemadmodum sunt hæc inferiora, quæ recipiunt à superioribus, nimirum à Cœlis; sed hoc art. sequenti execrabimur: ergo &c.

Resp. maj. fore veram, si reciperet motum alterationis. At localem duntaxat recipit motum. Et quamquam alterativas etiam recipiat virtutes, per quas sublunaria alterare valet; eas tamen non ut alterativas suscipit, sed ut constitutivas sui ipsius in ratione instrumenti alterativi, & moveat is hæc inferiora, quia qualitas illa ordinatur duntaxat ad sublunaria alteranda, licèt mediantibus Cœlis, non verò ad alterandos Cœlos; eò vel maximè, quòd alterationis Cœli capaces non sunt. De quo diximus 7. Phys. in quæstiuncula posita post articulum, & appendicem quæstionis primæ num. 4.

8. Objici nobis posset authoritas Arist. qui 9. Metaphys. tex. 17. dicit, potentiam ad esse substantiale (quæ reipsa est materia) non inveniri in corporibus æternis. Verùm glossema in promptu est; quoniam denegat materiam ejusdem rationis cum illa, quæ est in sublunaribus, quæ nimirum sit transmutabilis de una ad aliam formam, seu (ut ipsemet ibi explicatè loquitur) negat potentiam contradictionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Cœlum sit ab intrinseco, & essentialiter incorruptibile?

§. I.

1. PRæter morem duas ultimas in titulo particulas apposui, nimirum ly *ab intrinseco, & essentialiter.* Et hoc ideo, quia inter eos, qui ponunt Cœlum esse corruptibile, videtur esse dissonantia aliqua. Nonnemo siquidem dicit, Cœlum, non tantùm de possibili, verùm etiam reapse esse corruptioni obnoxium. Quod variis experimentis, & eventibus probare conantur. Nonnulli verò dicunt, saltem suapte natura Cœlo non repugnare corruptionem, esse verò incorruptibile ab extrinseco ex Dei voluntate. Secuti sunt hi Platonem, qui (ut fert S. Th p. p. q. 66. art. 2.) in hæc erupit verba: *natura vestra estis dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia, quia voluntas mea major est nexu vestro.*

Universi autem Thomistæ profitentur, Cœlum esse incorruptibile ab intrinseco. Thomistis adhærent Conimbricenses, cum non paucis aliis Exteris. Favent SS. PP. ut D Dionysius Areopagita, Greg. Nissenus, Aug. Gregorius, & B. Alb. M. videndi apud Arnù. Attamen sentire videntur, quòd sit incorruptibile, ab intrinseco quidem, sed duntaxat naturaliter, supernaturaliter verò corrumpi posse, ut loquitur Goudin cum aliis. Mihi tamen dicendum videtur esse essentialiter incorruptibile, ita quòd corrumpi nec supernaturaliter queat, nec nisi per annihilationem desinere queat. Ita opinari videntur Compl. qui hic ad ult. arg. varias producens mutationes ut in Cœlis visas, quamquam ut probabilem habeant solutionem, dicentem supernaturaliter factas fuisse, probabilius tamen ducunt, nullam ibi intervenisse corruptionem. Quod signum est, eos probabiliùs sentire, nec supernaturaliter Cœlum esse corruptibile.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

COnsentit Arist. hic lib 1. cap. 3. & 8 ac D. Th. ibi lect. 2. & 3. sicut etiam loco nuper citato ex p. p. &

2. Prob. 1. ratiocinio D. Th. locis citatis. Quod caret intrinseco principio corruptionis est incorruptibile ab intrinseco; sed hujusmodi est Cœlum: ergo Cœlum est ab intrinseco incorruptibile. Maj. enitescit. Quemadmodum namque illud dicitur ab intrinseco corruptibile, quod intrinsecum habet corruptionis principium, ita è contra &c. Min. Prob. Corruptionis principium sunt quatuor qualitates contrariæ, quæ continuum propter conflictum, quem habent inter se, totius unionem dissolvunt, undè vulgatum est in Peripatu quod, *omne compositum ex quatuor qualitatibus contrariis est corruptibile*; quicquid sit de Atomistis, qui si qualitates execrantur, omnem quoque corruptionem substantivam in universum respuunt; sed Cœlum caret illis: ergo &c. Prob. min. Primæ qualitates sunt propriæ elementorum illorum à natura dimanantes; sed Cœlum est naturæ diversæ ab elementis, ut art. sequenti patescet: ergo &c.

Ea ex re dicam lib. 2. de Anima q. 5. quæstiuncula 1. semiq. 3. quæsito 3. quod in Cœlo nec secundæ qualitates locum habent; quia istæ causantur ex primis. Ob idque si quis apponeret manus ad concavum lunæ tangeret Cœlum, non positivè, sed negativè duntaxat, quatenus manus foret à Cœlo impedita ne ultra pergeret, quemadmodum si ab Angelo præpediretur. Ratio est, quia tactus objectum sunt qualitates tangibiles, cujusmodi sunt primæ qualitates, nimirum calidum, & frigidum, humidum, & siccum, necnon qualitates secundæ, licèt non omnes, cùm non tangantur color, & sapor, sed duntaxat durum, & molle, asperum, & lene.

Quo ratiocinio probari etiam potest, Cœlum esse etiam essentialiter incorruptibile; quia non tantùm connaturaliter, verùm etiam essentialiter ei repugnant dictæ qualitates. Cui namque essentialiter repugnat essentia, repugnant quoque essentialiter proprietates, V. G. cui essentialiter repugnat essentia Hominis, repugnat quoque essentialiter risibilitas; Cujus ratio est, quia proprietas essentialiter consequitur ad essentiam. At sic est, quod Cœlo essentialiter repugnat essentia, & natura elementorum; supposito, ut

insita statuetur, esse diversæ naturæ: ergo essentialiter quoque repugnabunt primæ qualitates, quæ elementorum proprietates sunt.

3 Prob a Si ab intrinseco Cœlum foret corruptibile, illius conservatio esset continuò miraculosa; sed hujusce miraculi nulla vel opinabilitas habetur; ergo &c. Maj. vera est, Tum quia suapte natura ad corruptionem tenderet, quemadmodum & cæteræ corruptibiles res. Tum quia fugere non valeret voracitatem & helluviem ignis, qui (ut in lib. de Gener. & Corrupt.) Lunæ Cœlo est contiguus, cùm tamen tot sæculorum lapsu ne quidem secundùm minimam sui partem aliquod sit passum detrimentum. Min. prob. Tum quia in Cœlorum productione (ut Universi cum Aug. annuunt) nullum intervenit miraculum: ergo neque in ipsorum conservatione. Consequentia est exacta, non tantùm quia conservatio est continuata productio, verùm etiam quia conservatio non minùs quàm creatio Cœlorum est perfectissima operatio. Tum quia Deus si cæteras res inferiores juxta earum naturalem exigentiam conservat, multò magis juxta Cœlorum naturalem Cœlorum exigentiam, Cœlos conservare habet, adeoque si incorruptos eos servat, dicendum venit, incorruptionem esse ab ipsa Cœlorum natura exigitant.

4. Prob. 3. Beatorum corpora sunt incorruptibilia vel ab intrinseco, vel saltem ab extrinseco, cùm sint immortales Beati: ergo corpora cœlestia erunt ab intrinseco incorruptibilia. Prob. conseq. Id, per quod Beatorum corpora incorruptibilia sive ab intrinseco, sive ab extrinseco fiunt est id, per quod cœlestia corpora incorruptibilia evadunt ab intrinseco: ergo si &c. Prob. ant. Id, per quod Beatorum corpora incorruptibilia fiunt, sunt participationes qualitatum corporis cœlestis; sed istæ proveniunt Cœlis ab eorum intrinsecis, & corporibus Beatorum ab extrinseco: ergo &c. Maj. prob. ratione D Th 4. contra Gentes cap 86 ubi *sicut*, inquit, *Anima Hominis elevabitur ad gloriam spirituum cœlestium, ut Deum per essentiam videat, ita ejus corpus sublimabitur ad proprietates cœlestium corporum, inquantùm erit clarum, impassibile, & perfectissima sua forma perfectum, & propter hoc dicit Apost. resurgentium corpora esse cœlestia, non quantùm ad naturam, sed quantum ad gloriam* Ex quo sic argumentum formo. Anima Hominis in Patria fruitur, & perficitur gloria spirituum cœlestium, nimirum qua fruuntur, & perficiuntur spiritus cœlestes: ergo pariter corpora Beatorum perficiuntur, adeoque incorruptibilia redduntur beneficio qualitatum, quibus cœlestia perficiuntur corpora. Consequentia est exacta, quia quemadmodum spiritus cœlestes sunt superiores animabus nostris, ita corpora cœlestia sunt superiora corporibus nostrix: ergo si &c.

Ex his omnibus potest suaderi, & essentialiter Cœlum incorruptibile esse, ita quòd nec supernaturaliter, nisi per annihilationem queat deficere. Eò ipso namque quòd ab intrinseco est incorruptibile, jam ejus materia respicit ut actum adæquatum sui perfectè satiativum propriam formam, sed nulla potentia potest nec etiam supernaturaliter extendi ultra suum adæquatum objectum, uti palam est, quòd intellectus, voluntas, &c. nequeunt etiam supernaturaliter ferri extra suum objectum adæquatum extensivum: ergo Cœli materia nec divinitùs est transmutabilis ad aliam formam, adeoque &c.

Adde, quòd ideo Nostrates profitentur, cœlestem materiam esse diversæ rationis, seu essentiæ à materia sublunari; quia illa respicit formam inamissibiliter; sed si Cœli materia non esset essentialiter intransmutabilis, ratiocinium hoc minimè probaret; quia non esset contra illius essentiam transmutabilitas, adeoque nec formæ amissibilitas: ergo &c.

§. III.

Solvuntur argumenta Adversariorum.

5. OPponi primodùm posset arg. solutum in Physicæ prodromis art. 2. §. 3. sub num. 6. Vid. ibi, & aliud 1. Phys. q. 1 art. 1. §. 6.

Arg 1. Nullius materiæ potentialitas potest per unicam solam formam compleri: ergo quælibet essentialiter pluras efflagitat, adeoque etiam Cœli materia est transmutabilis ad alias formas. Prob. ant. Quemadmodum genus physicum, quod est materia, est potentia quædam physica, ita metaphysicum genus est potentia quædam metaphysica; sed metaphysici generis potentialitas nequit per unicam differentiam compleri, cùm genus nequeat salvari in unica specie: ergo &c

Hoc arg. fuit solutum in *Logica* Syntagm. 3. q. 3. art. 3. vestigando, num genus possit salvari in unica specie ad 3. inst. 1. argumenti. Vid ibi.

6. Arg 2. Primum oppugnando ratiocinium. Ideo Cœlum corruptibile non est, quia non componitur ex primis qualitatibus; sed ratio ista nulla est; ergo &c. Prob. Min. Si ratio ista valeret, sequeretur, quòd sola mixta essent corruptibilia; sed hoc vanum est: ergo &c Maj. est omnium Peripateticorum lib. 2. de Gener. & Corrupt. ubi docent, elementa esse invicem transmutabilia & nos ibi q. 2. art. 2. Maj. prob. Sola mixta constant ex primis quatuor qualitatibus contrariis: ergo &c Prob ant. Sola mixta componuntur ex quatuor elementis, quorum hujuscemodi qualitates sunt proprietates: ergo &c.

Conf. Falsum est, quòd in Cœlo non extent primæ qualitates: ergo &c. Prob ant. In Cœlo extant qualitates secundæ: ergo etiam primæ. Consequentia est exacta, quia secundæ causantur ex primis, idest ex primarum permixtione resultant. Ant. est perspicuum. In Cœlo siquidem extant raritas, & densitas.

Urg in Cœlo extat motus; sed motus est causa caloris: ergo in Cœlo extat calor.

Resp. ad arg nego min. Ad prob. nego sequelam. Ad prob dist ant sola mixta componuntur ex 4. qualitatibus collectivè sumptis, concedo: divisivè sumptis, nego. Quodlibet enim elementum habet aliquam ex dictis qualitatibus, quæ licèt non corrumpat proprium subjectum, benè tamen subjectum alienum, V. G. humiditas aquæ destruit ignem pugnando cum ejus siccitate, cum qua necessariò connectitur forma ignis, eamque destruendo.

Ad Conf. nego ant. Ad prob nego ant. Ad prob. dico, in Cœlis non extare veros colores, sed duntaxat Irides, qui sunt colores apparentes, imò fortassis nec istos, qui in aere eminùs existentes apparent, esse in Cœlis. Raritas autem, & densitas, quæ in Cœlis habetur, non est causata ex primarum qualitatum participatione, sed est qualitas quædam purior, & perfectior propria Cœlorum, ut dicemus lib. primo de Gener. & Corrupt. q 6. quæsito ponendo post art. unicum in fine. Similiter lux in Cœlis est perfectissima, nec originem ex primis qualitatibus trahit.

Ad id, quo urgetur dico primitùs, motum esse causam caloris, si sit in subjecto capaci, secùs verò si sit in subjecto incapaci, ut est Cœlum. Deinde videbimus lib. 2. de Generat. & Corrupt. quæst. 1. in Præloquio §. 3. *Dico* 1. n. 7. quòd motus est causa caloris, quosdam excitando, ac congregando spiritus igneos. In Cœlo autem minimè extant hujuscemodi spiritus ignei, sicut nec ullum aliud elementum, ut dicetur sequenti art. 3.

Dices. Raritas, & densitas, lux, &c. in Cœlis sunt qualitates non primæ: ergo secundæ; sed secundæ causantur ex primis: ergo ex primis causantur.

Conf. ideo primæ qualitates disponunt ad corruptionem, quia sunt invicem contrariæ; sed etiam raritas, & densitas sunt qualitates contrariæ: ergo &c.

Urg. In Cœlis extat contrarietas motuum; sed ista est causa corruptionis: ergo &c. Prob. maj. Motus ab Oriente ad Occidentem est contrarius motui ab Occidente in Orientem.

Resp. quòd lux, raritas, & densitas, quæ sunt in Cœlis, sunt qualitates primæ, non positivè, cùm non causent alias, sed duntaxat negativè, quatenus non causantur ex aliis.

Ad Conf. primitùs Resp. quòd secundùm non paucos, raritas & densitas non sunt contrariæ, imò nec diversæ speciei, sed sunt ejusdem speciei, solùmque accidentaliter differunt penès magis, & minùs, uti differunt quantitas magna, & parva Deinde patescet lib. 1. de Generat. & Corrupt. quæst. 6 quæsito ponendo post art. unicum, quòd raritas, & densitas sunt contrariæ contrarietate duntaxat explicationum, non verò contrarietate entitatum.

Ad id, quo urgetur dici primodùm posset, quòd estò contrarietas motuum in qualitate sit corruptionis causa; secùs tamen contrarietas motus localis. Sed meliùs, nego maj. Ad prob. habes ex dictis 5. Phys. quòd licèt motus rectus factus ab Oriente ad Occidentem sit contrarius ei, qui fit ab occasu ad ortum; secùs tamen si circularis sit; quia motus

ille

ille circularis est unus, atque idem motus continuus. Verum est tamen, quòd Cœlestes Orbes inferiores habent cieri motu communi primi mobilis, & rursus motu proprio, qui opponitur motui primi mobilis: Eum ad modum, quo quis dum navi fertur versus Orientem, eadem in navi movetur deambulando versus occasum. Nihilominùs motus illi non sunt rigorosè contrarii; Tum quia unus est per se, & alter per accidens; Tum quia diversos super polos exercentur. Oppositio autem quotiescunque non est secundùm idem, non est propriè oppositio.

7. Arg. 3 Quod est incorruptibile petit semper durare, & nunquam deficere; sed Cœli tandem deficient: ergo &c. Prob min Quandoquidem Psal. 101. dicitur *opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt*. Isaiæ 51 *Cœli sicut fumus liquiescent*. Lucæ 21. *Cœlum, & terra transibunt* Apoc 20 *Vidi Cœlum novum, prius enim Cœlum abiit*. Petri 2. c. 2. *Cœli magno impetu transient, & Cœli ardentes solventur*.

Resp. nego min. Ad prob. Resp. 1. ex Aug. lib. 3. Genesis ad litt. cap. 2. & 3. sicut etiam super Psal. 101. Cœli nomine sumere Cœlum aereum, quemadmodum sumitur dum Psal. 103. dicitur *Volucres Cœli*.

Resp. 2. Sacram Script. loqui de mutatione accidentali, idest quò ad accidentia; quia Cœli post Judicii diem perfectiores efficientur, puta lucidiores. Verum est tamen, quòd D. Petrus (in quo vim magnam facit P. Semery) loquitur de substantiva mutatione, facienda per ignem. Attamen palam de aereo loquitur Cœlo. Dicit namque, Cœlos illos esse igni reservatos, qui priùs per aquam diluvii perierant. Certum autem est diluvii aquam non attigisse Cœlestes Orbes. Et quidem Scriptura pro nobis loquitur Ps. 48. *statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi*, &c. Ecclesiastes 3. *didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus* (intellige per creationem) *perseverant in æternum*.

Inst. Virtus finita aliquando finitur; sed Cœlorum virtus est finita: ergo tandem aliquando finietur. Liquet maj. Siquidem si nunquam finitur est infinita, quia prout sic fine caret.

Resp. dist. maj. virtus finita cum negativè tùm positivè, concedo, finita duntaxat positivè, non verò negativè, nego maj. ac distincta min. nego conseq. Cœlorum virtus dici potest infinita negativè, non quia habeat in se positivum infinitæ durationis principium, sed quatenus caret suæ corruptionis principio. Nec mirum hoc habeas. Quandoquidem etiam Angeli sunt finitæ virtutis; & tamen suapte natura sunt incorruptibiles.

Vid. etiam dicta 7. Phys. q. unica art. 1. §. 3.

8. Arg. 4. variis experimentis. Primò Sol, & Luna varias subeunt mutationes. Non rarò siquidem maculæ cernuntur in Sole. Item Luna interdum patitur alterationes, amittit lucem, ut dum eclipsim patitur propter interpositionem terraquei globi. Tertiò. Non paucæ variationes in Cœlis sunt compertæ. Quandoquidem complures Cœli partes sunt corruptæ, & in stellas mutatæ, ut fert Ricciolus, nimirum anno 1572. apparuit stella recenter genita in Cassiopea, seu signo correspondens Cassiopeæ, quæ stella ab initio Venerem magnitudine superabat, postmodum verò paulatim minuebatur per biennium usque; quo tempore penitùs evanuit. Quartò. Nonnulla objiciuntur phænomena, sive cometæ, qui in Cœlis sunt geniti, ut est cometes ille, qui apparuit anno 1618. ad instar Trabis tenuissimi splendoris; necnon ille, qui perspicuum se dedit 1577. Nec dicere juvat, fuisse infra Cœlum in aere, licèt in Cœlo apparerent. Non valet, inquam; quoniam Astronomi cum juramento affirmant, fuisse in Cœlis, ut P. Semery obtestatur.

Resp. ad 1. nullam esse maculam in Sole, sed quosdam vapores interiacentes in aerè per lineam rectam inter Solem, & conspicientis oculum; Idcircò apparent in Sole maculæ. Vel, & satiùs, quasdam esse aeris partes vel modicè vel interdum nullatenus Sole illustratas.

Ad 2. Resp. ex alibi dictis, variationes illas esse purè perfectivas, minimè verò alterativas; quia lux est qualitas, non alterativa, sed habens esse quodammodo intentionale.

Ad 3. Resp. vel stellas illas (si verè stellæ erant) non fuisse de novo genitas ex aliqua Cœli parte, sed recenter à Deo creatas propter finem aliquem sibi notum. Vel dicemus, fuisse non veras, sed duntaxat apparentes stellas, quas fortasse Deus nobis exhibet, ad prænunciandum quicquam grande aliqua in mundi plaga futurum. Vel dicemus, stellas illas à conditione usque Universi extitisse, quamquam minimè apparuerint propter nimiam distantiam, & conspicuas posteris temporibus se præbuerint. Quod præsersim de quatuor illis, quæ retroacto sæculo sunt deprehensæ, palam est.

Idem dico ad 4. cui & præfata aptari responsa possunt; Satiùs tamen dicendum phenomena illa fuisse infra Lunæ Cœlum. Nec obest, quòd Astronomi cum juramento obtestentur, in Cœlo extitisse. Non, inquam obest, Tum quia nullus nominatim fertur, qui tale adhibeat juramentum. Tum quia si id nonnemo jurat, sunt & alii oppositum asseverantes. Et re vera (ut complures ferunt) magna tunc lis inter Astronomos erat, num in Cœlis, vel infra Lunæ Cœlum degerent.

Nec dubitaverim suis eos teloscopiis, sive meteoroscopiis fuisse deceptos. Quod evenire potuisse evinco, ex eo, quòd cum toto illo tubo optico, adhuc inter eos, qui Cometas supra Lunam evehunt, non modicum extat dissidium de Cometæ altitudine, ut perspicuum est in litteris ejusdem met Tichonis Brahæ ad Rormand. Datis 1588. Quemadmodum igitur tubus perspicillus eos de hujuscemodi altitudine certos reddere minimè potuit, sic nec quòd eadem altitudo ad Lunam, &c. pertingat. Qua ergo conscientia id jurare?

Vide quæ de hoc pleniùs dico in tract. de Meteoris consideratione 2. §. 3. per totum.

9. Aliud objici posset arg. nimirum quòd rationalis Anima est forma perfectior forma Cœlesti; sed illa amissibiliter informat: ergo à fortiori ista.

Verùm ad hoc habes ex dictis 1. Phys q. 2. art. ult. §. 3. ad 1. quod Anima rationalis est perfectior duntaxat in esse entis, at non in esse formæ. Vid. ibi

10. Collige ex dictis, quòd si ex Patribus nonnulli dicunt, Cœlos esse per generationem factos, & per corruptionem fore convellendos, locuti sunt de aereo Cœlo. Dicere ni malueris, id dixisse, non quia sic senserint, sed quia tunc maximè vigebat hæresis eorum, qui profitebantur, ab æterno mundum extitisse; idcircò ad eam eliminandam satiùs erat annuere, quòd geniti Cœli fuerint, & corrumpendi forent. Eò vel maximè quòd forsitan hæreticorum in placito loquebantur, ut efficaciùs ex eorum met principiis refutarent illos.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Materia Cœlestis sit diversæ rationis à sublunari.

§. I.

1. PRæmitto quosdam contra Priscos relatos hujus in quæstionis exordio, Cœlum esse diversæ naturæ ab Elementis, ut vel Aristoteli placuit, cùm eos quintam vocitat essentiam.

Et ratio suffragatur eodem à Phil. hic 1. de Cœlo cap. 2. & 1. Meteor. suppeditata; Quoniam elementa moventur vel à centro, sive à medio, vel ad medium, idest ad centrum, nimirum vel sursum, vel deorsum, V. G. aqua & terra moventur deorsum, ignis, & aer suapte natura sursum feruntur; sed Cœlum movetur duntaxat circulariter: ergo Cœlum est alterius naturæ ab Elementis. Quædam Joannis Saguens, aliorumve paucorum doctrina, volentium, ex Elementis quodcunque suapte natura quaquaversum moveri refelletur lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 1. §. 2. sub n. 2.

Conf. Si Cœlum ejusdem esset cum Elementis naturæ, foret vel grave, vel leve, sicque motu recto vel sursum, vel deorsum moveretur. De quo aliqua etiam in fine hujusce quæstionis.

Nec, ut Veteres, dixeris, Cœlum esse grave, nec tamen deorsum moveri propter ingentem sui vertiginem. Ne, inquam, id dixeris, Tum quia hoc merum est insomnium. Tum quia jugiter violento in statu Cœlum versaretur.

Qua ex re infero, nullum supra Cœlos Elementum extare; quia elementa cuncta cùm suum habeant naturalem locum infra Cœlum Lunæ, naturaliter ad illum tenderent.

Quòd si nonnunquam scriptura videtur elementum aliquod in Cœlis supponere, ut cum Psal. 89. dicitur *aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt*, &c. Vel loquitur de aereo Cœlo juxta illud *mandavit nubibus desuper, & januas Cœli aperuit*. Nubes autem aereo duntaxat in Cœlo sunt. Item Psal. 103. *volucres Cœli* &c. Vel nomine aquæ sumit Cœlum crystallinum, quod similitudinem quandam cum aquis præsefert. Et hoc in sensu fortassis intelligitur illud Genesis 1. *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*. Vel nomine firmamenti venit secunda aeris regio, quæ ratione vaporum, & frigoris in ea existentium dicitur maximè condensata, adeoque firma, seu firmamentum. Vel dici potest firmamentum aer, non in se, ceu fluidus, sed in effectu, qui sic dividit aquas inferiores ab eis, quæ in nubibus extant, ac si murus foret. Vid. D. Th. p. p. q. 68. art. 2. in corp. sicut etiam in 2. sent. dist. 14. q. 1. art. 1.

Item SS. PP. adscribentes Cœlis naturam elementarem, ideò sic sunt locuti, ut celeriùs occurrerent hæresi profitenti Mundi æternitatem.

Objicies. Quæ habent accidentia ejusdem speciei sunt ejusdem naturæ, sed Cœlum habet nonnulla ejusdem speciei accidentia, ut de quantitate palam est: ergo &c. Prob. maj. Accidentia siquidem sequuntur ad essentiam.

Resp. dist. maj. Si accidentia sint propria, ut est calor in summo respectu ignis, humiditas aquæ, &c. concedo, si sint accidentia communia, nego maj. & distincta min. nego conseq. Quantitas autem est accidens commune; sicut etiam lux, si verum est, quòd Cœli lux sit ejusdem speciei cum luce sublunarium, puta ignis, &c.

2. Dubium itaque emergit prout in titulo. Circa quod abnuunt communiter Scotistæ. Annuunt autem Thomistæ omnes cum plerisque aliis.

§. II.

CONCLUSIO.

Cœlestis materia est diversæ rationis à sublunari materia.

NOn alia est Aristotelis mens, qui tùm hic 1. dè Cœlo cap. 1. tùm 12. Meth. cap. 7. tex. 10. docet, quòd corruptibile, & incorruptibile non sunt in eodem genere. Intellige de genere physico, non de genere logico. Cui concordat S. Th. hic 1. de Cœlo sect. 6 & p. p. q. 66. art. 2. cum B. Alb. Magn. in 4 sent. dist. 6 art. 8.

3. Probo 1. Ad Universi perfectionem spectat, quòd extent materiæ diversæ rationis; sed non aliæ materiæ potiori jure diversitatem istam obtinere possunt, quàm Cœlestis, & sublunaris: ergo &c. Min. non est in dubium vocanda, cùm nullæ ex rebus adeo sicut cœlestia, & sublunaria sint dissitæ. Maj. prob. Materia se habet ut genus physicum; sed ad Universi perfectionem attinet, quòd extent genera physica diversæ rationis: ergo &c. Maj. ex eo nitet, quòd quemadmodum genus se habet ut potentia metaphysica, ita materia ut potentia physica. Min. prob. Universam non minus in physica, quàm in metaphysica linea est perfectum; sed ad Universi perfectionem attinet, quòd extent genera metaphysica diversæ rationis: ergo pariter &c. Maj. est patens. Min. magis. Namque extant genera metaphysica diversa, cùm decem prædicamenta sint genera decem, & totidem diversa.

Qua ex re deduces, quòd Cœlum, & sublunaria, quorum primum est incorruptibile, secundum corruptibile, dicuntur ab Arist. esse in genere diverso, non logico, aut metaphysico (cùm ratio corporis de utroque univocè prædicetur, ut logicum, seu metaphysicum genus) sed physico. Metaphysicè autem, ac logicè sunt potiùs speciei diversæ.

4. Prob. 2. ratiocinio communi, quod habet S. Th. locis nuper relatis. Potentiæ respicientes actus adæquatè diversos diversificantur inter se; sed Cœlestis, ac sublunaris materia sunt potentiæ actus respicientes essentialiter adæquatè diversos: ergo materia Cœlestis, & sublunaris sunt essentialiter diversæ. Maj. patescet 2. de Anima q. 3. & inductivè in omnibus perspicua habetur. Min. prob. Forma Cœlestis, & forma sublunaris sunt actus essentialiter diversi, quemadmodum sunt formæ essentialiter diversæ; sed Cœlestis materia respicit ut adæquatum actum formam Cœlestem, & sublunaris respicit ut adæquatum actum formam sublunarem: ergo &c. Prob. min. Cœlestis materia solam potest respicere materiam Cœlestem, & sublunaris materia Cœlestem duntaxat formam: ergo &c. Prob. ant. Quandoquidem, ut retroacto art. probavimus, Cœlum est incorruptibile.

Conf. Potentiæ, & habitus inspicientes objectum sub diversa ratione formali, essentialiter inter se distinguuntur, ut palam est in potentiis, scientiarumque habitibus; sed Cœlestis, & sublunaris materia respiciunt formam sub diversa ratione formali: ergo &c. Prob. min. Prima respicit formam sub ratione inamissibilis; secunda verò sub ratione amissibilis, nimirum amissibiliter: ergo &c.

Respondent, qui nobiscum annuunt, Cœlum esse incorruptibile, quòd Cœli intransmutabilitas se tenet, non ex parte ipsius materiæ, sed ex parte formæ, quæ perfectè materiæ appetitum complet, ac satiat. Sed

Contra, Tum quia materia actuabilis perse ordinatur ad formam actuantem: ergo pariter materia actuabilis per formam inamissibiliter informantem, perse ordinatur ad formam inamissibiliter informantem; sed Cœlestis materia est informabilis, imò actuatur per formam inamissibiliter informantem: ergo perse ad eam ordinatur, proindeque exigit informari forma inamissibiliter informante; ac per consequens Cœli incorruptibilitas ex ipsa etiam materia provenit. Tum quia quocunque ex capite proveniat intransmutabilitas hæc, jam habeo, quòd Cœlestis forma est actus adæquatus suæ materiæ; sed, ut vidimus, potentiæ habentes actus adæquatè diversos diversificantur essentialiter inter se: ergo &c.

P. verò Arriaga, qui licèt in nostrum magis, quàm in aliud inclinet placitum, tamen dicere non veretur, quòd non benè probetur à D. Th. ex Cœli incorruptibilitate, respondet ad præfactum ratiocinium, quòd Cœli incorruptibilitas provenit, non ex eo, quòd ejus materia incapax sit, aliam recipiendi formam, sed ex eo duntaxat, quòd Cœlum non habet virtutem aliud producendi Cœlum, cùm sit maximè resistitivum; qua ratione adamas virtutem non habet alium producendi adamantem, nec unum ferrum aliud ferrum.

Contra. Si quantum de se est Cœlestis materia capax foret aliam suscipiendi formam, quamquam Cœli virtute introduci minimè hæc posset, vel sublunaris alicujus agentis vi; tamen ab aliquo saltem superiori agente, puta Angelo introduci valeret; sed, uti antegresso art. ostendimus, Cœlum est à quocunque agente etiam supernaturali incorruptibile: ergo &c. Prob. mai. Tum quia (ut 1. Phys. q. 2. art. ultimo dicebamus) cuicunque passivæ potentiæ naturali sua correspondet naturalis potentia activa. Tum etiam ipso in adamante, & ferro.

§. III.

Obversantiam argumenta solvuntur.

5. ARg. 1. Secundum oppugnando ratiocinium. Ideo per nos Cœlestis, & sublunaris materia diversæ sunt rationis, quia prima respicit formam inamissibiliter, secunda verò amissibiliter; sed ratiocinatio ista minimè concludit: ergo &c. Prob. min. Si ratio ista valeret, sequeretur, quòd corporum omnium Cœlestium materia ejusdem esset rationis; sed hoc falsum est: ergo &c. Sequela maj. prob. Materia siquidem cujuscunque corporis Cœlestis respicit formam inamissibiliter, quia unumquodque est incorruptibile: ergo &c.

Ad hoc arg. Capreolus, Hispalensis, ac Javellus apud Compl. annuunt, materiam omnibus Cœlestibus in corporibus ejusdem esse rationis specificæ, quia in unoquoque respicit, ac recipit formam eodem modo, nimirum inamissibiliter. Idque approbat novissimè etiam Guerinoia.

Verùm enim verò hoc non cum veritate dictum videtur. Etenim si in omnibus Cœlestibus corporibus materia ejusdem foret rationis specificæ, sequeretur, quòd materia unius foret capax recipiendi alterius formam; quia cùm ejusdem essent rationis, non minùs una, ac alia esset hujusmodi formæ capax, sicque esset transmutabilis ad formam, proindeque Cœlum corruptibile foret. Igitur

Resp. ad arg. nego min. Ad prob. nego iterum min. ad cujus prob. nego conseq. & ad prob. annexam dist. respiciens formam eodem modo veluti generico, concedo, veluti specifico,

cifico, nego. Eo quodam proportionali modo, quo in Logica Syntag. 1. & prodromu art. 5. §. 7. num. 18. ad ult. arg. diximus de abstractione.

Contra. Amissibilitas formæ est ratio formalis specifica respectu materiæ totius collectionis corporum sublunarium: ergo pariter inamissibilitas formæ erit ratio formalis specifica pro tota cœlestis materiæ amplitudine.

Resp. concessa maj. (de qua in fine hujus art. §. 4. num. 11) neg. conseq. & paritatem. Discrimen est, quia hoc ipso, quòd materia cujuslibet corporis cœlestis respicit formam inamissibiliter, jam quælibet diversos habet actus adæquatos. Potentiæ autem diversos obtinentes actus adæquatos sunt diversæ rationis, eosque proinde diversa sub ratione formali inspiciunt, licèt cujusque in particulari rationem formalem ignoremus. Cæterùm in sublunaribus nulla forma est actus adæquatus appetitui alicujus materiæ, cùm hæc sit ad quamlibet in potentia. Ob idque sublunares formæ licèt sint diversæ in esse entis, minimè tamen in esse formæ; quia sunt actus inadæquati; adeoque ut unus totalis eadem sub formali ratione specifica inspiciuntur.

Contra. Hoc in responso committitur vitiosus circulus: ergo &c. Prob. ant. Ideo cœlestis materia respicit formam inamissibiliter, quia respicit ut actum adæquatum; & ideo respicit ut actum adæquatum, quia inamissibiliter respicit; ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. dicimus namque, quòd ideo materia cœlestis respicit formam inamissibiliter, quia caret principio amissibilitatis, nimirum corruptionis, ut art. antegresso §. 2. probavimus. Ex quo postea fit, quòd ut actum adæquatum respiciat, quia nequit alium recipere. Et inde etiam fit, quòd respiciat sub diversa ratione formali; quia quæ sunt ejusdem rationis formalis sunt actus inadæquati respectu appetitus, qui ad omnes saltem successivè tendit, ceu omnes sui sub formali ratione contentos.

6. Arg. 2. ad idem. Cœlestis materia quantùm est de se capax est sublunaris formæ; ergo ejusdem est formalis rationis cum sublunari materia. Prob. ant. Privatio est carentia formæ in subjecto capaci; sed in cœlesti materia est formæ sublunaris privatio; ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego min. Materia namque cœlestis habet negationem, & non privationem sublunaris formæ.

Contra. Repugnantia ad sublunares formas (si verè ista eatat) oritur, non ex ipsa materia, sed ex sola forma cœlesti: ergo materia quantùm est de se est subjectum privationis formæ sublunaris. Prob. ant. Stare optimè potest, quòd subjectum aliquod habeat quantùm est de se aptitudinem ad aliquid; & tamen ratione formæ, qua gaudet impediatur ad illud, repugnantia tota se tenente ex parte formæ: ergo stare poterit, quòd repugnantia ad sublunares formas proveniat in materia ex sola forma. Ant. prob. duplici paritate. Et primò. Homo quantum est de se est mortalis, & peccabilis; & tamen per donum supernaturale beatitudinis redditur immortalis, & impeccabilis. Secundò. Substantia materialis licèt quantùm est de se sit penetrabilis; tamen ratione quantitatis redditur impenetrabilis: ergo &c.

Conf. Dato etiam, quòd repugnantia oriatur ex materia; tamen oritur ex ejus individuali, non verò specifica ratione: ergo ratio specifica erit in omnibus eadem. Prob. ant. 1. Quod una causa sit impotens ad producendum alterius causæ effectum oritur ejus ex individuali, non verò specifica ratione, Thomisticè loquendo: ergo à pari &c. 2. Non minùs repugnat naturæ Angelicæ esse in pluribus, quàm materiæ cœlesti recipere formam sublunarem; sed esse in pluribus individuis repugnat naturæ Angelicæ ex individuali, non verò specifica ratione, ut in Logica Syntag. 3. q. 3. art. 2. dicebamus: ergo pariter &c.

Urgetur ex Pontio. Quòd materia haud capax aliam recipiendi formam sit potest esse, quòd oriatur ex ratione peculiari ipsius Cœli, non verò ex talis materiæ essentia: ergo &c. Ant. prob. 1. Quantitas Cœli quantùm est de se est augmentabilis; & tamen peculiari ex ratione ipsius Cœli est inaugmentabilis: ergo pariter esse potest &c. Ant. est conspicuum, quoniam Cœli quantitas ejusdem est rationis cum sublunarium quantitate. 2. Charitas licèt de se inamissibilis sit; tamen in via ex peculiari ratione status Animæ est amissibilis: ergo à pari &c. Et sit fortius argumentum, quia Charitas viæ est amissibilis, Patriæ verò inamissibilis; & tamen Viæ, & Patriæ Charitas ejusdem est speciei: ergo pariter quamquam cœlestis materia inamissibiliter, sublunaris verò amissibiliter formam respiciat, adhuc utraque poterit ejusdem esse rationis.

Roboratur. Facilè, & difficilè corruptibile possunt habere materiam ejusdem rationis; ergo pariter corruptibile & incorruptibile &c. Consequentia est exacta. Nulla namque major apparet ratio, cur facilis, vel difficilis corruptibilitas ortum ducat ex conditione solius formæ, ac dispositionum, & ex illis originem non trahat corruptibilitas, & incorruptibilitas simpliciter.

Resp. ad inst. nego ant. Ad prob. dist. ant. si subjectum sit essentialiter quid incompletum, per se essentialiter ordinatur ad formam, nego, secùs, concedo ant. & nego conseq. Quotiescunque siquidem subjectum est potentia essentialiter exigens actum ad faciendum unum per se cum illo, sicut est materia prima respectu formæ substantialis; tunc quicquid importatur à forma, essentialiter exigitur à subjecto, quemadmodum & ipsa forma essentialiter à subjecto exigitur.

Per quod patet ad ambas illas probationes. Non enim Homo essentialiter exposcit donum supernaturale beatitudinis, nec substantia essentialiter exigit quantitatem tanquam facientem cum illa unum per se; benè verò materia, & forma substantialis.

Ad Conf. nego ant. Ad prob. dato ant. nego conseq. Discrimen est, quia in materia utpote quid incompleto gradus individualis, non est virtualiter exclusivè distinctus à cæteris, sicut nec gradus differentialis, ut 1. Phys. q. 2. art. 2. Idcircò nequit oriri ex individuali, quin ex specifico oriatur. Cæterùm in causa extrinseca, ceu quid completo virtualiter exclusivè distinguitur. Ad 2. dico, quòd ibi sermo erat de natura inadæquatè inspecta; hic autem loquimur de materia adæquatè, & non inadæquatè sumpta, quia quod est incompletum nequit partiri...

Verum est tamen, quòd probabili in sententia admittente in materia prima gradum metaphysicum, gradus differentialis virtualiter exclusivè à generico distinguitur. Attamen istorum in sententia dicendum, adhuc individualem non distingui exclusivè à specifico. Ad eum modum, quo in Angelis gradus specificus exclusivè distinguitur à generico; & tamen in non paucorum sententia individualis non distinguitur exclusivè à specifico.

Ad id, quo urgetur nego ant. Ad utrasque prob. patet ex dictis, quòd nimirum mutua exigentia habetur tùm ex parte subjecti, tùm ex parte formæ, quando ex illis fit unum per se. Palam autem est, quod nec ex Cœlo, & quantitate; nec ex charitate, & Anima fit unum per se. Inde fit, quòd Patriæ, & viæ Charitas ejusdem est speciei; quia Charitas quantùm est de se eodem petit modo in omnibus esse.

Ad ult. Discrimen in eo situm est, quòd facilè, & difficilè corruptibile non gaudent materia diversos inspiciente actus adæquatos, cùm unius materia sit alterius ad formam transmutabilis, licèt difficiliùs, quàm in alio. Cæterum corruptibile, & incorruptibile materiam obtinent diversos inspicientem adæquatos actus.

Dices. Potentia est universalior actu, ut inductivè cunctis in potentiis, puta intellectu, voluntate respectu suorum actuum conspicuum est: ergo materia cœlestis majori pollere debet universalitate, quàm sui forma; sed hanc minimè haberet, si solius cœlestis formæ capax foret: ergo quantum est de se, &c.

Respondeo, ant. esse verum loquendo de potentia in ordine ad actum respectu appetitus inadæquatum.

Inst. Quæcunque potentia visiva potest omne visibile videre; potentia auditiva omne audibile audire: ergo pariter quæcunque materia potest omnem receptibilem formam recipere, adeoque etiam sublunarem.

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitatis ratio est, Tum quia potentiæ intentionales majori gaudent amplitudine, quàm potentia subjectiva entitativa, ut non infrequenter diximus; quemadmodum forum intentionale, ceu magis elevatum majori pollet amplitudine, quàm forum entitativum. Idcircò potentia visiva potest habere pro objecto adæquato omne visibile &c. non autem materia omne receptibile. Tum quia esse visum, auditum &c. est pura denominatio extrinseca.

7. Arg. 3. Unitas, & distinctio sumitur ab actu ut 7. Meth. habetur; sed materia ex se nullum includit

actum:

actum : ergo extare nequeunt materiæ inter se specie distinctæ.

Resp ex dictis 1. Phys. quæst.2. art.2. maj. esse veram de unitare & distinctione positiva, non verò purè negative, de qua impræsentiarum ; idcircò dictitavi, distingui veluti specie, ly *veluti* se habente ut diminutivo.

Adde, quòd min. in sententia concedente materiæ actum metaphysicum est falsa.

Præterea dist maj ab actu, vel ab ordine ad actum, concedo, à solo actu, nego maj. & distinguo min. nullum includit actum, nec ullum ordinem dicit ad actum, nego min. & conseq Cœlestis itaque, & sublunaris materia distinguuntur specie per ordinem ad diversos actus adæquatos.

Dices ex Mazziotta. Quemadmodum genus dicit potentiam metaphysicam ad differentias, quæ sunt actus metaphysicus, sic materia dicit potentiam physicam ad formam, quæ est actus physicus ; sed genus non distinguitur specie per ordinem ad diversas differentias, benè verò per ipsas formaliter differentias ; ergo similiter una materia non distinguitur specie ab alia per ordinem ad differentias.

Resp. ex dictis antegresso art § 3. ad 1. n.5. & loco ibi relato, nimirum in Logica Syntag 3. q 3. art. 3. ad 1. inst. 3. arg discrimen esse, quia genus dividitur metaphysicè per suas differentias, quibus contrahitur, non verò materia dividitur physicè per formas physicas ex hoc, quòd per illam actuetur.

8. Arg.4. materia prima est prima, & pura potentia ; sed prima, & pura potentia non est partibilis in plures primas, & primas potentias specie distinctas : ergo &c. Prob. min. 1. Ratio primi, & puri actus non est partibilis in plures primos, & puros actus ; ergo pariter &c. 2. Si esset partibilis in plures specie distinctas, una foret aliâ perfectior ; sed hoc est impossibile : ergo &c. Maj. est conspicua, quia essentiæ sunt sicut numeri, quorum unus specie distinctus ab alio vel illum excedit, vel ab illo exceditur. Min verò prob. Prima potentia maximè distat à puro actu, nihil participando de ejus perfectione, ergo nequit una esse aliâ perfectior. 3. Materia prima est ens imperfectissimum, & prope nihil ; ergo &c. 4 Judice D. Th in 2. sent. dist. 3. q.1. art 6. Quemadmodum rationalis Anima ultimum tenet gradum in substantiis spiritualibus, ita materia prima in rebus sensibilibus ; sed propter hoc Anima rationalis non est partibilis in plures Animas rationales specie distinctas : ergo pariter &c. 5. Ultimum est indivisibile, ut de puncto conspicuum est ; sed materia ultimum tenet locum ; ergo &c.

Resp. nego maj. Ad 1. prob. nego conseq. & paritatem : discrimen est, quia purus actus non dicit ordinem ad aliud extrinsecum, à quo specificetur. At prima potentia dicit ordinem ad formam. Sanè hoc arg. probat, nec materias numero distinctas possibiles esse, quemadmodum nec plures actus puri, nimirum plures dii numero distincti possibiles sunt.

Ad 2. prob. dist. maj. esset perfectior negativè, concedo, positivè nego maj. & distincta min. nego conseq Vel aliter dist. maj esset perfectior ordinativè, concedo, formaliter, nego maj Materia siquidem Cœlestis dici potest sublunari perfectior negativè, quatenus caret principio corruptionis in suo composito. Vel quod sicut distinguitur à sublunari per ordinem ad formam, ita dici potest perfectior ordinativè, quatenus ordinatur ad formam perfectiorem in esse formæ. Per quod patet ad prob min Ex ea namque duntaxat sequitur, non posse esse perfectiorem perfectione positiva, & formali, quæ sola sumitur per majorem accessum ad actum purum.

Ad 3. Prob dist. ant. est prope nihil comparativè ad alia entia, concedo, absolutè, nego ant. & conseq Absolutè namque loquendo in infinitum distat à nihilo Eapropter etiam ad creandam materiam requiritur infinita virtus.

Ad 4. Data maj. nego causalem min. Causalis enim est, non quia sit in ultimo gradu, sed quia omnes rationales Animæ æqualiter connotant materiam, adeoque sunt ejusdem rationis specificæ.

Ad ult. dico iterum, quòd materia prima licèt in rebus sensibilibus ultimum teneat locum comparativè ad cætera entia ; at non comparando materias inter se ; quia sublunaris materia infimiorem Cœlesti locum sibi vendicat. Punctum autem est ultimum simpliciter, omnibusque modis.

9. Arg. 5. SS. PP. communiter docent, Deum eadem ex materia Cœlum creasse, ac terram : ergo &c. Ant. habetur ex Aug. super Gen. cap.7. Basilio, Ambrosio, aliisque apud Compl.

Conf. Firmamentum dicitur factum secunda die ; sed quod est factum in uno sex dierum, est factum ex præexistenti materia : ergo saltem firmamentum est factum ex materia transmutabili, adeoque ejusdem rationis cum sublunari.

Resp. ex D. Th. p. p. PP. non ex propria, sed Platonis sententia, cui studium vacaverunt, fuisse locutos. Vel id dixisse, ut faciliùs concluderent Cœlum non esse ab æterno. Vel loqui de unitate generica : vel de unitate ordinis.

Ad Conf. dico, fuisse factum secunda die, non quò ad substantiam, sed quò ad accidentalem duntaxat perfectionem.

Dices. Si per impossibile Cœlestis materia informaretur forma humana, Homo ille ejusdem esset rationis cum cæteris Hominibus ; sed hoc esse nequit, nisi Cœlestis, & sublunaris materia ejusdem sint rationis : ergo &c.

Resp. quòd esset ejusdem rationis repugnanter, esset nempe, & non esset. Esset, quia formam ejusdem rationis cum cæteris haberet hominibus. Et non esset, quia non haberet materiam ejusdem rationis. Materia siquidem quamvis non sit ratio formalis constituendi compositum ; tamen essentialiter ejus ad unitatem requiritur, ut diximus 1. phys. q.3. art. ultimo.

10. Arg. postremò. Nequeunt plures extare causæ efficientes primæ : ergo nec plures causæ materiales primæ, sive materiæ specie distinctæ.

Resp. ex dictis nuper num.8. ad 4. discrimen esse, quia causa efficiens non specificatur ab aliquo extraneo. Præterea (ut 8. Phys. art.2. §.3 ad Conf 4. arg. diximus) causæ efficientes sunt invicem subordinatæ in causando, idcircò necessè est, deveniri ad aliquod primum unicum movens. Materia autem sublunaris in ratione causæ materialis non per se subordinatur Cœlesti ; sed subordinatur duntaxat agenti, à quo movetur ad formam.

§. IV.

Num materia cunctorum sublunarium sit ejusdem rationis specificæ.

11. RESp. affirmativè. Ratio est, quia materiæ cunctæ sublunares respiciunt non diversos actus adæquatos, benè verò eundem actum adæquatum : ergo &c. Prob. ant. Materia cujuscunque corporis sublunaris potest successivè quamcunque excipere sublunarem formam : ergo.

Objectio quædam quæ fieri hic posset, dissoluta extat ex dictis n.5 ad objectionem iactam contra responsum datum ad 5. arg Videatur ibi.

12. Objicies. Materiæ corporum sublunarium inspiciunt formas specie distinctas : ergo sunt specie distinctæ.

Resp ex dictis 1. Phys. q 2. art. 5 §.3. ad 1. arg. num.6. formas sublunares esse specie distinctas duntaxat in esse entis, at non in esse formæ ; quia omnes amissibiliter informant, Vid. ibi

13. Inquiri demum posset, num omnium sublunarium materia sit una numero. Verùm breviter

Resp quòd si materia sumatur ut radicat talem quantitatem, distinguitur numero positivè ab alia ex dicendis in Metaphysica q. 52. Si verò sumatur secundùm se est una vel distincta numero duntaxat negativè ; quia, ut ibi ostendetur, materia prima non est hæc numero, nisi prout hanc radicat quantitatem.

Hinc si per impossibile una pars materiæ aquæ forma nudata separaretur ab alia, distingueretur ab illa per ordinem ad quantitatem.

ARTICULUS QUARTUS.

Num Cœlum sit Animatum.

§. I.

1. ADmonitum te velim, quòd tripliciter sumi Anima potest. Primò latissimè & metaphoricè pro ornatu, ut exposuimus 8. Phys. q.1. art. unico in Præloquio num. 2.

num. 2. juxta Platonis mentem 2. Latè pro vivente extrinsecè assistente, ac movente. Quo pacto Nauclerus nuncupatur Navis Anima 3. pressè, & propriè pro forma vitali intrinsecè informante. De qua loquendo

Quatuor sententiarum, Prima tenuit, Cœlos esse animatos anima intellectiva, imò Beata, ac Divina. Hanc amplexati sunt Egyptii, qui Solem, cæteraque sidera ut Deos colebant. Et quò ad intellectivam non Divinam idipsum sensit Plato, Philo hebræus, Avicenna, Origenes, & alii; quamquam D. Th. dicat, Platonem de Anima secundo modo prædeclarato fuisse locutam. Num verò Sol, & Stellæ sint viventes videtur dubitasse Aug. apud Eminentiss. Henricum Card. de Noris in suis Vindiciis Augustinianis cap. 4. §. 2.

Secundæ placuit, esse animatos anima vegetativa, & sensitiva. Qua in sententia fuere Stoici.

Tertia docuit, esse animatos sola anima loco-motiva. Hujus inventor, & unicus Patronus extitit Eusebius Nierembergius.

Quarta & vera communis inter Philosophos, & Theologos cum D. Th. est nostra.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

2. Videri potest S. Th. p. p. q. 70. art. 3. per totum. Cujus ratiocinio

Prob. Quod nullum habet esse vitale, nullatenus est animatum; sed Cœlum nullum habet esse vitale: ergo &c. Prob. min. Quod nullam habet operationem vitalem nullum habet esse vitale; sed Cœlum nullam vitalem operationem habet: ergo &c. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd operari sequitur ad esse. Et sanè perridiculum foret Animam agnoscere, ubi nullum animæ apparet vestigium. Eò vel maximè quòd rerum essentias nonnisi à posteriori deprehendere possumus, cùm eas à priori probare minimè possibile sit, ceu illas, quæ rei cujuslibet prima sunt principia. Min. autem prob. Nam non obtinet operationes vitæ intellectivæ, quia istæ in hypothesi essent operationes vel alicujus formæ spiritualis completæ expertis materiæ. Et hoc non, quia art. primo ostensum est, Cœlum esse ex materia, & forma compositum. Vel alicujus formæ spiritualis incompletæ existentis in materia, veluti Anima nostra. At neque hoc esse potest, quia hujuscemodi operationes, nimirum intelligere discursivè exercentur dependenter à Phantasmatibus, ac per consequens dependenter à sensibus, quos mox videbimus Cœlis minimè competere. Præterea non possidet vitæ sensitivæ actiones, quia ubi repugnat sensus tactus, repugnant & cæteri sensus omnes, omnesque proinde vitæ sensitivæ actiones; eò quòd tactus ceu omnium infimus est prima cunctorum Basis fundamentalis; sed Cœlo repugnat tactus, utpote qui circa primas versatur qualitates, quas art. 2. à Cœlis profligavimus: ergo &c. Demum vitæ vegetativæ actionibus inops est; Tum quia istæ sunt nutritio, augmentatio, & generatio, quæ cum Cœli incorruptibilitate conciliabiles non sunt. Tum quia ut 2. de Anima q. 2. art. 1. §. 2. Dicetur, istæ fiunt dependenter à qualitatibus elementaribus.

Conf. Cœlum non est animatum Anima intellectiva, nec vegetativa, nec sensitiva: ergo nulla. Ant. prob. & primodùm de intellectiva. Ista siquidem Cœlum si animaretur esset capax beatitudinis, cum tamen quisque non Idololatra certò noverit, ea duntaxat Angelus, & Homines perfrui. Imò quemadmodum inter Angelos alii ad gehennam, alii ad gloriam sunt destinati; ita nulla major est ratio, cur ad Divinæ ostensionem bonitatis, & justitiæ aliquod ex Cœlis gloriæ, & aliud Averno esset addictum. De sensitiva quoque conspicuum est. Quis namque insanus adeo, ut in Cœlis aures, oculos, nares &c. Deprehendat. Tandem etiam de Vegetativa. Quandoquidem undè Cœlo continuum suppeditatur pabulum, quo nutriatur, & crescat? Non enim potest vaporibus ali; quia cùm ex istis aquæ, nives, grandines, &c. in tanta copia procreentur, impossibile est, tantos adhuc superesse, ut alere Cœlos valeant, qui ferè in infinitum terram magnitudine excedunt.

3. Denique contra Nierembergium Prob. de loco-motiva. Tum quia, ut 2. de Anima q. 2. art. 5. Dicetur, locomotivum non est aliud Animæ genus, estque duntaxat vivendi gradus ad Animam secutus sensitivam. Tum quia, ut ibidem videbimus, motus localis proprius viventium procedit ex appetitu elicito circa bonum aliquod, ad quod consequendum quis se movet. In quo secernitur viventium motus à motu gravium, & levium, cæterorumque non viventium; sed appetitus elicitus, ad differentiam innati, supponit cognitionem aliquam vel sensitivam, vel intellectivam: ergo nisi est animatum Anima intellectiva, aut sensitiva, neque erit animatum Anima loco-motiva. Tum quia ratio loco-motivi est perfectior vivendi modus, quàm modus vivendi purè vegetativus; sed non stat vita perfectior absque imperfectiori, quoties ex genere suo unà cum altera non pugnat: ergo Cœlum si foret animatum Anima loco-motiva, esset quoque animatum vegetativa Anima, vel si non ista, nec illa. Maj. & min. sunt conspicuæ. Maj. quidem; quoniam loco-motivi ratio in animalibus duntaxat perfectis residet, & innumera sunt vegetativa, & nonnulla sensitiva, quæ loco-motiva non sunt. Min. itidem. Sine vegetativo namque non stat sensitivum, quod perfectius est, nec sine sensitivo rationale.

Meritò igitur Augustinus lib. de cognitione veræ vitæ cap. 6. *Qui sidera*, inquit, *rationabilia, vel saltem sensibilia corpora arbitrantur, jure sensu carentes inter irrationabilia computantur.*

§. III.

Adversariorum argumenta solvuntur.

4. Objici nonnullæ possent SS. PP. nec non Arist. authoritates. Verùm facilè interpretamur de Anima latè accepta, pro vivente extrinsecè assistente, nimirum intelligentia motrice, idest Angelo movente.

Arg. 1. Corpus Cœleste est cunctis sublunaribus perfectius ceu incorruptibile; sed non pauca sublunaria sunt viventia: ergo &c.

Conf. Corpori perfectiori perfectior debetur forma; sed forma vitalis est non vitalibus perfectior: ergo &c.

Resp. ad arg. quod videbimus infra q. 3. art. 2. §. 3. ad 4. arg. num. 6 Cœlum esse perfectius sublunaribus duntaxat secundùm quid, ex eo, quòd est incorruptibile.

Ad Conf. Resp. tum ex dicendis quæstiuncula 2. ponenda hic post art. 6. *Dico* 2. tum ex dictis 1. phys. q. 2. art. 5. §. 3. n. 6. ad 1. arg. formam Cœlestem esse perfectiorem tantummodo in esse formæ, at non in esse entis. Vid. ibi

Contra. Causa efficiens est simpliciter perfectior, vel saltem æquè perfecta, ac effectus; sed Cœlum est causa efficiens horum sublunarium etiam animatorum, cùm Sol, & Homo generent hominem: ergo &c.

Resp. 1. ex D. Th. p. p. q. 70. art. 3. ad 2. maj. esse veram de causa principali, at non de instrumentali. At Cœlum efficit sublunaria ut motum ab intelligentia, & in virtute ipsius, adeoque ut instrumentum ejus.

Secundò. Quòd Cœlum causat sublunaria etiam animata ut causa principalis, non secundùm gradum vitæ, sed solummodo secundùm corporis gradum.

Contra primum resp. Instrumentum agit per virtutem vialem, & transeuntem ex dictis 2. Phys. q. 2. art. 1. sed non sic operatur Cœlum: ergo &c. Prob. min. Quod agit per virtutem vialem, & transeuntem, hac abeunte cessat à sua operatione; sed Cœlum nunquam cessat causare sublunaria: ergo &c.

Contra alterum. Ex dictis 2. Phys. q. ult. art. unico §. 3. num. 6 in fine ad ult. inst. contra resp. Datum ad 1. arg. Homo V. G. licèt quatenus tale vivens tale sensitivum producatur ab alio Homine; attamen secundùm rationem viventis sensitivi absolutè accepti causatur à causis universalibus; quemadmodum sub ratione universalissima entis causatur à Deo ut causa universalissima; sed causæ universales sunt Cœli: ergo Cœlo causant sublunaria etiam quo ad vitæ gradum.

Resp. ad 1. nego min. Ad prob. dico quòd jugiter operatur, non per eandem virtutem, sed per novam successivè virtutem sibi ab Intelligentia derivatam.

Ad 2. Resp. utique & vitam causare, non tamen se solis, sed cum sua Intelligentia motrice.

Dices. S. Th. p. p. q. 110. art. 2. negat, materiam corporalem transmutari ad nutum Angelorum: ergo non in istorum virtute causant sublunaria.

Resp. D. Th. ibi velle, quòd non solus nutus, sed actio

Angeli concurrat. Vel ex Compl. S. Th. loqui de Angelis se solis, aliquo absque instrumento agentibus.

5. Arg. 2. Per Philosophum 8. Phys. tex. 34. Primum in genere mobilium movet seipsum; sed primum in genere mobilium localiter est Cœlum: ergo movet seipsum localiter, proindeque est animatum anima saltem loco-motiva.

Resp. ex D. Th. p. p. q. 70. art. 3. dist. maj. movet seipsum ut constituitur ex mobili, & motore, concedo, se solo, nego maj. & data min. nego consequentiam.

Contra. Arist. dum id docet, id intendit aliqua cum differentia ab aliis quæ non sunt prima in genere mobilium; sed differentia hæc minimè salvatur nostro in glossemate: ergo &c. Prob. min. Siquidem etiam baculus motus ab Homine posset dici, movere seipsum ut importat mobile, & motorem assistentem. Idem dic de Navi mota à Nauclero, &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. posset dici minùs aptè, concedo, tanta cum aptitudine, & congruentia, nego ant. & conseq. Congruentiùs dicitur de Cœlo, quia istud suapte natura inclinat secundùm principium passivum ad talem motum, & exigit etiam secundùm idem principium intelligentiam motricem; quia ut 2. Phys. quæstiuncula 1. §. 4. diximus, motus localis est Cœlo connaturalis secundum principium passivum.

Dices 1. etiam motus sursum, & deorsum est connaturalis gravibus, & levibus; & tamen ista etiam ut important mobile, & movens, nimirum generans, non dicuntur movere seipsa, secùs nulla esset differentia inter primum in genere mobilium, & ista: ergo tametsi &c.

Secundò. Sequeretur, omnes motus esse naturales, cùm materia, quæ est in omnibus principium passivum inchoet in omnes motus: ergo &c.

Tertiò. Ideo S. Th. p. 2. q. 9. art. 6. probat, voluntatem à solo Deo posse moveri, quia à solo Deo potest creari; sed Cœlum nequit creari ab intelligentia: ergo nec ab intelligentia moveri.

Resp. ad 1. nego conseq. & paritatem. Discrimen est; quia motus gravium, & levium non terminat per se primò actionem generantis, sed duntaxat de secundariò, & per modum proprietatis. Motus autem Cœli per se primò terminat actionem virtutis, seu Intelligentiæ motricis.

Ad 2. responsum dedimus 2. Phys. in præambulis quæstiuncula prima §. 2. num. 7. illac adeas.

Ad 3. Resp. ex Compl. quòd id S. Th. ibi probat ratione materiæ, ideo causalis illa valet duntaxat ratione materiæ, quatenus illud solum valet voluntatem movere, quod in se continet omne bonum, quo tantùm voluntas, seu illa, quæ est inclinatio in bonum universale, moveri potest; & aliàs nemo continet omne bonum, nisi solus Deus, qui Angelum creavit. Non autem ratione formæ; Idcircò non tenet in omnibus. Sed de hoc redibit iterum sermo q. 3. art. 2.

6. Arg. 3. Deut. 32. dicitur *audite Cœli quæ loquor*. Hier. 2. *Obstupescite Cœli super hoc*. Psal. 148. *Laudate eum Cœli cœlorum*; sed audire, obstupescere, & laudare sunt actiones viventium: ergo &c. Item Psal. 32. *Qui fecit Cœlos in intellectu* (exponit Cajet.) *intelligentes*. Similiter Ecclesia *Cœli cœlorumque virtutes, ac beata seraphim socia exultatione concelebrant*. Ubi Cœlorum inter virtutes, aliosque Angelicos ordines, ut ab ipsis cunctis distincti supputantur laudantes Cœli: ergo &c.

Resp. vel quòd audire, &c. attribuuntur Cœlis metaphoricè, sicut etiam cùm dicitur *audiat terra verba oris mei*. De quo S. Th. p. p. q. 68. art. 2. in corp. Vel nomine Cœli intelligendos esse Angelos, & de istis loquitur Cajet. Tandem ad illud, quod Ecclesia canit Resp. ibi, dinumerare duntaxat virtutes Cœlorum. Ly namque Cœli est casus obliquus, nimirum genitivi casus; non vero rectus. Nominat siquidem priùs sub uno omnes Cœlos, & postea omnes divisivè.

7. Collige quàm infirma sit opinio asseverans, Cœlos esse animatos, quæ apud nonnullos hæretica censetur. A qua tamen censura se abstinet S. Th. 2. contra Gentes cap. 70. ubi *hoc autem*, concludit, *quod dictum est de animatione Cœli, non diximus, quasi asserendo secundùm fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet sive sic, sive aliter dicatur*.

Videnda etiam erunt quæ dicam q. 3. art. 2. §. 3. ad 4. arg.

ARTICULUS QUINTUS.

Sit ne Cœlum corpus solidum.

§. I.

1. SOlidum sumi tripliciter potest, missis aliis acceptionibus legendis apud Calepinum. Primò prout idem penitus est, ac perfectum; quo in sensu apud Jurisperitos habens dominium perfectum dicitur habere dominium solidum de re aliqua. 2. Prout idem est, ac permanens; in quo sensu Plinius lib. 1. cap. 54. *nulla*, inquit, *profectò est solida lætitia*. 3. Prout idem est, ac firmum contradistinctum à fluido, ob idque quemadmodum fluidum dicitur, quod est facilè permeabile, facilè dividenti cedit, atque sine penetratione alia corpora excipit, ut aqua, aer &c. ita solidum dicitur, quod duritie pollet, dividenti obsistit, aliaque corpora à se repellit, ut marmor, adamas, crystallus, &c. Et hoc tertio hic sumitur modo, ubi tres extant sententiæ.

2. Prima extrema profitetur, Cœlos omnes esse fluidos; quæ placuit Rabinis, aliisque antiquis, quos refert hic Arnù. Hosque sequitur Saguens tom. 4. disp. 18. art. 4. & num. 7.

Secunda media defensitat, cœlorum aliquos solidos, aliquos fluidos esse. Alii namque, ut Cabæus quibusdam cum paucis contendit, Cœlum Lunæ, & Cœlum stellatum esse solidum; Cœlos verò aliorum Planetarum fluidos esse. Alii verò Cœlum duntaxat stellatum, sive firmamentum dicunt, esse solidum, cæteros verò fluidos esse. Sic plures, quos fusè refert Arnù; ex modernis verò Oviedus, Arrsius, & Semery.

Tertia extrema sententia propugnat, Cœlos omnes solidos esse. Hanc omnes amplexantur Thomistæ, ac Scotistæ, quibus adhærent Conimb. Sacroboscus, Suarez, & plerique alii, quos refert Arnù.

§. II.

CONCLUSIO.

Cœli solidissimi sunt.

3. QUam statuit Arist. ferè toto hoc tract. Præsertim verò hic lib 2. tex. 43 Mag. sent. in 2. sent. dist. 14. quos sequitur D. Th. tum ibi, tum p. p. q. 68. art. 2. in corp. quem sequuntur ferè universi Theologi.

Antequam probetur conclusio suppono, perridiculum esse somnium placitum Cartesii, qui postquam dixit, corpuscula componentia res naturales alia esse cubica, alia oblonga, alia sphærica, docet, globulos, seu corpuscula corpus fluidum componere, nempe Cœlum.

Suppono inquam, Tum quia festinè manifestum fiet, Cœlum esse corpus solidum. Tum quia secum ipse pugnat. Quandoquidem Cartesius, globulos dicit, esse solidissimos p. p. num. 123. eosdem validissimè se premere asserit 3. p. num. 62. Duri autem, ac solidi globuli invicem pressi durum corpus componunt, ut de se clarum est, & asserit ipse Cartesius 4. p. num. 130. Præterea subtilis materiæ particulas supponit fragiles, suæque figuræ minimè tenaces, atque adeo fluidissimas 2. p. n. 35. & 3. p. n. 7. sed sic est, quòd juxta ejus principia durissimæ, atque solidissimæ esse debent: ergo &c. Prob. min. Durities est sita in quiete partium, ut ipse ait 2. p. n. 55. soliditas verò in eo, quod aut nulli, aut pauci in corpore sunt pori, ut ipse scribit 3. p. n. 123. sed subtilis materiæ particulæ nullis excavantur poris, & earum quælibet medietas medietati quietè adhæret: ergo &c. Min. enitescit. Non enim ex aliis ab invicem discretis componitur, secùs non esset unum primordiale frustulum: ergo &c.

Adde, quòd tanta est ejus contradictio, ut ex ea sequeretur, non solùm Cœlum, verùm etiam aerem oleum esse, & non esse solidum. Idque ostendo. Quandoquidem oleosa corpora, & aerem ex ramosis particulis, & ex aliis ad motum minùs aptis componit Cartesius 4. p. n. 262. sed fluida ipsemet dicit, componi ex particulis ad motum aptissimis 2. p. n. 56. Itaque aer, & olea solida erunt, & non fluida. Demum corpuscula ista refutata sunt 1. Phys.

4. Prob. ex illo Job 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ex ære fusi sunt?* & ex illo

Apost.

Apost. ad Heb. 4. *habemus Pontificem, qui penetravit Cœlos*; superflua autem est penetratio, ubi non est obsistentia.

Promptè respondent adversarii, præsertim Jo: Ille Saguens, nos textu scripturali abuti, eò quòd verba illa non à Job prolata sunt, sed ab Eliù ejus amico, qui in fine libri illius reprehenditur tanquam malè locutus. Sed

Contra instant Compl. & post ipsos Guerinois. Falsum est ibi reprehendi Eliù. Reprehenditur siquidem Job, ut patescet integrum legenti textum, qui talis est: *respondens autem Dominus de turbine dixit, quis est iste involvens sententias*, &c.

Præterea quamquam verba amicorum Job quò ad ea, quæ de Jobi calamitatibus ut peccati fructu senserunt, arguantur; tamen in reliquis eorum authoritas habetur perinde, ac illa Jobi apud SS. PP. qui eorundem verbis tanquam canonicis utuntur. Eapropter verba illa tantam fecere authoritatem apud Dionys. Carthus. ut lib. de dist. q. 3. *inviolabili*, dixerit, *authoritate scripturæ canonicæ Cœli Solidissimi sunt quasi ex ære fusi*.

Promptiùs respondent Oviedus, &c. loqui de aliquibus duntaxat Cœlis. Sed

Contra. Si Oviedus, aut Aresius, & Semery ubi dixerunt, *Cœlos esse fluidos dempto firmamento*, dixissent absolutè, Cœlos esse fluidos, quis non intellexisset, eos dicere de omnibus Cœlis? Cùm ergo scriptura loquatur absolutè, nullo absque addito, jam dicendum est, loqui de omnibus Cœlis. Eò vel maximè, quòd Christus omnes penetravit Cœlos & quidem penetratione propriè dicta, quia testimonio illo omnes utuntur Philosophi ad probandum, duo corpora non posse eodem in loco naturaliter penetrari.

5. Prob ratiociniis. Et primùm de firmamento, sive Cœlo sidereo. Ipsum namque Firmamenti nomen firmitatem, sive soliditatem significat; sed hujusmodi est Cœlum stellatum, de quo dicitur Gen. 1. *dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum*, &c. *vocavitque Deus firmamentum Cœlum*: ergo &c. Præterea adversarii non aliunde Cœli fluiditatem colligunt, nisi ex Planetarum motu; atqui sidera fixa Cœli siderei nunquam moventur, idcircò fixæ vocitantur, ad differentiam Planetarum, qui stellæ errantes dictitantur: ergo &c.

Eapropter plerique recentiorum dixere, hoc duntaxat Cœlum solidum esse. At immeritò. Quandoquidem peto, quòd sidereum Cœlum sit solidum oritur vel ex perfectione, vel ex imperfectione ejus naturæ? cùm stellarum immobilitas sit ratio duntaxat à post. suæ soliditatis. Si primum, ergo primum mobile, & Cœlum Empyreum, qui perfectiores sunt, multò magis erunt solidi. Si secundum, ergo Cœli inferiores, nimirum Planetarum, qui sunt Cœli imperfectiores, multò magis erunt solidi.

6. Prob. Præterea ratiocinio universaliter de cunctis Cœlis convincente. Corpus quodlibet fluidum est corruptibile; sed, ut art. 2. probavimus, Cœlum est incorruptibile: ergo &c. Prob. maj. Corpus omne fluidum est divisibile; sed omne divisibile est corruptibile: ergo &c. Prob. min. siquidem, ut 6 Phys. sub finem vidimus, res omnes naturales terminum intrinsecum suæ parvitatis sortiuntur; sed res quælibet divisibilis potest in partes minimas, & minimas in infinitum usque distribui, ut pariter ibidem art. 2. de continuo ostendimus: ergo &c.

Quæ ratiocinatio estò videatur robur non habere, nisi eorum in sententia, qui annuunt, Cœlum incorruptibile esse, attamen efficax est contra omnes. Etenim data etiam Cœli corruptibilitate, esse verò saltem difficiliùs corruptibile, quàm corpora sublunaria inficiabitur nemo, secùs Cœleste corpus nullatenus perfectione excederet imperfectissima ex sublunaribus, ut lapides, cùm tamen haud alio in aliquo ac in Cœlis Universi emicet perfectio; atqui eis deterius esset, si fluidum foret: ergo &c. Prob. min. Palam siquidem est, corpora solida, ut lapides, ferrum &c. esse ægriùs corruptibilia, quàm fluida corpora, ut aqua, aer &c. ergo si &c.

Conf. Difficiliùs debet cedere dividenti Cœlum, quàm corpus quodlibet sublunare; sed istorum non pauca propter sui soliditatem laboriosiùs dividenti cedunt, quàm corpora fluida, quæ facillimè corporibus illa permeantibus secantur: ergo &c. Prob. maj. Divisio est de genere mali: ergo Cœlum cùm præstet perfectione cunctis, saltem sublunaribus non viventibus, jam &c. Ob idque Philosophus hic 1. de Cœlo cap. 2. dicit, Cœleste corpus Divinum quoddam esse.

Urg. Nobilissimo Corpori nobilissima danda est proprietas, seu qualitas; sed soliditas est fluiditate nobilior, cùm majorem sui subjecti in esse persistentiam, difficilioremque divisibilitatem dicat: ergo cùm Cœlum sit nobilissimum, nobilissimum occupans locum, jam &c.

7. Prob. demum. Si Cœlum fluidum foret, posset unum Cœlum moveri alio immoto, imò posset moveri Cœlum V. G. Solis immoto Sole; eum ad modum, quo pisce immoto potest aqua moveri, moveri aer ave immoto, sed videmus, Cœlum Solis unà cum ipso Sole ad motum primi mobilis spatio 24 horarum totum complere cursum ab ortu ad occasum: ergo &c. Sanè si Cœlum fluidum foret, Planetæ quaquaversum discurrerent, quemadmodum pisces in aqua, aves in aere, &c. Sicque nullus haberetur motus regulatus, ac ordinatus, nullusque futurus eventus posset determinatè prævideri. Quæ omnia quàm absurda sint ex eo deprehendi potest, quòd complures Planetarum ad invicem conjunctiones pluribus ab annis prævideantur; necnon plures in sublunaribus eventus eorum ex motibus. De quo iterum n. 13.

§. III.

Solvuntur adversæ partis argumenta.

8. ARg. 1. à priori. Quò superiora sunt corpora simplicia, eò fluidiora sunt; sed Cœli sunt superiores cunctis elementis: ergo fluidissimi sunt. Maj. conspicua est in aere, qui est fluidior aquâ, ignis fluidior aere, &c.

Resp. dist. maj. in his, quæ cientur à medio, vel ad medium, concedo, secùs nego maj. & data min. nego conseq. Equidem in his stando, quæ moventur à medio, vel ad medium, nimirum ad centrum, vel à centro, quæ superiora sunt, fluidiora sunt, quia quæ solidiora sunt, magis idonea sunt, ut moveantur à medio. At quæ non sic moventur, hoc minimè valet propter oppositam rationem. Vel ex Compl. dicatur, maj. esse veram in his, quæ constant materia ejusdem rationis; at non in his, quæ constant materia diversæ rationis, ut Cœli, & sublunaria.

9. Arg. 2. Corpus, quod scinditur per alterius corporis motum in ipso est fluidum; sed Cœlum est hujusmodi: ergo &c. Prob. min. Planetæ motibus retrogradis moventur per Cœlos: ergo &c.

Si dicas, Planetas moveri in suis circulis, dictis Epicyclis.

Contra est: ergo Cœlum scindetur per Epicyclos, dum isti per eum aguntur.

Resp. 1. ad arg. Planetas moveri motu proprio retrogrado ad motum proprii sui Cœli, non verò cieri ipsos Planetas per suum Cœlum. Quòd si obliquo motu differenti à sui Cœli motu, dico, moveri motu circulari propriis in Epicyclis, positis, & motis in eadem tractim parte Cœli, non verò peragrando, & locum mutando secundùm se totos.

Secundò. Nego min. Ad prob. dico, in Cœlis adesse tramites quosdam, & veluti canales, per quos planetæ moventur.

Contra. Ex hoc sequeretur, vacuum aliquod in Cœlis. Quod prob. Si quidem versus occasum cietur, pars spatii illius tramitis orientem versus, à qua Planeta secedit, vacua remaneret.

Respondent nonnulli, tramites illos esse repletos substantia quadam tenuissima, atque fluidissima.

Aliis autem displicet solutio ista; quia substantia ista vel est ejusdem naturæ cum ipsis Cœlis: ergo & ipsa erit corpus solidum, non secùs, ac Cœli ipsi. Vel est diversæ naturæ ab illis: ergo diversum quoque postulat naturalem locum, quemadmodum cætera corpora simplicia inter se diversa, loca efflagitant diversa sibi propria; adeoque erit ibi perpetuò in statu violento. Quod minimè dicendum. De quo iterùm q. 3. art. 2. §. 2.

Resp. Igitur est, esse circulos, sive Epicyclos quosdam, in quibus moventur ad eundem epicyclorum motum. Qui circuli, sive epicycli totum occupant tramitem illum, suntque realiter à Cœlis distincti. Ob idque nullum remanet vacuum. Ad eum modum, quo si rota una poneretur in alia rota; & ipsi rotæ inclusæ affigeretur clavus, & iste

clavus moveretur ad motum illius rotæ inclusæ, quæ totam sotam includentem gyrat.

Si instes. Et est potissimum adversæ partis fundamentum. Planetæ aliqui, ut Mercurius, Venus, & Mars moventur motu, non solùm circulari, verùm etiam sursum, interdum deorsum. Siquidem nonnunquam cernuntur supra, nonnunquam infra Cœlum; sed non sic possent moveri, nisi Cœlum scinderent: ergo &c. Maj. docetur communiter ab Astronomis, & (ut loquitur P. Semery) cum juramento à plerisque affirmatur. Nec est verosimile, quòd isti omnes hallucinentur.

Respondent, nego maj. Ad prob. dist. ant. ab Astronomis recentioribus, concedo, vetustis, nego maj. & data min. nego conseq. Et quidem probabilius est modernos fuisse deceptos, quàm antiquos, qui, ut vel ipse Semery fatetur in suis probationibus, nusquam Cœli fluiditatem somniarunt. Probabilius, inquam, propter dicta att. 2. §. 3. n.8. sub finem ad 4 arg. & magis loco ibi relato. Eò vel maximè, quòd id specialis suadet ratio, Tum quia uni corpori simplici unus dumaxat localis motus est connaturalis, ut palam est in elementis. Si autem Planetæ illi cierentur etiam sursum, & deorsum, jam duo, imò tres locales motus forent eis connaturales, nimirum circularis, sursum, & deursum. Tum quia sequeretur, idem simul agi per se tribus motibus contrariis, circulati nempe, & etiam secto, sursum videlicet, & deorsum. Quod tamen esse falsum ostensum est 5. Phys.

Si autem fortè verum est, quòd nonnulli in autographis jactant, se via mathematica ostendere ex eclipsi, quam tunc unus Planeta alteri inducit (quod tamen minimè credendum est) recurras ad s. responsum de substantia illa tenui fluida intra illos tramites latitante. Et ad oppugnationem dicatur, eam esse diversæ naturæ à Cœlis. Nec proinde sequitur, diversum exigere locum naturalem. Non, inquam, quia dici poset, illa duntaxat corpora simplicia exigere proprium peculiarem locum, quæ principales sunt Universi partes ut elementa, Cœli, &c. vel de istis participant. At substantia illa &c. non est pars principalis universi, sed quid omnino ab eis diversum ordinatum ad inserviendum principalioribus Universi partibus.

Eo autem in casu dicendum foret, quòd motus sursum, & deorsum illorum Planetarum essent præternaturales, non verò naturales, nec violenti. Similiter eo in instanti, in quo moventur sursum aut deorsum non moveantur circulariter. Solutio alia apud Guerinois.

Dices & iterum est aliud potissimum Adversariorum fundamentum. In Cœlo plura sunt phenomena, sive cometæ, qui cientur per Cœlum supra Lunam, cæterosque superiores supra planetas; sed hoc esse minimè posset, nisi Cœlum corpus fluidum foret: ergo &c.

Ad hoc solutionem habes ex dictis art. 2. §. 3. n.8. Quòd si nonnulla ibi miraculosè fuere, miraculosè quoque penetrativè movebantur, quemadmodum Christus Cœlos ascendendo, & Beatorum corpora.

10. Arg 3 Cœlum est corpus subtilissimum, ut omnes obtestantur astronomi; sed hujuscemodi corpus est fluidum, neutiquam verò solidum; ergo &c.

Resp. quòd per ly *subtile* sumunt, non prout idem perinde est, ac tenue, sed prout idem sonat perinde, ac perspicax, & acutum. Quemadmodum namque intellectio, demonstratio, aut visio acuta, & perspicax nuncupatur intellectio, &c. subtilis; sicut etiam medium, quod sit valde proportionatum vocatur subtile, nimirum perspicax valdè, & acutum. Hujusmodi autem est Cœlum, quod, ceu diaphanum, clarissimum, firmissimum, est summè visioni idoneum, cùm cœli inferiores V.G. Lunæ, &c. minimè impediant, cerni planetas in superioribus Cœlis, puta Solis, &c

Dices. Nisi Cœlum esset subtile, idest tenue non haberetur per quod juvari Beatorum respiratio posset post judicii diem.

Ad hoc, quo nonnulli moti sunt ad annuendum, quòd Cœlum saltem Empyreum sit corpus fluidum (circa quod aliquid infra q.5. quod nimirum dicta §. præcedenti probant etiam, imò, & magis de Empyreo) respondent nonnulli, extare in Empyreo Cœlo substantiam quandam valdè tenuem.

Qui autem n. antegresso relati hanc improbant doctrinam, negant suppositum, quòd nimirum in Patria Beatus anhelitu indigeat, secùs passibiles forent; quia ejus impeditur anhelitus ex maxima in Deum elevatione. Ratio autem est, quia eatenus nos anhelitu opus habemus, quatenus necessè habemus aerem attrahere ad temperandum calorem, qui continuo ex cordis motu causatur. In patria autem Beati erunt donati qualitatibus quibusdam Cœlestibus, quæ id muneris præstantiori implent modo.

Videnda tamen erunt quæ dicam 2. de Anima q.5. quæstiuncula prima de sensibus externis in particulari, semiquæstiuncula 2. quæsito 2. non longè ab initio.

11. Arg. 4. ad nostrum oppugnandum ratiocinium n 6. habitum. Materia prima est divisibilis vel per se vel per accidens; & tamen est ingenerabilis, & incorruptibilis, ut 1. Phys. q. 2. in fine diximus: ergo ex eo, quòd fluidum sit divisibile non benè infertur esse corruptibile.

Resp. dato ant. dist. consequens si aliquod sit compositum naturale, concedo, secùs, nego conseq. Discrimen autem inter compositum naturale, & materiam primam in hoc situm est, quòd videlicet eatenus nos probavimus, quòd si Cœlum esset fluidum foret divisibile, proindeque corruptibile; quia cùm continuum sit divisibile in infinitum, ad tantam posset materiæ minimeitatem deveniri, ut in ea non posset forma suas exercere operationes, cùm, ut 6. Phys. probavimus, res naturales habeant suæ parvitatis terminum intrinsecum. Hoc autem de materia prima non currit, quæ si ad tantam redigeretur exiguitatem, ut in ea salvari nequeat forma, quam possidet, utique talis forma corrumpetur, non verò materia, quæ novam tunc acquiret formam salvabilem in minori materia, puta formam vaporis &c. genitam ex corruptione præcedentis formæ, cùm corruptio unius sit generatio alterius.

12. Arg. postremò. Isaiæ 5. dicitur *Cœli sicut fumus liquescent* ubi sic vertunt 70. *Cœlum sicut fumus firmatum*; sed fumus non est quid solidum: ergo &c.

Resp. ex dictis art. 2. §. 3. n.7. ad 3. arg. loqui de Cœlo aereo.

13. Colligi ex dictis potest, quòd si Cœlum esset fluidum jam non forent plures distinguendi Cœli, sed unum duntaxat extaret Cœlum in plures divisum regiones: ad eum modum, quo in tract. de meteoris consid. 1. n. 7. dicemus, quòd unus est aer in tres distributus regiones, nimirum supremam, quæ in illa incipit parte, ad quam ultimò pertingit calor ignis existentis in concavo Orbis Lunæ, juxta dicenda lib. 2. de Gen. & Corrupt estque calidissima, ac in ea gignuntur cometæ, fulmina, &c. Infimam, illam nempe, quæ in illa incipit parte, ad quam usque pertingunt Solis radii, dum è terra veluti pila resiliunt, estque temperata. Mediam, illam nempe, quæ has duas interiacet, estque frigidissima, in qua gignuntur pluviæ, grandines nives, &c Et ratio est, quia in casu, quo Cœlum foret fluidum, totum corpus illud fluidum commisceretur. Esse autem unicum duntaxat Cœlum hisce temporibus admiserit nemo. Præterea si Planetæ moverentur sicut aves, vel pisces in aqua, sanè natura illis suppeditasset pedes ad cursum, vel alas ad volatum, vel penulas ad natatum. Quid insanius?

ARTICULUS SEXTUS.

Sit ne Cœlum corpus sphæricum.

§. I.

1. PRo eodem sumitur sphæricum perinde ac rotundum, orbiculare, & globosum ex communi loquendi usu; quamquam Veracrux speculatione 8. velit, inter ista versari discrimen aliquod. Figura autem sphærica illa dicitur, in qua quæque extrema pars æqualiter distat à medio, sive centro. Obidque definitur à Platone in Timeo *in qua omnis extremitas paribus à medio radiis attingitur*. In quo discriminatur ab aliis figuris, puta cubica, ovata, pyramidali, lenticulari, &c.

2. A negantibus sterere veteres Philosophi, quos nonnulli secuti sunt PP. ut Chrysost. Lactantius, & alii. Ab affirmantibus stant impræsentiarum universi Doctores. Cum quibus

§. II.

§. I I.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. ANnuit & Arist. hìc 2. de Cœlo cap. 4. & D. Th. ibidem lect. 5. estque veritas supponenda potiùs quàm probanda. Haocque litim sacra dirimit Scriptura. Quandoquidem Ecclesiastes 1. habetur *Sol occidit, & in locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per medium per meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans universa, in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur*. Ecclesiastici 24. *Gyrum Cœli circuivi sola*. Job. 9. *sub quo curvantur qui portant Orbem*, & plerisque aliis in locis. Præ erea id communiter docent Astronomi.

Prob. 1. Illam Cœlum deber habere figuram, quæ sit omnes inter figuras prima; sed hujusmodi est sphærica: ergo Cœlum est corpus sphæricum. Maj. ex eo fit perspicua, quòd Cœlum suapte natura est primum cuncta inter corpora: ergo &c. ut debita servetur proportio. Min. prob. Prima inter omnes figuras debet esse una; sed sola figura sphærica est una, cæteræ verò sunt plures, vel saltem una ex pluribus constans: ergo &c. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd primum in unoquoque genere est unum, V. G. primum corpus, primumque continens est unum, nimirum supremum Cœlum. Primum efficiens est unum, nempe Deus, sicque de cæteris. Cujus ea est ratio, quia primum habet sibi omnia subordinare, omniaque claudere inferiora. Si autem forent plura, non ampliùs omnia subjicerentur, cùm plura extarent prima insubordinata. Min. prob. Cæteræ omnes figuræ, puta pyramidalis, cylindri, coni, &c. plures exhibent figuras, cùm plures importent facies, & aspectus diversi ex partibus, in quibus diversas protendunt figuras, quæ diversis terminantur lineis diversos per angulos interruptis: è contra verò sphærica figura cùm nullos importet angulos, nec lineas interruptas habet.

Conf. Cœlum est primum, & universale continens: ergo figuram obtinet capacissimam; sed omnibus præ figuris ampliori ambitu gaudet sphærica figura: ergo &c. Min. subs fit manifesta. Etenim duas pone figuras, quarum sphærica una, altera verò alterius sit figuræ æquali cum quantitate, plura suo complectetur sinu prima, quàm secunda, quia anguli in istis aliquid occupant loci, proindeque aliud præpediunt corpus. Præterea Cœlum ceu simplicissimum omnia inter corpora figuram possidere simplicissimam debet; hæc autem est sphærica, quæ una duntaxat est, ut vidimus.

Aliæ quoque à Doctoribus desiderantur conditiones Cœlestem ad figuram, quæ sola in sphærica comperiuntur, & de ea sola prædicantur à Cicerone lib. 2. de natura Deorum, ubi *quid pulchrius*, inquit, *figura, quæ sola omnes alias figuras complexa, quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil confractibus, nihil eminens, nihil lacunosum?*

Verùm enim verò, quia perfectiones istæ non adeo facilè queunt sphærica de figura demonstrari; & aliàs contra plures producuntur objectiones, quas adducit Arnù, qui idcircò rationem hanc ultimam minimè efficacem ducit; eapropter omitti potuisset; quamquam nonnulla pro hujus vindicatione festinè dicentur.

Nec obest, quòd non modò primum corpus, ut est Cœlum, sed & alia corpora sublunaria sint sphærica. Non, inquam. Siquidem ex sublunaribus nullum est perfectè, & perfectissimè sphæricum, saltem suapte natura, ut est Cœlum.

Nec iterum obest, quòd omnes inter Cœlos unicè Empyreum sit primum simpliciter continens. Non, inquam, quia cùm Cœli sic se habeant, quòd unum continetur in alio ut locatum in loco omnimodam per commensurationem, nequit unum esse sphæricum, quin omnes sphærici sint.

Item si quis propugnare, quod ex Cicerone dictum est velit, hoc monitus sit, quòd ly *pulchrior* sumitur, non pro eo, quod magis oculos delectat, Tum quia oculi nonnunquam non discernunt inter magis, & minùs pulchrum, cùm interdum aliquam ex indispositione oculis placeat, quod pulchrum minùs est, ut experimento comprobatur. Tum quia id minimè verificari de sphærica figura satis evincit Gesendus apud Arnù, eò quòd cæteræ figuræ magis oculum pascant propter varietatem; Ob idque maximè emicant in ædificiis. Sanè lapilli pretiosi magis delectant illi, qui non sunt sphæricæ figuræ. Per ly itaque *pulchrior* intelligitur pulchrior dignitate, idest nobilior, & perfectior. Figuram autem sphæricam esse nobiliorem, & perfectiorem probari potest ex eo, quòd prima, & simplicior sit.

4. Prob. 2. Cœlum eam sortitur figuram, quæ magis sit ad motum idonea; sed hujusmodi est figura sphærica: ergo &c. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd Cœlum est à Deo ut continuò moveatur conditum, proindeque maxima cum proportione ad motum. Min. prob. Palam namque est, quod corpora sphærica, ut rotæ, &c. faciliùs moventur. Cujus ratio est, quia sphærica figura nulla habet offendicula, benè verò cæteræ in angulis. Eapropter Cœli si aliam obtinerent figuram, cùm sint inter se contigui (ut infra dicetur) unum mediis angulis in aliud impingeret.

Objicies. Ex hoc sequeretur, Empyreum non esse sphæricum, ceu illud, quod mobile non est.

Resp. quòd licèt non immediatè ex hoc inferatur, infertur tamen mediatè, quia nimirum cum in Empyrei sphæra contineatur alia sphæra subsequens ut locatum in loco omnimoda cùm commensuratione, nequit illa esse sphærica, nisi & illa fuerit. De convexa autem superficie dicemus §. sequenti 3. num. 6. ad 2.

§. I I I.

Argumenta solvantur, quæ ex adverso fiunt.

5. ARg. 1. Ex Lactantio. Si Cœlum foret sphæricum, terra quoque, cæteraque elementa sphærica forent; sed hoc falsum est: ergo &c. Maj. conspicua ex eo fit, quòd terra, aliave elementa, cum circumscribantur Cœlo, opus est, ei aptari ut continenti contentum. Min. prob. Tum quia sequeretur, extare Hemisphærium nobis oppositum, sicque Homines, aliæque res penderent à terra contra Cœlum. Tum quia terræ rotunditati obstat Montium celsitudo, & Vallium profunditas.

Conf. Si Cœlum esset sphæricum, etiam sidera sphærica forent, Tum quia ratiocinatio nostra & de ipsis militat, Tum quia quemadmodum in cæteris accidentibus, ita & in figura Cœlis sidera proportionantur; at hoc propugnari minimè potest: ergo &c Prob. min. Tum quia cernimus, Solem, & Lunam habere planam figuram. Tum quia Luna totam se gibbosam exhibet. Tum quia in Luna plures conspiciuntur maculæ, quæ (ut nonnemo dicit) Hominis protendunt figuram, vel (ut sentire videtur B Alb Magn.) exhibent caput Leonis occasum versus, & ejus caudam orientem versus; quæ ambæ nequeunt esse, nisi Lunæ cavitates quædam. Tum quia eclipsis Lunæ tempore observantur in ipsa asperitates quædam, & prominentiæ.

Resp. ad arg nego min. Ad prob. admitto sequelam, & nego inconveniens illud, quod subinfertur. Etenim qui orbem navigiis lustrarunt, deprehenderunt, hoc Hemisphærium nobis oppositum, ac deprehenderunt, terraqueum globum esse sphæricum, licèt id nobis haud facilè apparet, propter ejus ingentem magnitudinem. Nonnihil tamen & nobis innotescit. Quandoquidem dum Navis à litore recedit, paulatim descendit, ita, quòd notabilem post tractum sola puppis, quæ altior est, appareat, aut sola arbor, postmodum penitùs oculos effugiat.

Illud verò inconveniens, quod in arg. adducitur falsum est sequi nostro ex placito. Ratio est, quia quocunque in Hemisphærio Cœlum est supra, terra verò deorsum, adeoque cùm gravia non moveantur sursum, inde fit, quòd etiam opposito nobis in diametro, nimirum apud Antipodas res non pendeant à terra Cœlum versus.

Ad aliam prob dico, quòd Montium celsitudo, Valliumque humilitas minimè terræ obest rotunditati, quia tantæ est magnitudinis, quòd respectu illius pro parvo, adeoque pro nihilo reputatur, ac insensibilis evadit, sicut talis evadit formicæ V. G. pilæ rotunditas.

Et inde fit, non sequi hoc ex asserto, quòd duo Homines plùs distent secundùm capita, quàm secundùm pedes; duo parietes unius Turris plùs in cacumine, quàm in fundamento distent, saltem distantia sensu perceptibili. Mastrius autem hoc, sicut & nonnulla alia ullo absque inconvenienti concedit, ut videre est apud ipsum tomo 3. disp. 4. quæst. 4. folio 585. à num. 98. legendus.

Ex præfatis habes, terram esse sphæricam physicè duntaxat, non verò mathematicè, & perfectè.

Ad Conf. data maj. (quam immeritò Nierembergius negat, volens, sidera non esse sphærica) nego min. Ad 1. prob nego ant. Quamquam enim (inquit Arist. in problem lect. 18 q. 7.) plana appareant ratione tantæ distantiæ; reveratamen sphærica sunt. Ad 2. prob. Resp. gibbos illos in Luna apparentes esse, non promontuositates, sed partes quasdam densiores ipsius Lunæ, quæ propter distantiam à nobis videntur prominentiæ. Luna siquidem, sicut & cætera corpora cęlestia quasdam rariores habent partes, quasdam densiores. Inde etiam fit, quòd nonnunquam maculæ apparent, quia partes rariores cùm faciliùs permittant solares radios transcurrere minùs refulgent; densiores verò cùm magis eos compescant eosque sistant sunt lucidiores. Per quod patet ad 3. prob. Et ex his fit satis quartæ etiam probationi.

6. Arg. 2 Cœlum est corpus firmissimum: ergo figuram sortitus est, quæ majorem ad firmitatem conducat; sed hujusmodi est figura quadrata: ergo Cœlum est cubicum. Prob Maj Hac namque ratione sapientia supra quadratum, fortuna verò pingi super rotundum consuevit Ob idque Apocalypsis 2 dicitur *Civitas in quadro posita est*.

Conf. illam cœlestis Civitas figuram obtinet, quæ majorem ad pulchritudinem, fortitudinemque conducit; sed hujusmodi est cubica figura: ergo &c. Min. ad istarum Civitatum exemplum dignoscitur.

Resp ad arg. dist. maj est corpus firmissimum firmitate opposita corruptioni, & defectibilitati, concedo, firmitate opposita mobilitati locali, nego maj. & distincta min. nego conseq: ac retorqueo argumentum ex dictis num. 4. Verba autem Apoc. metaphorica sunt, sicut eum muros, arbores, flumina &c. ibi dinumerat.

Dices. Ergo saltem Empyreum, quod est immobile non erit sphæricum.

Urg Empyreo illa est concedenda figura, quæ maximè ad quietem conducit; sed hæc est figura quadrata, cùm ad motum sphærica conducat: ergo &c.

Ad hæc (quibus convicti Conimbr Hurtadus, Oviedus Imò & Goudin hic art. 4. inducti sunt ad opinandum, quòd Empyreum sit quadratum, saltem secundùm superficiem convexam) nego conseq. vel distinguo consequens, nisi aliud obstaret, concedo, secùs, nego conseq. Quamquam etenim nec mediatè, nec immediatè ex motu queat inferri, quod Empyreum sit sphæricum secundùm superficiem conveam; id tamen alio ex capite deducitur, nimirum ex eo, quod est primum corpus perfectissimum, simplicissimum, cui proinde prima, perfectissima, ac simplicissima debetur figura, quam num. 3. probavimus esse sphæricam.

Ad id quo Urg Resp. maj. fore veram, ni obstaret id, quod mox dictum est. Præterea ex Compl. Maj. fore veram, ni Empyreum esset corpus collocatum in suo naturali loco, in quo nulla juvante figura perfectissimè suapte natura tanquam in centro quiescit. Vid. Compl. sive Blas.

Ad argumenti Conf. nego min. Ad prob. dico, comparationem minimè faciendam has inter, & cœlestem civitatem, quia figura quadrata harum Civitatum deservit cùm ad exteriorem pulchritudinem, tum ad hostium impetus compescendos. Ad quod præ cæteris cubica juvat figura. Cæterum superna Urbs cœlestium magis civium aptatur commodo, quàm ad aliud. Et ad hoc magis deservit sphærica, cum æqualem per illam sortiantur distantiam à centro mundi, æqualemque ad illud accessum. Eò vel maximè, quòd ad majorem conducat ad fortitudinem, accepta fortitudine pro obsistentia corruptioni, cùm sphæricæ figuræ sit maximè connaturalis motus circularis, qui quodammodo infinitus est. Nec cœlestis illa Civitas inimicorum formidat incursiones, ni fidem fabulis dare velimus, cùm duntaxat virtutum armis Cœlum oppugnetur, juxta illud *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*.

7. Arg. 3. Si Cœlum esset sphæricum, Stellæ fixæ eandem jugiter à terra distantiam sortirentur, quia omnes Cœli partes æqualiter à terra distarent; sed Stellæ propè Horizontem minùs distant à terra: ergo &c. Prob. min. Prope Horizontem apparent majores; sed res quò est vicinior major apparet: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. min. ita, quòd sola distantiæ minoritas sit semper ratio exhibendi aliquod ut majus, nego, ita quòd interdum sit quicquam aliud, concedo min. & nego conseq Nonnunquam siquidem contingit, aliquod in majori distantia majus apparere ratione crassitudinis medii, ut in his contingit, qui subtùs aquas conspiciuntur. Inter nos autem, & sidera in Horizonte mediat aliquid crassius, quàm dum extant V.G. in meridie, quia plures adsunt vapores, & exhalationes interjacentes. Adde, quòd potiùs è contra Stellæ in Horizonte magis à nobis distant, quàm dum extant in meridie. Dum namque sunt in meridie mediant duo duntaxat elementa; Dum verò in Oriente, vel Occidente existunt, ultra duo elementa, nimirum aerem, & ignem, mediat quoque terræ semidiameter. Verum est tamen, quòd respectu totius globi terræ æqualiter semper distant.

9. Arg. postremò auth. S. Script. Isaiæ 40. dicitur *expandit Cœlos sicut tabernaculum* ubi vertunt 70. *sicut cameram ad habitandum*: ergo Cœlum est ad modum fornicis, sive Cameræ. Item Psal. 103. *extendens Cœlum sicut pellem*: ergo Cœlum est planum.

Resp ad 1. ex Aug super lib 2. Gen. ad litt. cap. 6. quòd dum Scriptura comparat Cœlum tabernaculo, sumit illud duntaxat secundùm unum hemisphærium. Nostrum namque hemisphærium habet modum Cameræ, & sic aliud super Antipodas hemisphærium. Ad 2. negat conseq. quia etiam pellis potest, & in planum, & in Orbem extendi. Ejus verba videri apud Compl. possunt. Alia solutio legi apud Arnù potest, alia apud eosdem Compl. & Guerinois art. 3

10. Objici posset nonnullorum Patrum authoritas, præsertim Chrysostomi, qui hom. 14. & 17. nostram improbat sententiam. Quibus nos opponimus SS. Aug. Hieronym. & Thomam Imò Hieronym. super cap. 5. Epist. ad Eph. eos graviter increpat, qui Cœlum sphæricum esse inficiantur.

QUÆSTIUNCULA.

De Gravitate, & levitate Cœli, ejusque perfectione comparativè ad sublunaria.

§. I.

DICO PRIMO.

Cœlum nec grave est, nec leve.

1. PRob Omne grave movetur ad medium, idest ad centrum, & omne leve movetur à medio; sed Cœlum non movetur, nisi circulariter: ergo &c. Dicere autem, quòd non tendit deorsum propter sui ingentem vertiginem, jam supra art. 3. §. 1. refutatum est. Vid. lib 2. de Gener. & Corrupt q. 2. art. 1. § 2. sub num. 2. refutando doctrinam Saguens, qui vult, res omnes quaquaversum suapte natura moveri.

Si respondeas, Cœlum non moveri sursum, sive à medio per accidens, quia nimirum jam est sursum naturali suo in loco: Ad eum modum, quo ignis, qui est in concavo Orbis Lunæ non movetur sursum.

Contra est. Quandoquidem uni corpori simplici, unius duntaxat localis motus est connaturalis ut q. sequenti art. 1. §. 2. sed Cœlis est connaturalis motus circularis: ergo nequit esse connaturalis motus sursum, tametsi sursum non extarent.

2. Objicies. Nos 2. Phys. quæstiuncula 1. *dico* 3. stabilivimus, quòd si Cœlum suo extraheretur à naturali loco, ad istum moveretur; sed non moveretur motu circulari, quia iste in eodem semper versatur loco: ergo motu recto, nimirum sursum, vel deorsum: ergo dicendum est, esse leve, vel grave.

Resp. quòd eo in casu moveretur motu, non sursum, vel deorsum, sed duntaxat collaterali: ad eum modum quo movetur ambulans super planum, & æquale. Non enim potest à Deo extrahi Cœlum è suo naturali loco, propellendo illud sursum, vel deorsum in spatiis imaginariis; quia ad hoc, ut unus locus imaginarius diceretur sursum comparativè ad alium locum imaginarium alterius partis Cœli, requireretur, quod iste esset deorsum. Quod tamen est impossibile, cùm spatia omnia imaginaria sint supra Cœlum Empyreum æqualiter.

Dices. Per nos duo motus nequeunt esse eidem corpori sim-

simplici connaturales; sed Cœlo est connaturalis motus circularis: ergo nequit esset connaturalis motus collateralis.

Resp. maj. esse veram loquendo de utroque proximè connaturali; secus si unus remotè, & alter proximè sit connaturalis, quia tum diversimodè se habet respectu naturæ Cœli: ad eum modum, quo duo motus, unus per se, & alter per accidens potest esse connaturalis, ut in Planetis est perspicuum. Si autem Cœlum illo cieretur motu, iste esset ei connaturalis tantummodo remotissimè; Idcircò dixi ibi, esse radicaliter mobile.

3. Objic. 2. Rarum, & densum sunt grave, & leve; sed in Cœlo datur rarum, & densum, ut antegresso art. ad Conf. 1. arg. ergo &c.

Resp. primò modùm, nego maj. Si universaliter loquatur, cùm eam minimè probet arg. Præterea ex Compl. Resp. veram esse maj. de raro, & denso causato ex primis qualitatibus, cujusmodi non sunt rarum, & densum in Cœlis, ut liquet ex dictis art. 2.

4. Animadverte, quòd Christus quando dixit Matth. 24. *Stellæ cadent de Cœlo*, loquebatur de Stellis cometis, idest e meteris, qui in Cœlo gignuntur aereo.

Cœlum igitur est quid medium, nimirum quinta essentia, ut Arist. inquit hic lib. primo cap. 2.

§. II.

DICO SECUNDO.

Cœlum est simpliciter perfectius sublunaribus non viventibus; viventia verò sunt perfectiora simpliciter Cœlo, solùmque secundùm quid Cœlum est istis perfectius.

5. Quò ad p. p. patescens est, quia sublunaria non viventia nihil habent, in quo excedant Cœlestia. Cœlum namque est incorruptibile, sublunaria sunt corruptibilia; Cœlum loco potitur nobiliori immensa ornatum luce, præcipuaque Universi pulchritudo in eo est sita. Quæ haud competunt sublunaribus.

6. Quò ad 2. p. prob. Gradus universaliores sunt minùs perfecti; V. G. gradus vegetativus est minùs perfectus, quàm sensitivus, sensitivus minùs quàm intellectivus; sed Cœlum corporis solùm, & substantiæ gradum importat, qui sunt universaliores, quàm quilibet gradus vitæ: ergo &c.

Conf. Operari sequitur ad esse; sed animatum quodlibet operationibus simpliciter perfectioribus gaudet: ergo &c. Prob. min. Operationes immanentes sunt transeuntibus perfectiores; sed hujusmodi sunt operationes viventium, ut viventium: ergo &c. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd operationes immanentes per se primò ordinantur ad perficiendum ipsum suppositum; quæ ratione omnes Dei actiones sunt immanentes, & ad summum virtualiter transeuntes. Præterea per proprias operationes omne vivens movet seipsum, secùs verò non vivens. Min. quoque constans est, cùm id sit proprium actionum vitalium.

Urg. Quodlibet vivens magis accedit quàm quodlibet non vivens ad Animam rationalem; sed rationalis Anima (ut omnes annuunt) est forma simpliciter perfectior formâ Cœli: ergo &c. Maj. evitescit. Siquidem quodcunque vivens convenit cum rationali Anima in gradu vitæ, quod nullum non vivens, cujusmodi est Cœlum, habet.

Secundùm quid autem Cœlum est perfectius, hoc est quò ad aliqua minùs principalia ceu incorruptibile, superius, maxima luce pollens.

7. Objicies 1. Philosophus hoc lib. 1. de Cœlo cap. 2. vocat Cœlum aliquod Divinum.

Resp. Cœlum esse quid Divinum quò ad sui incorruptibilitatem, qua Dei immutabilitatem imitatur, secùs vel rationali Anima perfectius foret. Præterea ex Compl. Arist. sumere Cœlum cum intelligentia.

8. Objic. 2. Forma Cœli est perfectior quolibet sublunari, sicut ejus & materia: ergo &c.

Ad hoc habes ex dictis 1. Phys. q. 2. art. ult. concl. 1. §. 3. ad 1.

9. Objic. 3. Cœlum est causa universalis & æquivoca efficiens omnium sublunarium etiam viventium; sed causa efficiens universalis nequit esse suo effectu perfectior: ergo &c.

Ad hoc etiam habes ex dictis hic art. 4. §. 3. num. 4. ad 1.

QUÆSTIO SECUNDA.

De numero, distinctione, & ordine Corporum Cœlestium.

Dixi *corporum cœlestium*, quia agemus de distinctione non modò Cœlorum, verùm etiam astrorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot sint Cœli?

§. I.

1. Quot modis, accipi Cœlum queat patescet §. sequenti 2. num. 2. modo sumitur, ut in exordio hujus tract. declaratum est. Et vestigamus, &c.

Nonnulli, quos sequitur Chrys. hom. 4. in Gen. & Tert. lib. adversus Hermogenem dixere, Cœlum esse unum duntaxat. Alii quibus adhæret Damascenus posuere duos; qui authores invicem diffident in assignando quinam sint. Eorum siquidem aliqui dinumerant Empyreum, sidereum, & aereum: quidam verò, à quibus stat Mastrius, Empyreum, primum mobile, & sidereum: quidam præterea ponentes, Cœlos esse fluidos, præsertim Hurtadus præter sidereum docent, esse Empyreum, & unicum planetarium. Hos inter supputari vel Cartesius potest, qui & ipse tres dixit esse Cœlos; sed tamen suum juxta modum fabulosè loquendi scribit, primum Cœlum esse omnem illam materiam, quæ gyro communi vertitur circa centrum Solis, quamque explicuimus 1. Phys. q. 5. art. unico §. 9. præcipuè in 4. Cartesii dicto. Secundum omnem illam intelligit materiam, quæ circa particularia Stellarum fixarum centra volvitur. Tertii denique Cœli nomine illud omne spatium comprehendit, quod ultra istos omnes extenditur vortices; de quo se nihil dicendum habere dicit, quia hunc ad spectabilem Mundum non attinet.

Alii quinque approbant esse Cœlos. Alii veteres, autumantes, Firmamentum esse primum mobile, octo statuunt Cœlos, nimirum Firmamentum, idest Cœlum sidereum, & septem Planetarios. Alii supra Firmamentum deprehendentes primum mobile, novem assignant. Alii decem. Alii ut Compl. undecim. Demum Arnù ad duodecim usque multiplicat.

§. II.

CONCLUSIO.

Cœli nec plures, nec pauciores sunt, quam decem.

2. Sic placuit Scoto in 4. sent. dist. 14. & Goudino hic, & Guerinois licèt Goudin postea in schemate decem exhibeat sine Empyreo.

Non demirari haud potui, quòd aliter Comolut. & Arnù sentire potuerint, cùm perspicua adeo sit S. Th. mens p. p. q. 68. ubi *ad distinctionem ergo Cœlorum*, inquit, *sciendum, considerandum est, quòd tripliciter dicitur in Scripturis. Quandoque enim dicitur propriè, & naturaliter, & sic dicitur Cœlum corpus aliquod sublime, & luminosum actu, vel potentia incorruptibile per naturam. Et secundùm hoc ponuntur tres Cœli; Primum totaliter lucidum, quod vocant Empyreum; secundum totaliter diaphanum, quod vocant Cœlum Aqueum, & Chrystallinum; Tertium partim diaphanum, & partim lucidum actu, quod vocant Cœlum Sidereum, & dividitur in octo sphæras, nimirum in sphæram Stellarum fixarum, & septem sphæras Planetarum, quæ possunt dici septem Cœli, nimirum septem sphæræ.* Hæc S. Th. Quid clarius? Persequitur postea S. D. quod *Secundò sumitur Cœlum pro omni eo, quod aliquid participat diaphaneitatem, lucem, &c. Et hoc modo Damasc. ponit, Cœlum esse unum, vocans illud Aereum, & aliud Sidereum, super quod est Sidereum. Tertiò sumitur metaphoricè, quo modo sancta quandoque Trinitas Cœlum dicitur. Et hoc illud intelligitur diaboli ascendam in Cœlum, ascendam idest æqualitatem Dei.*

3. Prob. cum communi. Tot admittendi sunt Cœli, quot & diversi in eis inspiciuntur motus; sed isti sunt novem: ergo novem admittendi sunt Cœli. Maj. constans ex eo est, quòd

quòd uni corpori simplici unus duntaxat localis motus connaturalis est, ut palam est in elementis, quamquam Saguens velit, ista quaquaversum moveri, contra quem dimicabimus lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 1 §. 2. sub n. 2. Min. prob. Extant septem motus septem Planetarum, qui incunctanter aguntur motibus inter se contrariis, ut præsertim in Sole, & Luna est conspicuum. Præterea alius motus conspicitur motus diurnus, quo Cœlum tum Sidereum, tum planetarum cientur 24. horarum spatio ab ortu ad occasum. Demum quidam deprehenditur motus tardissimus, quo tum Cœlum Sidereum, tum planetæ retrogradiuntur ab Occidente in Orientem (de quibus omnibus discursus erit q. sequenti art. 1.) ergo novem sunt motus, adeoque novem erunt Cœli mobiles, nimirum primum mobile, quod spatio 24. horarum movetur, suumque totum complet cursum, secumque abripit cæteros omnes: Cœlum Stellatum, seu stellarum fixarum, & septem Planetarii. Quibus Fides addit Empyreum, quod est Beatorum sedes, de quo videri possunt SS. PP. apud Guerinois. Sicque decem sunt Cœli.

P. Rubius negat motum illum tardissimum. At immeritò, Tum quia omnibus ab Astronomis deprehenditur. Tum quia diuturnum post tempus deprehenditur, quod stellæ etiam fixæ non semper eodem sunt in loco, in quo priùs erant, sed quæ modo V. G. cernuntur in Oriente, tempore quo motus primi mobilis ab Oriente inchoatur, pro illo tempora erunt aliqua loci intercapedine sejunctæ, licèt hoc nonnisi post multum temporis percipiatur; quemadmodum Plantæ augmentum non statim percipitur, sed post aliquod temporis.

4. Qui verò duodecim ponunt Cœlos mobiles, quendam agnoscunt trepidationis motum, quo Cœlum Stellatum ab uno ad alium Cœli polum cietur per accessum, & recessum ab eis; quapropter aliud admittunt Cœlum, quod Cœlum Chrystallinum vocitant supra Stellatum, & infra primum mobile.

Sententiæ huic plausum facit magnum authoritas Alphonsi Hispaniarum Regis in artibus liberalibus adeo clarus, ut sapiens sit dictus. Hic namque accersitis majoris famæ Philosophis, ac Astrologis, motum istum, & Cœlum omnium voto deprehendit.

Nihilominùs oppositum ipse probabilius duco, Tum quia motum illum, Astronomorum, qui ante Alphonsum, ac Ptolomæum floruerunt, agnovit nemo, & non pauci alii post ipsos, hisce præsertim temporibus non agnoscunt. Tum quia id pugnat cum Peripateticæ Philosophiæ principiis. Non potest namque motu quodam obliquo sphæra illa accedere articum ad polum, quin ab antartico secedat, sicque quin inter ipsam, & aliam sphæram ulla remaneat vacua intercapedo aliam per sphæram replenda. Quod arg. solvere licèt conetur Complut. seu Blasius infra disp. 3. q. 2. §. 3. haud tamen feliciter, ut cuique eos legenti planum fiet. Tum, quia hoc etiam admisso motu, adhuc pro isto non est novum ponendum Cœlum; quia (ut inquit Goudin) motus proprius Cœli est motus circularis; sed motus ille trepidationis non est motus circularis: ergo &c. Prob. min. Circularis motus per eandem semper viam pergit, non verò accedendo, & secedendo: ergo &c. Dicendum itaque, quòd motus iste trepidationis (si extat) est motus quidam ejusdem Cœli stellati paulisper obliquantis modò ad unum, modò ad alium polum, ratione maximæ suæ tarditatis.

De Alphonsi autem authoritate non est tam magni faciendum, quia ipse unicè illos inter omnes, qui tunc aderant Philosophi, ac Astrologi habendus est. Cæteri namque fortassis ut Regi indulgerent cum eo sentire se dixere.

Nec obest, quod S. Th. in 2. sent. dist. 14. q. 1. art. 2. *hoc autem*, inquit, *Cœlum Aqueum est nona sphæra, ad quam primò reducunt Astrologi motum Orbis signorum communem omnibus stellis, qui est de Occidente in Orientem, & iterum sphæram decimam, ad quam reducunt motum diurnum, qui est de Occidente in Orientem.*

Non, inquam, obest, quia S. ibi Th. loquitur in illorum Astronomorum sententia, at non propria ex sententia, ut deprehenditur ex verbis illis *ad quam primò reducunt Astrologi*, &c.

§. III.

Dissolvuntur Adversarum partium argumenta.

5. ARg. 1. probando, unum duntaxat esse Cœlum. Terra est una tantùm: ergo & Cœli. Prob. conseq. Scriptura quemadmodum terram ita & Cœlum nominat in singulari, non verò in plurali dicendo, *in principio creavit Deus Cœlum, & terram*: ergo si &c.

Conf. Ex motuum diversitate per nos colligitur Cœlorum diversitas; sed in Cœlo est motus unicus, & ejusdem rationis: ergo &c. Prob. min. Non extat motus, nisi circularis; ergo &c.

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas ex D. Th. p. p. q. 68. art. 4. est, quia terra se habet ad Cœlum sicut centrum ad circumferentiam. Eapropter quemadmodum idem ad centrum esse plures queunt circumferentiæ, ita &c. Ad prob. dist. ant. intelligendo nomine terræ omniam elementa (ut omnes interpretantur), concedo secùs, nego. Sicque retorqueo arg. ergo nominando Cœlum omnes intelligit Cœlos.

Ad Conf. patebit art. sequenti §. 3. ad 2. arg. motum circularem ut sic esse unum genere, non verò specie.

6. Arg. 2. Arist. 1. de Cœlo cap. 2. ostendit, præter quatuor elementa esse admittendam aliam quintam substantiam, nimirum Cœlum, quod quintam vocat essentiam; sed si plures forent Cœli, corpora simplicia forent plura quam quinque: ergo &c.

Conf. Quæ sunt dispersa in inferioribus sunt unita in superioribus: ergo ubi in sublunaribus corpora simplicia, nimirum elementa sunt plura, Cœlum erit unum.

Urg instantia, quæ art. sequenti habebitur in 3. arg.

Resp. Arist. nominare quintam essentiam, non quò ad numerum, sed quò ad perfectionem figuratè loquendo, quia quintæ essentiæ quid perfectissimum sunt.

Ad Conf Resp maj esse veram, nisi multiplicitas ordinetur ad perfectionem, pulchritudinem, utilitatemque Universi, nimirum influxum, &c. secùs nec plura essent sidera, nec plures Angeli, &c.

7. Arg. 3. Eatenus Cœlorum per nos ponitur multiplicitas, quia motuum deprehenditur diversitas; sed ad hoc una sufficit Intelligentia pluribus motibus unum ciens Cœlum: ergo &c.

Resp. nego min. Tum quia idem simul nequit contrariis cieri motibus. Tum quia Angelus eos movet motu ipsis connaturali, non violento. Ut autem num. 3. dicebamus, uni corpori simplici, unus duntaxat localis motus est connaturalis.

8. Arg. 4. probando, Cœlos esse tantummodo duos. Moyses duos tantum dinumerat Cœlos, alterum factum ante lucem.

Resp. ut supra nomine Cœli omnes comprehendere Cœlos.

Dices. Si id verum esset, non benè duos memoraret, sed unum.

Resp. ita esse, sed nomine secundi sumere Cœlum Aereum, in quo aquæ resident pluviales juxta dicta q. præcedenti art. 2. §. 3. n. 7. ad 3.

9. Arg 5. probando, Cœlos esse tres D. Paulus raptus est ad tertium Cœlum; sed raptus est ad Cœlum Empyreum: ergo &c. Maj. habetur 2. Corinth. 12. Min. (quicquid in oppositum dixerit Nierembergius) docetur à D. Th. 2. 2. quæst. 175 art. 3. & meritò. Siquidem (ut Eusebius, inquit) *nescio, quid Homo Apostolus in Veneris Cœlo ageret*.

Conf. Quoniam plures SS. PP. huic adhærent sententiæ.

Resp. (pluribus prætermissis solutionibus, eò quòd S. Th. & Eusebius probet, fuisse raptum ad Empyreum) quòd apud nonnullos omnes novem sphæræ mobiles nomine unius Cœli Siderei usurpantur; Ob idque tres remanent Cœli, nimirum, Sidereum, primum Mobile, & Empyreum. Sicque interpretandi sunt PP.

10. Ad Rubii fundamentum liquet ex dictis sub n. 3. Ad fundamentum Arnù habes ex dictis n. 4.

11. Quidam extitit Galilæus de Galilæis, qui adinvenit sex alios planetas, sive stellas errantes, quas mediceas appellavit in gratiam Principis Hetruriæ. Verùm hoc tanquam somnium habetur, cùm alius deprehenderit nemo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Corpora omnia Cœlestia sint intèr se specie diversa.

§. I.

1. DIxi *Corpora omnia* Cœlestia, quia loquor, non tantùm de Cœlis invicem comparatis, verùm etiam de sideribus inter se, & ad Cœlos comparatis.

Abnuunt universaliter Durandus, Jandunus, Arriaga, & alii. Annuunt verò Thomistæ cuncti, quos sequuntur Conimbr. Hurtadus, & alii, favente etiam B. Alb. Magno. Isti tamen negant de Astris ad proprium comparatis Cœlum, & inter se; quoniam volunt, esse partes Cœli ejusdem densiores, ut sunt nodi respectu ligni. Nos verò reliquis cum Thomistis de omnibus corporibus Cœlestibus affirmamus.

§ II.

CONCLUSIO UNIVERSALITER ANNUENS.

2. SUnt ipsamet D. Th. verba lib. 2. de Cœlo lect. 16. ubi *sic igitur*, inquit, *dicendum est, quòd corpora Cœlestia sunt unius naturæ secundùm genus, diversarum autem naturarum secundùm speciem*. Quod etiam redintegrat q. 8. de spir. creat. art. 8. ad 12. Videri etiam potest 2. contra Gentes cap. 92.

Cohæret autem conclusio ista ei, quod dixi in Logica Syntag. 3. q. 3. art. 2. §. 3. ad ult. ubi probabiliter dixi, sub natura Solis non esse possibiles plures Soles solo numero distinctos.

Probo 1. Non minùs, imò magis sunt principales Universi partes corpora simplicia superiora, nimirum Cœlestia, quàm sint corpora simplicia inferiora; sed corpora simplicia sublunaria, nimirum elementa sunt omnia inter se specie diversa: ergo à fortiori &c. Maj. enitescit. Plùs enim superioribus, nimirum Cœlestibus in corporibus, quàm in inferioribus Pulchritudo emicat Universi, ut de se palam est.

3. Prob 2. Cœli, & quæcunque corpora Cœlestia non purè numericè sunt multiplicata: ergo specie multiplicantur. Prob. ant. Multiplicatio purè numerica locum non habet in incorruptibilibus; sed Cœlestia omnia corpora, ut q. præcedenti art. 2. ostensum est, sunt incorruptibilia: ergo &c. Prob. maj. Multiplicatio numerica non est de primario naturæ conceptu, & duntaxat ad specificæ naturæ conservationem intenditur, ut nimirum uno deficiente individuo, aliud subrogetur; sed hoc non militat in incorruptibilibus, ubi unicum individuum est perpetuum: ergo &c.

4. Quæ ratiocinio militat quoque de Stellis, tum inter se, tum ad Cœlos comparatis. Supponit tamen esse realiter distinctas, & discontinuatas. Quod & verum est. Planetæ siquidem moventur motibus diversis etiam à motibus proprii Cœli. Stellæ quoque fixæ, quæ se habent veluti clavi ligno infixi respectu Cœli, eapropter fixæ dicuntur, hoc est quasi affixæ. Quod sic suadeo. Non ideo namque dicuntur fixæ, quasi immobiles sint, cùm una cum proprio Cœlo incunctanter moveantur; ergo tales nuncupantur, quia immobiliter proprio sunt Cœlo affixæ.

Qua ex re deprehendes, esse unam ex Cartesii fabulis, quòd Stellæ constent illa Cartesiana ex materia subtili, quam exposuimus 1. Phys. q. 1. art. unico §. 9. sub num. 25. Imò Cartesius prout de more secum ipse pugnat. Quandoquidem 4. p. num. 25. dicit, eam materiam majori vi recedere à centro vorticum, quàm globulos. Et postea dicit 4. p. num. 54. eandem materiam subtilem ad centrum vorticum fluere, ut ibi sidera componat. Hæc autem invicem pugnant. Quandoquidem recessus à centro, & fluxus, idest accessus ad centrum, pugnant, sicut accessus, & recessus. Præterea si major ejus vis ad recedendum à centro, quàm globulorum necesse est, ut inde ad centrum pellat, ipsa per eorum anfractus, quos liberè permeat, elapsa circumferentiam occupet. Quæ consecutio ex Cartesii doctrina evidenter deducta totum ejus Systema funditus evertit.

5. Probari potest 3. quia corpora exigentia suapte natura diversum locum sunt invicem specificè diversa; sed omnes Cœli exigunt suapte natura loca diversa: ergo &c. Maj. evidens est hisce in inferioribus, nimirum elementis. Quò circa videmus, quòd quæ ejusdem sunt speciei, puta gravia omnia, eundem petunt locum: ergo ab opposito &c. Min. prob. Cœli singuli diversum sortiuntur locum; sed talem locum exigunt suapte natura: ergo &c. Min. suadetur. Si eundem efflagitarent locum, omnes ad unum confluerent locum, ac essent in statu violento, vel saltem præternaturali.

6. Prob. Demum peculiariter de Stellis fixis. Proprietates consequuntur ad essentiam: ergo diversæ specie proprietates ad diversam specificè essentiam; sed omnes Stellæ fixæ sortiuntur proprietates inter se essentialiter diversas: ergo &c. Min. prob. Tum quia, ut inquit, S. Th. 2. de Cœlo lect. 10. *præter naturam lucis, quæ communis est omnibus corporibus, quælibet Stella habet virtutem determinatam consequentem suam speciem, ratione cujus habet infrigidare, vel humectare, &c. & sic de aliis*. Tum quia experimento deprehendimus, Solem per respectum ad diversas constellationes diversissimos producere effectus. Tum quia tot incassum multiplicarentur astra fixa, nisi diversas obtinerent proprietates. Tum quia constat, quòd Ursa minor speciali pollet virtute attrahendi ferrum, qua haud cæteræ gaudent: ergo &c. Vid. Compl. hic q. 5.

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta:

7. ARg. 1. Quæ sunt solo numero distincta sunt ejusdem speciei; sed Corpora Cœlestia sunt hujusmodi: ergo &c. Prob. min. Materia prima est multiplicationis numericæ principium, qua ratione, Thomisticis hærendo principiis, in Angelis in quibus locum habere haud potest materia, nulla potest locum habere multiplicatio numerica tantùm; sed in Cœlis extat materia, ut q. præcedenti art. 1. dictum est: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. maj. transmutabilis, ut est illa in corporibus corruptibilibus habetur, concedo, secùs, nego maj. Et distincta min. nego conseq. Utique puræ numericæ multiplicationis est sola materia prima; & non omnis materia prima, sed illa duntaxat, quæ est physicè transmutabilis. Vide num. 3.

8. Arg. 2. Quibus convenit motus ejusdem speciei sunt unum specie; sed corporibus omnibus Cœlestibus convenit motus ejusdem speciei: ergo &c. Prob. min. Corpora omnia Cœlestia moventur motu circulari: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. ad diversos terminos, concedo, eundem ad terminum, nego ant. & conseq. Ostendimus namque 1. Phys. unitatem, & distinctionem specificam motus sumi à termino. Omnia autem Cœlestia corpora diversum ad terminum, & *Ubi* moventur V. G. *Ubi* proprium Lunæ est supra ignem, & infra Mercurium; *Ubi* connaturale Saturno est supra Jovem, & infra Cœlum sidereum. Vide num. 4.

Dices. Saltem Stellæ fixæ haud diversum sortiuntur locum, & *Ubi* à loco, & *Ubi* tum inter se, tum sui proprii Cœli: ergo istæ saltem &c.

Resp. quòd utique corpora simplicia diversum exigentia locum sunt specie diversa ut num. 4. visum est. At non è contra omnia, quæ eundem obtinent locum sunt ejusdem specie; Cum namque loci diversitas sit ratio duntaxat à posteriori diversitatis specificæ; ubi habetur hoc signum, quoque diversitas babetur specifica; at non è contra; quia etsi non sit istud signum, alia esse queunt, quæ vidimus in num. 3. & 6.

9. Arg. 3. Assignabile haud est, ad quid tot specie distincta corpora Cœlestia ordinentur: ergo &c. Prob. ant. Si ad aliquid ordinarentur, maximè ad diversos specie edendos effectus; sed ad hoc haud necessaria sunt: ergo &c. Prob. min. Eodem à principio plures, & specie distincti effectus provenire possunt, ut palam est in Sole: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego min. Ad prob. dist. ex Compl. ant. quando effectuum diversitas diversa provenit ex materiæ dispositione, concedo, quando ex ipso provenit principio, nego ant. & conseq. Ab eodem itaque specie distincti effectus provenire queunt, quando eorum diversitas provenit ex diversa materiæ dispositione V. G. liquefactio ceræ, & induratio luti, quæ sunt effectus speciei diversæ ab eodem provenientes Sole. Quia autem cernuntur in sublunaribus plures effectus speciei diversæ, qui non ex diversa materiæ dispositione, sed ex ipsis influentibus Cœlestibus corporibus. Idcirco &c. Quò circa B. Alb. Magn. lib. 2.

de Cœlo tract. 3. cap. 4. *Quæcunque*, inquit, *differentiam non habent in specie, non habent differentiam aliquam in proprietate, & operatione consequente. Si ergo Stellæ non differunt specie, non habebunt etiam differentiam in proprietatibus, & operationibus. Quod falsum esse probatur per omnes observationes antiquorum factas de operationibus Stellarum. Tradunt enim, quasdam esse calidas, quasdam temperatas, & quasdam his duobus modis humidas, quasdam siccas, & quasdam habere proprietates conjunctas, ut calidas & frigidas, vel frigidas, & humidas* (intellige virtualiter influxivè, effectivè, non verò formaliter, cùm hujuscemodi qualitates ibi minimè extent, ut vidimus q. 1. art. 2.) *quasdam masculinas, & quasdam fœmininas, non quidem secundùm veritatem, sed secundùm proprietatem, similitudine sibi conveniente.*

Adde, quòd hoc arg. probat, non solùm non esse plures specie distinctos Cœlos, verùm etiam nec ullo modo esse plures, cùm ab eodem vel numero principio plures queant specie diversi effectus oriri.

Dices. Eodem à principio plures possunt specie diversi effectus oriri diversitate proveniente ex ipso principio, & non ex sola materiæ dispositione: ergo &c. Ant. palam est in Anima rationali.

Resp. ant. verum esse de pluribus effectibus eadem in re præstitis, ut in corpore ab Anima, quia omnes illi sunt propter unam intenti magis principalem, illi inservientes, puta gradui intellectivo, ei ministrantes, ac proinde per modum unius eodem in toto. Non verò tot in propemodum infinitis rebus, in quibus tanta effectuum copia nequit per modum unius se habere, ceu non in eodem uno toto particulari.

Solutiones aliæ apud Compl.

10. Arg. 4. Circa Stellas propriis comparatas Cœlis. Arist. 2. de Cœlo cap. 7. docet, Stellas eandem sortiri naturam cum suis orbibus.

Si Respondeas, loqui de generica, non verò specifica unitate naturæ:

Contra est. De generica unitate loquendo eandem etiam cum aliis, & non tantùm cum propriis orbibus naturam habent.

Conf. Stellæ majorem cum propriis, quàm cæteris cum orbibus convenientiam habent, secùs incongruè dicerentur illis appropriatæ: ergo si ab aliis specie, à propriis ad summum numero distinguuntur.

Resp. benè ibi. Ad oppugn. dico, quòd Stellæ habent quidem unitatem genericam cum cæteris orbibus, unitate tamen generica subalterna, cum propriis verò sortiuntur unitatem genericam atomam. Ob idque à propriis atoma, ab alienis verò subalterna differunt specie. Ad eum modum, quo Homo differt specie tum à Brutis, tum à Plantis; attamen à Brutis differt specie infima, à Plantis verò specie subalterna. Per quod & Conf. solvitur.

11. Objici aliud posset arg. nimirum, quòd multa corpora cœlestia sortiantur accidentia ejusdem speciei; imò omnia habent aliqua ejusdem speciei accidentia, puta quantitatem, qualitatem, aut lucem, &c. Verùm hoc probaret corpora cœlestia ejusdem esse speciei etiam cum sublunaribus. Idcirco vid. q. præcedenti art. 3. §. 1.

12. Ex dictis collige, quòd & omnes tres sphæriculæ, quas adinvenerunt nonnulli ad salvandos excentricos, & concentricos in eodem Cœlo, sunt speciei diversæ. De quibus nonnihil dicemus in fine hujus quæstionis, ac refutabimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Cœli sint inter se contigui, & quò sublimiores, eò perfectiores sint?

§. I.

1. QUò ad p. p. abnuunt Bellarminus, & Molina cum aliis relatis à Compl. Quò ad 2. abnount Richardus, Conimbr. & alii. Annuunt verò quò ad utramque partem Thomistæ omnes, quos sequitur Rubio, & adhærent ferè omnes cæteri DD.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Cœli sunt inter se Contigui.

2. SIc S. Th. p. p. q. 68. art. 2. & in 2. sent. dist. 14. q. 1. art. 1. Et

Probo 1. Cœli omnes sunt inter se omnino indistantes; sed quæ nullatenus distant sunt contigua: ergo &c. Prob. maj. Non minùs est perfecta connexio superiora inter corpora, quàm inferiora inter simplicia, nec minùs perfectè dispositus eorum ordo, quàm istorum, cùm ab illis magis Universi bonum, & pulchritudo pendeat; sed corpora inferiora simplicia sunt immediatè inter se indistantia, & contigua: ergo &c.

Confirmo. Non minor est ordo Cœlorum inter se, quàm eorundem cum his inferioribus; sed ita est, quòd Cœlum Lunæ est contiguum cum supremo elemento: ergo etiam &c. Prob. min. Non est invenibile quid mediet: ergo &c. Prob. ant. Non enim mediat nectar, ut nonnulli somniavere veteres Gentiles delirantes, quòd Dii nectare alerentur. Quandoquidem nectar vel est quid simplex, vel quid mixtum; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Min. suadetur 1. quò ad p. p. Tum quia corpora simplicia infra Lunam sunt duntaxat quatuor. Tum quia talia corpora ingrediuntur misti compositionem. 2. quò ad 2. p. Corpora quò sunt imperfectiora humiliorem locum naturalem petunt: ergo nectar si est quid mistum nequit superiorem elementis locum sortiri.

3. Prob. ult. Ratiociolo communi. Contigua dicuntur, quæ sese in extremitatibus contingunt; sed sic Cœli se habent: ergo &c. Prob. min. Tum quia quanta sit unum inter Cœlum, & aliud distantia, Astronomorum determinavit nemo. Tum quia secùs extaret tanta vacua intercapedo: ergo &c.

Nec inter Cœlum unum, & aliud mediare aquam, aut elementum aliud antegressa q. art. 3. ostensum est.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cœli quò sublimiores situ, & loco sunt, eò perfectiores sunt.

4. PRobo 1. Proportionali quodam modo se habent dispositæ partes in Homine, ac in Universo; sed in Homine partes loco, & situ sublimiores, puta cerebrum, sunt aliis perfectiores: ergo similiter &c. Maj. ex eo evincitur, quòd Homo est microcosmos, hoc est mundus parvus.

5. Prob. 2. Cœli sunt sicut eorum exquirit natura, Universique ordo, judice Aug. lib. 2. super Gen. cap. & D. Th. loco num. 2. citato; sed Universi ordo efflagitat, quòd inferius nobiliori locum cedat superiorem: ergo &c. Min. docetur à D. Dionysio cap. 6. cœlestis Hier. Ex quo postea probat, Hierarchias, sive ordines Angelicos quò nobiliores sunt eò superiores esse.

Conf. Ideo Arist. 4. Phys. tex. 49. probat, elementa, quæ superiori gaudent situ esse perfectiora, quia quod eminùs situatum est, continet aliud inferius; sed etiam Cœlum superius continet inferius: ergo &c.

Urg. Elementa, quò superiori in loco sunt collocata, majori pollent perfectione V. G. ignis est perfectior aere, aer perfectior aquâ, aqua perfectior, & purior terra: ergo pariter &c.

§. IV.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

6. ADversus 1. concl. militant arg. quæ probant, super Cœlos extare elementum aliquod. De quibus vid. q. retroacta art. 3. §. 1.

Arg. 1. ad idem. Si Cœli forent invicem continui, aliquem ederent motu suo sonum; sed hoc communiter denegatur: ergo &c. Prob. maj. Sese colliderent; sed sonus resultat ex corporum collisione: ergo &c.

Non defuere, qui dixerint, Cœlorum motu harmonicum

cum formari conceutum, ut Pythagora, Philo hebræus lib.6. de Sonis; nec improbabile id reputat Aravio, putans, id haud alienum à nonnullis SS. PP. Fundantur autem isti tum in producto arg. tum in illo. Job 38. *quis enarrabit Cœlorum rationem, & concentum quis dormire faciet?*

Verùm enim verò hæc poetica potiùs, quàm Philosophica sunt, Tum quia (ut 2. de Anima q.5. quæstiunculis ponendis post art.4.) sonus resultat, non præcisè ex collisione duorum corporum, sed ex collisione violenta, idest ex percussione duorum corporum, & resilientia medii, quodque medium exigitur, non tantùm ad deferendum sonum (ut scribit Aravio) sed ad sonitus genesim; quia (ut ibidem dicitur) resultat ex percussione duorum corporum, non se solis, sed cum mediis resilientia. Si autem exigeretur duntaxat ut deferens, sonus resultaret præcisè ex percussione illa corporum, & per medium deferretur. In Cœlis autem medium hoc haud invenibile est. Tum quia licèt Cœli sese contingant, tamen unum non impingit in aliud, sed maxima illud facilitate excurrit. In forma igitur nego sequelam. Ad prob. dist. min. ex collisione violenta duorum corporum cum resilientia medii, concedo, secùs, nego.

Ad illlud Job respondet S. Th. ibidam lect.3. exponens verba illa Job *quis dedit Gallo intelligentiam? quis enarrabit Cælorum intelligentiam, & concentum Cœli quis dormire faciet? his verbis: In aliis animalibus multa apparent indicia naturalis cujasdam providentiæ, sed præcipuè hoc manifestatur in Gallo, quasi in animali noto, & domestico.* Unde subdit, *quis dedit Gallo intelligentiam. Intelligentia hic sumitur pro naturali quadam æstimatione, secundùm quam ad modum intelligentis operatur. In hoc autem videtur Gallus quandam intelligentiæ similitudinem habere, quòd determinatis horis in cantum prorumpat.* Sic etiam dicit S. Th. quòd Cœlorum concentus sumitur similitudinariè pro perfectissima proportione motuum cœlestium. Reliqua ejus verba lege apud Compl. hic disp.3 q.2. §.2.

Perridiculum itaque est, ponere, quòd Cœli suo motu sonum aliquem efficiant, cùm nemo unquam eum audierit, ni fortè Pythagoras, ejusque gregales se audisse somniaverint.

Dicere autem, quòd minimè auditur, vel quia non adest medium deferens, vel ingenrem propter distantiam; vel quòd non percipitur, quia Homines sunt ei assueti; ad eum modum, quo à Fabris malleorum non percipitur sonus, juxta illud *ab assuetis non fit passio, vel saltem non fit tanta*. Hoc, inquam, est error pejor priore. Si namque Cœli lux ad nos usque pertingit tanta non obstante distantia, & pro ea medium extat. Cur & non idem de sonitu? Ecquis dicet, sonum non percipi à fabris. Quamvis enim nullo afficiantur fastidio, dubio tamen procul illum percipiunt.

Videri etiam potest Guerinois hic art.3. §.4.

7. Arg.2. contra 2.concl. Quemadmodum Cœlorum aliqui sunt in superiori, alii in inferiori situ, & loco, ita & Planetæ; sed planetæ non sunt ita ordinati, ut qui superiores situ sunt, perfectiores sint: ergo &c. Prob. min. Sol inter sidera regali perfectione pollet; & tamen non est omnibus loco eminens, cùm sit quartus inter Planetas: ergo &c.

Non defuere, qui negaverint, Solem tali gaudere primatu. At quia isti ut benignissimo sideri ingrati ab Universis reprehenduntur; Idcircò

Resp. dist. min. ubi non obviat Universi bonum, & perfectio, nego, secùs, concedo min. & nego conseq. Omnes itaque Planetæ eundem, quem Cœli, servant ordinem, dempto Sole, qui ratius ad Universi utilitatem in medio est collocatus. Eapropter Sol se habet sicut cor in animali. Idcircò quemadmodum in Homine cor est pars nobilissima dempto cerebro, ita Sol est omnibus cœlestibus corporibus nobilior, dempto Empyreo.

Vid. Compl.

Vide etiam quod dicam q.3.art.2. ad.3.

QUÆSTIUNCULA PRIMA.

De luce, numero, & magnitudine corporum Cœlestium.

§. I.

DICO PRIMO.

Omnia Sidera aliquid lucis ex propriis habent, potiorem verò mutuant à Sole.

1. ITa communiter, paucis demptis, quibus loquendo de Luna adhærere videtur Arnù.

Prob.1. Quemadmodum Sol est primum lucidum, ita primum mobile est primum in genere mobilis localiter; sed corpora omnia Cœlestia quamvis moveantur ad motum pernicissimum primi mobilis, tamen motum aliquem sibi peculiarem sortiuntur: ergo à pari &c. Addo, quòd lux est proprietas, & præcipuus siderum ornatus; at credibile minimè est, quòd Deus ita inopes stellas procreaverit, ut nihil ex se, & ex propriis sui ornatus potiantur: ergo &c.

Vid. Guerinois hic art.3. §.5.

2. Objicies. Si Luna ex propriis aliquo modo fulgeret, sequeretur, quòd Novilunii tempore dum corniculata solùm apparet, cerneretur etiam secundùm partem illam, quæ à Sole est aversa; sed experimento comperitur, non ita rem se habere: ergo &c.

Resp. nego maj. Lux namque alia in parte à Sole mutuata, ceu excedens opprimit aliam. Imò retorqueas arg. quia Luna dum Eclipsim patitur nonnihil splendet. Cernitur enim. Quod haud esset, nisi Lucis quicquam ex se potiretur.

Videndum erit, quod dicam q.4. art.1. ad 7.

3. Quòd autem præcipuam lucem mutuent à Sole haud difficilè manifestatur, Tum eadem paritate n.1. adducta. Tum quia primum in unoquoque genere est, de quo cætera participant; sed Sol est primum in genere lucidi: ergo &c. Tum quia corpora diaphana perfectè lucem excipiunt; sed sidera cuncta sunt maximoperè diaphana: ergo lucem mutuant à Sole, qui omnium in medio positus lucem quaquaversum persundit. Et conspicuum est in Luna, cæterisque Planetis, qui dum Solis luce privantur, eclipsantur, nec adeò fulgent.

§. II.

DICO SECUNDO.

Planetæ, sive stellæ errantes majores, sunt septem; fixæ verò sunt nobis innumerabiles.

4. QUòd ad p. p. consors est omnium sensus, ac isti nomenantur *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna*.

Dixi autem *majores*, quia alii percensentur minores, aliis majoribus adjuncti, quorum quatuor gyrant circa Jovem, Jovisque satellites vocitantur; & duo, vel (ut non nemo autumat) tres circa Saturnum, qui Telescopii beneficio conspiciuntur.

5. Quò ad 2. p. licèt nonnulli Astronomorum se extulerint, quòd omnes firmamenti stellas deprehenderint, ac numeraverint; Tamen commune judicium est, in tanta esse copia, ut solus Deus dinumerare eas valeat juxta illud Psal. 146. *qui numerat multitudinem stellarum, & eis nomina vocat*. Quò circa Jeremiæ 33. dicitur *sicut non possunt numerari stellæ Cœli* &c.

Nec obest illud Genesis 15. *suspice Cælum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum*. Non, inquam, quoniam Iperbolicus sermo est. Adde quòd etiam numerus filiorum Abraham, & Isaac soli Deo notos creditur. Ob idque retorquetur arg.

Maximum autem, quòd isti potuerint est eas supputare, quæ magis extant notæ, quas ferunt esse viginti duas supra mille, quæ diversis in asterismis, sive constellationibus interspersæ inveniuntur. Pro quo

Sciro, quòd octo supra quadraginta constellationes sunt ab Astronomis in firmamento depictæ. Una & viginti ad septentrionem, quindecim ad Austrum, & duodecim in Zodiaco appellatæ proinde Zodiacales.

Prima constellatio Borealis, sive septentrionalis est Ur-

sa minor, alio nomine Cynosura, quæ habet stellas septem. Secunda est Ursa major, quæ stellas habet 27. Tertia Draco, quæ stellas habet 31. Quarta Herculis, quæ stellas habet 28. Quinta Bootes, quæ stellas habet 22. Sexta corona Borealis, quæ stellas habet 8. Septima Lyra, quæ stellas habet 10. Octava Olor, sive Cygnus, quæ stellas habet 17. Nona est Cephæus, quæ stellas habet 12. Decima Cassiopea, quæ in via lactea residens stellas habet 13. Undecima Perseus, quæ stellas habet 16. & tres alias informes dictas. Duodecima Andromeda, quæ stellas habet 23. Tertiadecima Deltoton, ab aliis Triangulus dicta, quæ stellas habet 4. Quartadecima Auriga, quæ stellas habet 14. Quintadecima Pegasus, sive equus alatus, quæ stellas habet 20. Sextadecima est Equiculus, vel (ut aliis placet) Rostrum equi, quæ stellas habet quatuor. Decimaprima est Delphinus, quæ stellas habet 10. Decimaoctava est Sagitta, quæ Stellas habet quinque, estque & ipsa in via lactea. Decimanona est Aquila, quæ stellas habet 9. Vigesima est Serpentarius, hoc est Serpentem gerens, quæ stellas habet 24. Vigesima prima est Serpens, quæ stellas habet 18.

Prima constellatio australis est Orion, habens Stellas 38. Secunda Canis major, sive Syrius Stellas habens 18. quarum unam in ore habet, quæ canicula nuncupatur. Ob idque cùm signum hoc Soli appropinquat grandes afflat æstus diesque tum nuncupantur caniculares. Tertia est Canis minor, sive Procyon, duas habens Stellas. Quarta est Lepus, Stellas habens 12. Quinta est Argo, sive Jasonis Navis, Stellas habens 45. Sexta est Hydrus, Stellas habens 25. Septima est Crater, sive Urna, Stellas habens 7. Octava est Corvus, Stellas habens itidem 7. Nona est Centaurus, Stellas habens 36. Decima est Lupus, Stellas habens 19. Undecima est Ara, sive Thuribulum, Stellas 7. habens. Duodecima est Corona australis, Stellas habens 13. Tertiadecima est Piscis australis, Stellas habens 12. Quartadecima est Cetus, Stellas habens 22.

Comprehendendo cunctas, quæ omnibus in illis collective habentur sunt 346.

Hujusmodi constellationes vocitantur Zodiaci signa sequentibus comprehensa hexametris.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; rursus, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Si exquiras, cur hisce nominibus appellentur? Resp. ideo esse, vel quia in ea habent influere, quorum nomine gaudent, saltem metaphoricè sumpta V. G. libra influendo inclinet Hominem ad justitiam; Leo in Leonem, & etiam in Homines, quibus dominatur influit ferocitatem, & sic de reliquis. Vel quia effectus præstant, symbolicitatem quandam illis cum rebus, vel animalibus habentes, V. G. Sole existente Leonis sub signo magnus habetur æstus. Sicque dicitur illud signum Leo quandam per similitudinem ad Leonem animal, quod est igneæ naturæ. Similiter talis dicitur, quia dum Sol degit illo sub signo, dies, & noctes sunt in æquilibrio. Vel propter connexionem aliquam, quam hujuscemodi signa invicem habent. Sicut V.G. Canis minor dicitur, quia oritur ante Syrium, sive canem majorem. De quibus fusè videri potest Arrù hic q. 7. de astris art. 2. Vel demum, quia hujusmodi signa, sive Stellæ, præseferunt talium rerum, seu animalium figuram, sive ex dispositione locali siderum, sive alio ea capite. Sic V. G. Ursa Major talis fortasse dicitur, quia exhibet similitudinem figuræ cum tali animali; & à nonnullis, præsertim græcis appellatur Plaustrum, sive Currus ex eo, quod septem ex Stellis, quas habet sunt ita dispositæ, ut quatuor dicantur rotæ, & tres loco Bovum videantur positæ.

Neque hoc pugnat cum eo, quod quæst. antegressa dicebamus, omnia nimirum corpora Cœlestia esse sphærica. Non, inquam, quia aliud est, quòd tales figuras habeant, aliud quòd eas repræsentent. Non enim habent hujuscemodi figuras, sed eas exhibent. Quod fit diversa ex dispositione talium astrorum; qua stante dispositione sic lux diffunditur, ut postea unà cum quibusdam coloribus apparentibus tales exhibeant figuras.

Sub quo ex dictis signis degat Urbs quælibet; videatur apud Arrù q. 7. de Astris art. 2. & etiam Guerinois hic q. 2. art. 3. §. 5.

§. III.

D I C O T E R T I O.

Astrum quodlibet sive errans, sive fixum, dempto Venere, Mercurio, & Luna, longè excedunt magnitudine Terram.

6. Sic communiter Astronomi, qui Stellas omnes fixas in sex magnitudinis ordines distribuunt, cùm impossibile sit, cujuslibet in particulari magnitudinem determinare.

Primus magnitudinis ordo quindecim continet Stellas, vel (ut aliis placet) 25. quarum unaquæque centiès septiès major est terra. Secundus ordo continet Stellas 45. quarum unaquæque fertur major terra nonagies, sive nonaginta vicibus. Tertius ordo comprehendit Stellas 208. majores terra septuagies, sive 70. vicibus. Quartus ordo obtinet Stellas 474 majores terra 54 vicibus. Quintus ordo complectitur Stellas 207 majores terra 45 vicibus. Sextus tandem includit Stellas 63. majores terra vicibus 18.

Circa Planetas Ptolomæus voluit, Solem esse terra majorem 166 vicibus, alii aliter senserunt, ut videre est apud Arrù hic q. 7. de astris art. 9. Quò ad reliquos Planetas superiores plerique tenent, Saturnum esse terra majorem 91. vicibus; Jupiter 95 vicibus; Martem quasi duabus vicibus, licèt nonnemo velit, esse longè terra minorem. Quò ad inferiores ducunt Venerem minorem circa 74. vicibus; Mercurium 219. vicibus; & demum Lunam novendecim. Ubi elucescit, Solem Sydera cuncta magnitudine superare.

Qua ex re haud difficilè imaginari quisque poterit, quantum Cœlorum quodlibet sit terra majus. Si quis tamen nosse optat quot milliaribus quodlibet Cœlum magnitudine terram excedat, atque unum Cœlum superet aliud, adeat Compl. in hujus quæst. fine.

Quantum autem quodlibet Cœlum à terra distet, videre poteris apud Guerinois hic q. 2. art. 2. §. 8. sub finem, ubi inquit, Cœlum Lunæ distare à centro terræ 30. Semidiametris; & semidiametri longitudo complectitur leucas 1431. continere milliaria duo.

QUÆSTIUNCULA SECUNDA.

De Excentricis, Concentricis, Epicyclis, Deferentibus, Circulis, & Zonis.

§. I.

D I C O P R I M O.

Nullum Cœlum etiam Planetarium constat Excentricis, aut Concentricis; benè verò Epicyclis, ac deferentibus.

1. Quò ad p.p. est contra Compl. sive Blas. sed commune inter cæteros.

Memento, superficiem aliam esse convexam, & aliam concavam. Convexa ea dicitur, quæ correspondet superficiei continenti, vel non correspondet alteri contentæ. Concava è contra est, quæ correspondet alteri contentæ.

Rursus superficies concentrica illa dicitur, cujus partes semper æqualiter distant à medio, sive centro. Excentrica illa dicitur, cujus non omnes partes æqualiter ab illo distant.

2. Igitur quod Compl. sive Blas. cum Ptolomæo dicunt est, unumquodque Cœlum planetarium constare ex tribus sphærulis, sive sphæris partialibus, quarum prima nobis proximior, & ultima à nobis remotior habent majorem grossitiem secundùm unam partem, quàm secundùm aliam. Altera autem sphæra media habet omnes partes ejusdem grossitiei. Sic autem sphærulæ istæ sunt in invicem dispositæ, ut pars grossior unius correspondeat parti debiliori alterius; & postea partes sphærulæ mediæ ita se habent, quod una quò magis declinat ad partes debiliores unius, magis extollitur super partes grossiores alterius, secùs sequeretur, extare aliquod vacuum. Igitur prima sphærula à nobis remotior est concentrica secundùm superficiem convexam, excentrica verò secundùm superficiem concavam. Alia verò ultima nobis proximior, & prima respectu nostri dicitur è contra excentrica secundùm superficiem convexam, concentrica

verò

verò secundùm superficiem concavam. Sphærula demum media secundùm utramque superficiem est excentrica; ob idque debet pro ipsa aliud assignari centrum, sicut & in aliis sphærulis pro superficiebus Excentricis; non quidem novus Mundus, vel nova terra, sed duntaxat alia pars terræ.

Hujusce placiti rationem adducunt eodem ex Ptolomæo, quia secùs sequeretur, Planetas jugiter à nobis æqualiter distare. Quod falsum ex eo constat, quia Planetæ nullo interjacente impedimento modò majores, modò minores nobis apparent.

Verùm enim verò inde ipse argumentum negativo meo pro placito infero. Quandoquidem si hujuscemodi extarent Concentrici, & Excentrici, dum proprio motu suis in Epicyclis, & Deferentibus cientur, impedimentum invenirent suo circulari motui in ipsis inæqualibus partibus, sicque vel non moverentur, vel eas comminuerent, vel modo ascenderent grossiorem supra partem, modò descenderent ad partem minoris grossitiei; ac per consequens moverentur duplici motu circulari, & etiam sursum, & deorsum; quod tamen cum iisdem, non infrequenter diximus, esse impossibile.

Urgetur. Siquidem si non contingit major illa distantia Planetæ à terra, nisi per hoc, quòd modò grossiorem supra partem ascendant, modò descendant inferiorem ad partem, quomodo salvabit Blas. id quod q. præcedenti art. 5. ad 1. inst. 2. arg. Planetas non posse moveri sursum, & deorsum: In quo vel ipse consentit?

Dicendum est igitur, quòd quidem modò magis, modò minùs Planetæ à nobis distant, V. G. ab hac Urbe Mantuæ, &c. semper tamen æqualiter à totâ terra. Hoc autem provenit, non ex inæqualitate partium Cœli, sed ex eo, quod Urbs ista, vel alia non est in medio, sive centro, idcirco modò major, modò minor nos inter & ipsos terræ pars est interjacens. Vel ex alio medio interposito. Vid. q. præcedenti art. ult. ad 3.

3. Objicitur præterea, quia Sol diutiùs cunctatur illa Zodiaci in medietate, quæ est à principio Arietis ad usque Virginis finem, quam alia in Zodiaci medietate, quæ est à principio Libræ ad finem usque Piscium, cùm in prima impendat 187. dies, in ista verò 178. circiter. Hoc autem provenire haud potest, alicujus ex medii obsistentia, nec ex inæquali motu Cœli solaris ceu jugitur uniformi: ergo ex Concentricis, &c.

Resp. negando, quòd motus proprius Cœli Solaris sit perpetim uniformis. Interdum namque cum majori, nonnunquam cum minori fit pernicitate juxta id, quod indigent sublunaria, ut art. sequenti §. 1. num. 2. cum D. Th. 2. de Cœlo lect. 15.

Ex hoc etiam provenit, quòd aliquando Eclipsis Solis ex interpositione Lunæ terram inter, & Solem, diutiùs duret.

Ex quo autem oriatur, quòd hujascemodi Eclipsis interdum cum majori, interdum cum minori est obscuritate; Dico, id provenire, non ex Concentricis, vel Excentricis; sed quia Luna interdum respicit Solem secundùm partes densiores, quæ Solis lucem magis sistunt.

4. Quò ad 2. p. placitum nostrum est commune apud omnes, qui nobiscum sentiunt, Cœlum esse corpus solidum propter dicta q. 2. art. 5. ad 2. Vid. ibi.

Præterea sphærulam aliam ponimus Solis in Epyclo, si verum est, quòd Sol ultra sui Epicycli motum alio cietur motu diverso in eodem Epicyclo, ut obtestantur Astronomi nonnulli. Sphærula hæc deferens vocitatur. Non tamen totum gyrat Epicyclum, sicut Epicyclus totam gyrat sphæram, sed jugiter eadem in Epicycli parte rotatur.

§ II.

DICO SECUNDO.

Circuli primarii sphæræ Mundialis decem sunt.

5. NOtos suppono duos Mundi polos, quos super Mundialis machina volvitur, & regitur; unus nempe Septentrionem versus, dictus propterea Septentrionalis, Borealis, Aquilonaris; estque propè Ursam majorem, quæ à nobis italis vocitatur *Tramontana*. Et iste nuncupatur polus Articus. Secundus est meridiem versus, appellatus polus Australis, diciturque Antarticus, eò quòd sit ex diametro oppositus polo Artico. Hujuscemodi poli dictitantur etiam Cardines Mundi, ad eum modum, quo poli, circa quos volvitur ostium, dicuntur cardines. Ab uno ex his polis ad alium imaginantur Astronomi lineam quandam, quam Mundi axim appellant: ad eum modum, quo lignum illud, circa quod rotæ Plaustri volvuntur, vocatur Axis. Quo supposito

Imaginantur Astrologi Circulos quosdam. Et (omissis aliis secundariis) decem primarii supputantur, nimirum Horizon, Meridianus, Æquator, Ecliptica cum Zodiaco, Colurus Æquinoctium, Colurus Solstitiorum, Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, Polaris Articus, & Polaris Antarticus.

Horizon est circulus quidam dividens sphæram in duo hemisphæria transeundo per centrum Mundi. Appellatur autem Horizon, quia ejus in extremitatibus Sol veluti oritur, dum fit conspicuus, & diei apportator. Dum namque in extremo secedit ab uno hemisphærio terræ, ad aliud deflectit, quod propterea vocatur Horizon sensibilis; primus verò, nempe Circulus Horizontis dicitur rationalis, hoc est sola ratione perceptibilis.

Meridianus est circulus quidam dividens Horizontem ad angulos rectos Septentrionem versus, & Austrum, transeundo per polos Mundi. Dicitur Meridianus, quia dum Sol ipsum attingit habetur meridies, & in hemisphærio opposito media nox.

Æquator dicitur circulus æquinoctialis, dividens sphæram in duas partes æquales versus polos Mundi unà cum circulo meridiano; unde istos per circulos in quatuor veluti partes secatur, nimirum à Meridiano in Septentrione, & Austro; ab Æquatore verò in Oriente, & Occidente. Dicitur æquator, quia dum Sol ad illum pertingit, dies, & noctes toto in Universo æquales sunt. Quod bis in Anno evenit, nimirum 21. Martii, & circiter 24. Septembris. Et qui hoc sub circulo directè degunt, habent dies, & noctem semper æquales.

Ecliptica est circulus secans polos æquatoris ad angulos obliquos, & ejus poli distant à polis æquatoris, quantùm Sol in utroque solstitio distat ab æquatore. Dicitur autem Ecliptica, eò quia Solis, & Lunæ eclipses contingunt duntaxat, quando uterque est circa medium ejusdem. Dicitur etiam circulus Regius, quia Sol Planetarum Rex continuò per illum incedit.

Zodiacus est circulus ille, in quo sunt illa duodecim signa recensita sub num. 5. & secat in medio æquatorem, & ab eodem secatur circa principium Arietis, & Libræ. Circulus iste ex una parte tangitur à tropico Cancri, & in alia à tropico Capricorni.

Colurus Æquinoctiorum est circulus secans æquatorem ad angulos rectos: in punctis æquinoctialibus.

Colurus solstitiorum est circulus secans æquatorem, & Eclipticam ad angulos rectos in punctis solstitiorum.

Præterea duo isti circuli sese in invicem secant ad angulos rectos. Unus tamen transit per principia Arietis, & alter per principia Cancri, & Capricorni; Idcircò forrassis coluri nuncupantur, nimirum ex persecta collusione, quam habent inter se.

Tropicus Cancri est circulus secans sphæram ad angulos obliquos in una Eclipticæ extremitate, in principio videlicet Cancri.

Tropicus Capricorni est circulus secans sphæram eodem modo in alia Eclipticæ extremitate, nimirum in Capricorni signo.

Dicuntur autem Tropici, quia dum Sol ad illos pertingit non ultra procedit, sed retrograditur æquatorem versus. Tropicus namque græco quodam provenit à vocabulo, quod receptum, sive retrogressum significat.

Circuli polares sunt circuli duo descripti in polis Mundi. Unus in polo Artico, & alius in Antartico. Ob idque non secùs ac ipsi poli, unus appellatur Aquilonaris, Australis alter.

Populi istis sub polis directè degentes habent unicam totum per Annum diem, unicamque noctem; quia (ut inquit Goudin hic q. 2. art. 6.) isti cùm habeant pro vertice polum, necessariò sortiuntur æquatorem pro Horizonte, adeoque necesse est, ut quandiu Sol eâ in Zodiaci parte, quæ eis est supra æquatorem, manet, tandiù illis fulgeat; Quandiu autem illâ est in Zodiaci parte, quæ eis est infra æquatorem nunquam Sol eis oritur: ergo cùm Sol per menses 6. lustret alteram Zodiaci partem, necess-

necessè sit, ut illis per 6. menses dies elucescat, per 6. menses nox habeatur.

§. III.

DICO TERTIO.

Quinque sunt Zonæ.

6. HAud aliud sunt Zonæ, nisi fasciæ quædam, quas imaginantur Astronomi in superficie sphæræ diversis terræ partibus correspondentes; quæ proinde terræ partes à nonnullis Zonæ vocitantur terrestres. Quinque autem communiter percensentur, nimirum Zona torrida, duæ temperatæ, & duæ frigidæ.

Torrida continetur duos inter tropicos. Pars terræ istâ degens sub Zona, sive Zona torrida terrestris censetus inhabitabilis ab Arist. & Plinio lib. a. cap. 6n propter immoderatum calorem tum ex diurina Solis supra illam permanentia, ex qua dies habentur longiores toto durante tempore, quo plures apud nos labuntur menses, quia elevatur supra illam duntaxat ad 23 gradus, & minuta 30. Tum quia Sol lustrat supra illam per *Zenih*, idest directè supra caput habitantium. Hoc siquidem significat Zenith, cui aliud opponitur punctum, dictum Nedir. Nihilominùs alii habitabilem scribunt, ita quòd Deus sic disponit, ut continuis ventorum auris, & pluviis ejus temperetur æstus.

Prima Zona temperata dicitur Borealis contenta intra Tropicum Cancri, & circulum Articum. Secunda est Australis contenta intra Tropicum Capricorni, & circulum Antarticum. In ista polus elevatur supra habitatores plusquam gradibus 66. minutis 30. nec minùs gradibus 23. minutis 30.

Prima Zona frigida est intra Circulum Articum, & polum Borealem. Secunda circulum inter Antarticum, & polum australem. Dicuntur frigidissimæ, quia Sol obliquissimè transit super habitatores. Supra istas polus elevatur gradibus 66. minutis 30. Idcircò habentur dies, & noctes durantes quantùm plures apud nos mensas.

7. Occasione, qua de Zonis sermo habetur, libet aliqua innuere de Via Lactea, quæ Falcia Lactea etiam vocitatur, estque nobis jugiter conspicua. Circa istam plures extitere fabulæ. Quandoquidem nonnulli fabulati sunt, Viam Lacteam esse viam ad Regiam Jovis ducentem. Alii esse Junonis lacte perfusam, cùm à se Herculem abjecit, quem Jupiter ipsi dormienti admoverat. Alii esse adustionem factam per lapsum stellarum ob casum Phætontis. Alii esse viam Animarum Heroum ad Cœlum. Alii esse veluti saldaturam quandam argenteam, qua colligatur Cœlum in sphæra, quod putarunt, esse divisum in partes tanquam duas in scutellas. Vid. Arnù q. 7. de astris art. 7.

Philosophi autem cum plerisque etiam ex Astronomis diversimodè sentire videntur, ut legere est apud eundem Arnù. Plausibilior tamen sententia est, Viam Lacteam nil aliud esse, quàm ingentem copiam minimarum stellarum, quarum adeo exigua est lux, ut haud distinctè pertingere ad nos usque valeat, proindeque confusaneè apparens una illum exhibet circulum, qui Via Lactea, sive Galaxia nuncupatus. Quod ita esse compertum est, tum beneficio Telescopii; Tum eò quòd cietur motu stellarum fixarum.

Arist. autem 1. Meteor. sentire videtur, esse exhalationum multitudinem quandam siderum virtute attractam & inflammatam. At ibi loquitur, non de Via Lactea cœlesti, sed quadam de Via Lactea elementali formata aeris supremâ in regione. Cujus signum est, quòd de ea loquitur in Meteororum libris.

Videri potest Goudin q. 2. art. 6.

Præ cæteris videri potest P. Benedictus Mazzotta Cœlestinus in sua Triplici Philosophia, ubi agit de Philosophia naturali parte prima cap. primo pag. 10. ibique Schema ejusdem habetur in secunda paginarum serie.


ARTICULUS QUARTUS.

In quo varia examinantur Systemata.

§. I.

In quo stabilitur Systema Ptolomaicum.

1. EX præhabitis hac in q. 2. art. 1. §. 2. sicut & quæstiuncula 1. post art. 3. & eodem in art. 3. enitescit qualiter habeatur Mundi Systema ex Ptolomæo haustum, cujus præ oculis schema hic habes.



Ubi, uti vides, sic ordine situantur Orbes, ut terra sit constituta in mundi centro, cæteris cum elementis eam ambientibus, aqua nimirum, aere, & etiam igne juxta ea, quæ lib. 2. de Gener. & Corrupt. cum insignioribus Philosophis dicturi sumus. Porrò circa terram immotam Cœlestia omnia rotantur corpora, juxta dicenda §. sequenti a adversus Copernicanos, & Cartesianos, &c.

Primum nobis proximius Cœlum elementa cuncta circumscribens est Cœlum Lunæ, secundum Mercurii. Tertium Veneris, Quartum Solis, Quintum Martis, Sextum

Jovis

Jovis, Septimum Saturni, Octavum Firmamentum, sive Cœlum Stellatum; Nonum primum mobile, sive Crystallinum, quia Crystallinum indistinctum à primo mobili dicimus juxta dicta art. 5. hujus 2. q.

Duæ hujusce ordinis in Cœlis rationes habentur. Prima, quia Cœlum illud, cujus Planeta Planetæ alterius defectionem, sive eclipsim causat, est inferius; sed ab Astronomis compertum est, quòd Luna omnium Planetarum defectum quò ad lucem causat Mercurius Veneris, Venus interdum Solis, Sol Martis, Mars Jovis, Jupiter Saturni, & isti omnes Stellarum fixarum obscuritatem sua interpositione inducunt: ergo &c. Verum est tamen, quòd Eclipsis illatus Soli à Mercurio, & Venere est valde exiguus, & non adeo sensibilis, sicut ille, qui ei infertur à Luna. Hoc autem ideo est, quia Mercurius, & Venus sunt longè Sole minores. Et quamquam magnitudine Lunam excedant, nihilominùs quia corpus minùs ingens quò est majori propiùs, minùs obducit, idcircò Luna ceu magis à Sole remota magis Solem obtegit.

Secunda ratiocinatio ex Arist. 2. de Cœlo & D. Th. ibidem lect. 15. est, quia Cœlum illud est inferius, quod velociùs concitatur motu proprio; sed Luna pernicissimè motu proprio agitur, deinceps ulteriores Cœli juxta ordinem à nobis descriptum: ergo &c. Min. est certissima, quia Luna suum conficit cursum 24. dierum spatio, Sol, Venus, & Mercurius spatio penè unius anni, Venus nonnihil festiniùs, quàm Mercurius, & Mercurius quàm Sol. Mars spatio duorum annorum, Jupiter spatio 12. Annorum, Saturnus 30. annorum, Firmamentum spatio septem mille, ut aliis placet, sex mille annorum. De quo iterum q. sequenti 3. art. 5. §. 2. in fine. Maj. Prob. Quandoquidem mobile, quod motu suo pernicissimo secum cæteros abripit orbes, minùs agit in magis distantes, quàm in propriores, adeoque minùs impedit illorum motum, qui motui primi mobilis contrariatur.

2. Observat verò S. Th. loco relato, haud oportere, quòd sit pernicitatis proportio secundùm distantiæ proportionem; quia motus Cœlestes sunt non tantùm naturales, verùm etiam voluntarii propter finem desideratum. Idcircò motus illi inquantùm sunt naturales, hoc communiter in eis invenitur, quòd superiores sunt tardioris motus. Inquantùm eorum motus sunt voluntarii, variatur proportio velocitatis eorum in speciali, non secundùm proportionem distantiæ, sed secundùm id, quod motori videtur meliùs. Eapropter quia motus Veneris, & Mercurii quasi colligantur motui Solis, ceu ei inservientes ad productionem sui effectus, quasi uniformiter cum ipso moventur. Sic igitur, quod Arist. dicit, quòd suprema sidera plùs prævalent in supremum Planetam, & minùs remotum, non est secundùm aliquam coarctationem, sed secundùm naturalem impressionem, inquantùm nimirum naturam superioris magis participat id, quod est propinquius, quàm id quod est remotius.

§ I I.

Refertur, & referendo respuitur Systema Copernicum.

3. EXsoletum jam vetustissimum quoddam Systema apud Pytagoreos atque Platoneos innovare studuit Nicolaus Copernicus Canonicus Turonensis eximius Astronomus, postquem Galilæus Florentinus, Petrus Gassendus, necnon Cartesius, qui tamen (ut §. 4. videbis) in nonnullis à Copernico discrepat.

Hoc itaque juxta Systema, non terra, sed Sol constituitur in Universi centro ad instar facis accensæ undequaque circumfulgens, & illustrans Planetas, inter quos, & terram supputat in ea parte, qua in ipsam convertuntur, dum suos agitant circuitus; ipse vero Sol licèt circa proprium centrum moveatur, & suam revolutionem perficiat intra dies 27. & 28 attamen rotatione sua non secedit à proprio loco, sed immobilis manet à centro mundi, ut contingit si globus artificialis rotetur circa axem, & punctum medium.

Idem juxta Systema, Sol in medio Mundi, sive centro Universi constitutus ambit undequaque spatium vastissimum, ac quasi immensum ad sphæram usque Stellarum fixarum tanquam extrema Mundi mœnia; & hæc sphæra supponitur omnino immensa, & ad instar fornicis firmissimè compacta, & insertis Stellis ornata, continens vastissimum suum intra sinum totum spatium illud, quod ipsam inter & Solem mediat. Hoc autem in spatio collocantur Planetæ, quos inter & terram supputat, qui omnes circa Solem moveantur hoc ordine, nimirum Mercurius, qui omnium est Soli proximior movetur circa ipsum, suumque circulum perficit intra tres circiter menses. Deinde Venus, quæ cùm sit à Sole remotior Mercurio, ac per consequens circulum sortita sit ampliorem, eundem conficit circulum mensibus septem cum dimidio. Postea terra. (Nomine terræ intelligit Copernicus terraqueum globum unà cum tota congerie omnium corporum terrestrium, atque aqueorum, imò & meteororum, vaporum, & exhalationum, quæ omnia cum terra circumaguntur) circuit Solem intra menses 12. Et hic circuitus vocitatur à Copernico Orbis magnus. Luna verò, quam terra secum defert, ac proinde unà cum ipsa circumit Solem, habet præterea alium gyrum circa terram, eumque absolvit intra mensem. Insuper circumducitur Mars, & suum complet gyrum circiter intra biennium. Sequitur postea Jupiter, qui suo in circulo annos consumit 12. Sed advertendum, quòd Jupiter secum defert Stellulas quasdam vagas, quæ Jovis nuncupantur Satellites, & hæ gyrant circa Jovem; at quia quædam sunt Jovi propriores, quædam remotiores, idcircò illæ paucioribus diebus, istæ verò pluribus suos circa Jovem explent circulus. Demum Saturnus suo ambiens circuitu omnia supradicta, suum absolvit circuitum intra annos 30.


Triplex asseveratur motus terræ, nimirum diurnus, annuus, & parallellisticus.

Motus diurnus terræ ille est, per quem ipsa volvitur circa proprium axem, & centrum ab occasu in ortum, & ob hunc motum videtur nobis, quòd Sol moveatur ab ortu in occasum, eo modo, quo dum Navis solvitur à portu existentibus in Navi videtur moveri portum, & à navi abscedere. Hoc autem intellecto motu terræ haud difficilè intelligitur, quomodo eveniat dierum, & noctium vicissitudo, & quomodo alterum terræ hemisphærium succedaneè obtenebretur, & illustretur, non secùs, quàm si ante lucernam stantem globus aliquis circa suum axem revolvatur.

Motus annuus terræ est ille, per quem interim, dum tersa circa proprium centrum volvitur intra horas 24. per suum motum diurnum, progreditur paulatim per Zodiacum; non tamen respondet semper eidem signo Zodiaci, sed dum ab occasu in ortum circumducitur Sol transit paulatim ab Ariete in Taurum, à Tauro in Geminos, sicque duodecim signa Zodiaci percurrens complet intra annum suum circuitum circa Solem.

Motus verò parallellisticus terræ ille est, per quem terra dum paulatim progreditur per Zodiacum alternatim accedit, & secedit ab uno polo ad alium, ita ut alternatim habeat Solem nunc magis, nunc minùs verticalem. Eapropter quemadmodum per motum diurnum fit dierum, noctiumque vicissitudo, per motum verò annuum integer annus; ita hunc per motum parallellisticum contingit varietas tempestatum. Ideo autem parallellisticus nuncupatur, eò quòd ratione ipsius terra in suo motu jugiter retinet invariatum parallellisticum sui axis.

Quæ, ut promptiùs percipiantur adduci consuevit exemplum trochi, sive turbinis lusorii, qui scutica, vel sustica adactus antequam ampliorem gyrum absolvat plures minores efficit circa suum axem. Aliud quoque exemplum de sphæra appicta vexillo volubili navis, cujus sphæræ axis etiam dum flante vento navis Castrum circumit manet in suo parallelismo; quamvis ventus dirigat in easdem partes & Vexillum, & axem sphæræ ipsi appictæ. Exemplum primi juverit ad percipiendum, quatenus terra per magnum orbem perficiat gyrum circa Solem intra unum annum, & volvetur dietim circa proprium axem. Secundum verò, quomodo cum his prædictis duobus motibus terra servet invariatum sui axis parallelismum.



Quo in schemate adverte, quòd plures circuli, qui perspiciuntur in vastissimo spatio illo Solem inter, & sphæram, stellarum fixarum non indicant plures Cœlos, sed plures orbitas, sive gyros, quos faciunt Planetæ eodem in spatio. Idem indicant Epicycli, idest parvi circuli circa terram pro Luna, & circa Jovem ejus pro Satellitibus.

Advette præterea, spatium illud, quod protenditur à Saturno ad usque sphæram stellarum fixarum esse ferè immensum, & incomparabiliter majus illo, quod est Saturnum inter, & Solem..

§. III.

Viæ, quibus hoc exploditur systema.

4. PRimò via Fidei. Quandoquidem 1. Paralipomenon 16. dicitur *commoveatur à facie ejus omnis terra: ipse enim fundavit Orbem immobilem*. Ecclesiastes 1. *Terra in æternum stat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem*. Josue 10. *Sol contra Gabaon ne movearis* &c. *stetit itaque Sol in medio Cœli, & non festinavit occumbere spatio unius Diei*. Psal. 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*. Psal. 92. *Firmavit Orbem terræ qui non commovebitur*.

Quibus mota S. Congregatio ad indicem deputata Decretum edidit de terræ quiete, litem hanc dirimens.

Ob idque insubsistens deprehensa est Copernicanorum evasio dicentium, oracula illa haud esse intelligenda in rigore sensus litteralis; eò quia cùm non intendant docere nos res astronomicas, sed eas, quæ ad salutem pertinent sese in modo loquendi accomodat captui, ac opinioni Vulgi, cui videtur terra stare, & Sol moveri. Quemadmodum quia Vulgus putat, Lunam esse majorem cæteris Planetis, ac astris, cùm tamen re vera ita non sit, Scriptura supputat Lunam inter luminaria magna dum Genesis 1. dicitur *fecit Deus duo luminaria magna*, &c.

Insubsistens inquam, Tum quia S. Congregatio sic decrevit. Tum quia verba S. Script. litterali sunt accipienda in sensu, judice Aug. dummodo aliquod non sequatur inconveniens, quod sit vel fidei, vel bonis moribus dissonum. Tum quia esto intentum illud S. Script. non sit, ut Homines doceat res astronomicas, & hujusmodi, sed duntaxat pertinentes ad salutem; attamen cuncta, quæ refert, credenda sunt, sicut à Script. feruntur, secùs haud credere teneremur complura facta historica, & genealogica, ceu nullatenus ad salutem attinentia; sicque credere non teneremur, quòd Abraham genuerit Isaac, quòd habuerit duos filios, &c. Sanè Scriptura veritatem intendit, & non tantum Vulgo se accommodare.

Imò Galilæus Galilæi Lincæus ejuravit solemniter errorem de existentia Solis in centro Mundi ejusve quiete, & de motu terræ. Leguntur verba sententiæ S. Congr. in ejusdem Galilæi Systemate impresso Lugduni Batavorum anno 1699. & formula, qua ejuravit à pag. 488. usque ad 494.

Exemplum autem allatum alio ex Script. loco non est ad rem. Scriptura siquidem cùm dicit *Fecit Deus duo luminaria magna* non ad vulgi opinionem, sed relativè ad luminis effusionem Lunam luminare magnum appellat. Quandoquidem Luna tametsi ratione suæ entitatis quantitativæ sit superioribus planetis, pluribusque Stellis minor; tamen est major ratione luminis effusionis, cùm nullum aliud astrum præter Solem tantum ad nos diffundat lumen.

Secundò. Via rationis, qua q. sequenti in Præloquiis ostendemus, Cœlum moveri.

Tertiò. Via experimentali quantùm ad illum motum diurnum. Si verum foret, quòd terra spatio 24. horarum circa proprium centrum ageretur, deberet pernicissimo isto suo motu secùm abripere aerem ambientem ad aliquam usque considerabilem altitudinem, sicut evenit dum V. G. rota, quæ dum motu cietur veloci abripit secum viciniorem aerem ambientem; sed haud ita res se habet: ergo &c. Prob. min. Si terra secum abriperet aerem ambientem, hanc secum circumageret; sed nequit illum secum circumagere: ergo &c. Prob. min. Si terra secum circumageret aerem, vel circumageret æquali pernicitate, vel majori, vel minori; atqui nullo ex his modis: ergo &c. Prob. min. Et

Primò quòd nequeat terra circumagere aerem æquali velocitate. Etenim corpus molle, & fluidum quale est aer, nequit tantam recipere motus impressionem, quantam corpus durum, ac solidum, quale est terra; ut palam est, dum aliquo in Vase amplo, & operto ex superiori parte portatur aqua. Tunc siquidem cernitur, quòd aqua suam ob mollitiem, & fluiditatem, si vas festinanter deportetur, retrograditur, ac intumescit, non aliam ob rationem, nisi quia nequit

aequit recipere vim motus æqualem, quam habet vas, quod estdurum, & solidum. Imò Galilæus unus ex Copernicanorum Dynastis explicat fluxum, & refluxum maris hunc per receptum, sive hanc per retrocessionem aquarum, quæ nimirum ob propriam fluiditatem non valet æqualiter moveri cum terra velocitare circumacta.

Quo ex ratiocinio probata remanet secunda pars à fortiori, sed ulteriùs evincitur. Siquidem si majori aer celeritate ageretur, secum abriperet leviora corpora quæ sursum perpendiculariter projicerentur, V.G. follis lusorius, non caderet perpendiculariter in illud idem punctum, sive locum qui subjacet ei undè projectus fuit. Quod quotidiano pugnat cum experimento.

Demum quòd nec minori rapiditate secum aerem abripiat, suadetur, Tum quia sequeretur idem inconveniens de corporibus etiam gravibus ex alto demissis, quæ non reciderent perpendiculariter, idest supra illud terræ punctum, seu locum, qui perpendiculariter subjacet ei, undè dimittuntur. Præterea oporteret, quòd totus ille aer ambiens, ad considerabilem usque altitudinem (quæ plurium deberet esse milliarium) uniformiter abriperetur; non quidem uniformiter relativè ad terram, sed relatè ad quamlibet partem aeris circumactam, secùs nubes intra illius altitudinem aeris existentes cernerentur, etiam nullo flante vento relinqui à longè, & habere occasum haud secùs quàm astra. At non sic uniformiter posse abripi ex eo evincitur, quòd partes remotiores majorem debent peragere gyrum eodem tempore, quo partes propinquiores peragunt minorem. Cohæret cum dictis n.1. ratiocinatione 2.

Aliud quoque adducit ex Alexandro Tassono experimentum Mastrius de existente in puteo. Iste namque de imo putei stellam aliquam fixam contuens, illam videt diutinum per temporis]spatium. At si terra ita in gyrum ageretur, subitò ab oculis evanesceret, quia rapidissimo illo motu quasi in instanti præteriretur pars illa, quæ in summitate putei est duarum duntaxat, vel trium ulnarum longitudinis, qua præterita stella non ultra videretur.

Aliod quoque afferri consuevit experimentum ex Aresio de sagitta arcu sursum projecta, quæ (si verum esset, terram moveri) non relaberetur perpendiculariter ad pedes projicientis, qui simul cum terra cieretur; quemadmodum si projiciens existat in Navi vento adacta, sagitta sursum projecta recidit extra Navim.

Ad hoc respondent Obversarii ideo sic evenire, quia motus omnis translatus imprimit rebus omnibus, quas secum transfert, eundem omnino motum, quo ipse transfertur. Ob idque dicunt, quod si quis dum pernicissimo curru vehitur sagittam rectè sursum excutiat, hæc non extra, sed in currum ipsum recidet. Imò Galilæus obtestatur non semel expertum se esse, lapidem projectum à summitate mali seu ex charcherio, etiam dum Navis rapidissimè vel ventis, vel remigio ageretur, semper concidisse ad pedem ejusdem mali.

Verùm Cottunius 1. Meteor. lect. 16. citatus à Mastrio è contra obtestatur se expertum esse, quòd alligata ad malum Navis balista, saxum in altum projectum non intra navim, sed extra in aquas versus puppim recidit. Ego experimentum hoc non feci.

6. Via Astronomica, qua procedit Saguens tom. 4. disp. 18. art. 5. Si Terra moveretur motu annuo translata per Orbem magnum percurrendo 12. Zodiaci signa, ut Copernicani contendunt, sequeretur, quòd stella illa fixa, quæ mihi est verticalis tunc quando terra reperitur correspondens 69. idest Cancro, non foret ampliùs verticalis mihi quando terra reperitur correspondens 8. idest Capricorno. Atqui hoc est maximum absurdum, & pugnans cum experientia Astronomica, qua experimur, stellam, quæ est verticalis uni loco terrestri esse eidem verticalem quocunque anni tempore: ergò &c. Sequela maj. est evidens. Siquidem supposita illa translatione terræ per Orbem magnum paulatim percurrentis signa Zodiaci, punctum mihi verticaliter insisteos dum terra reperitur in Cancro tantùm distat ab altero puncto mihi verticaliter insistente dum terra est in Capricorno, quanta est intra Orbem magnum longitudo diametri, quæ à Cancro ad Caprum ducitur; ergo si terra transferretur per Orbem magnum sequeretur, &c.

Nec dicant Copernicani, ideo non semper verticaliter apparere, quia distantia illius stellæ à terra tanta est, ut ferè immensa sit.

Ne, inquam, id dixerint. Siquidem si centum milliarium latitudo V.G. unius Civitatis ab alia sub eodem Meridiano (Meridianus est circulus maximus transiens per polos mundi verticalem, nempe supremum, qui vocatur Zenith, & verticalem infimum, qui vocatur Nedir) efficit, ut non habeant easdem stellas verticales, non obstante illa propemodum infinita distantia stellarum à terra, quid quæso faciat illa longitudo diametri Orbis magni, quæ est ad minùs semidiametrorum terrestrium bis mille quadringentorum triginta duorum 2432.

7. Demum non videtur verisimile, quòd non perciperetur iste rapidissimus motus terræ; licèt dicant non percipi, nisi quando irregulato quatitur motu, dicto terræ motu; sicut nec ab existente in Navi percipitur navis motus, nisi aquam intueatur. Nam & iste percipitur si adeo rapidus sit, ultraquamquod, quæ comparatio has inter celeritates. Et adde quod terra ceu grave corpus suapte natura quiescere petit.

Hinc meritò cum Jo: Onven lib. 5. Epigr. 14. deridente Gilbertum lepidè posset Copernico dici.

Stare negas terram? nobis miracula narras
Hæc cùm scribebas, in rate forsan eras?

§. IV.

Solvuntur Objectiones Copernicanorum.

8. ARg. 1. Convenientius est, terram moveri circa Solem, quàm Solem circa terram: ergo &c. Prob. ant. Et Primò. Terra indiget Sole, ejusque influxu propter ea, quæ in ipsa habitant, & non è contra: ergo &c.

Secundò. Terra est ignobilior Sole: ergo convenientius est &c. Prob. conseq.

Corpori ignobiliori convenientius est id, quod est ignobilius; sed moveri est ignobilius, quàm quiescere: ergo &c.

Tertiò. Quod est facilius videtur esse convenientius, cùm sic in omnibus operetur natura, ut non quærat per vias difficiliores, quod per faciliores potest, ut perspicuum est in fuga vacui, in qua non recurrit ad corporum fractionem, dummodo possit faciliùs vacuum impedire; sed facilius est terram moveri circa Solem ob molis parvitatem, quam Solem moveri circa terram: ergo &c.

Quartò. Sol est veluti Rex siderum, & fons luminis, ac veluti Universi lucerna: ergo convenientius est, ut existat in centro mundi, ad hoc ut sydera fleut circa ipsum, non secùs ac circa Regem aulici, & ad hoc, ut tanquam lucerna illuminet mundum in medio, & non in angulo. Eo autem ipso, quòd Sol existat in centro mundi sequitur, terram moveri circa ipsum.

Quintò. Sol est veluti ignis terram calefaciens, eamve suo calore reddens feracem, & fœcundans; ergo &c. Prob. conseq. exemplo ignis assantis carnes, quæ veru infixæ circa ignem volvuntur: ergo si &c.

Tandem convenientius est, Homines in terra degentes ut cernant, ac contemplentur miram Universi pulchritudinem terra esse tanquam auriga vectos: eum ad modum, quod si quis alta ex specula totam cuperet contemplari civitatem convenientius foret, ut caput verteret, quàm quòd sibi immoto tota ob oculos civitas revolveretur.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. concesso ant. nego conseq. imò retorqueo hoc materiale arg. siquidem quemadmodum si aliqua foret paupercula non valens se movere, ut ostiatim eleemosynam emendicaret conveniens foret, ut ad eam Proceres se conferrent, ut ei subvenirent. Sic cùm moveri suapte natura terra nequeat ceu gravis, conveniens est, quòd Sol circa eam suos infundens influxus volvatur.

Ad 2. conc. ant nego conseq. Ad prob. dist. min. Si motus ordinetur ad quietem in proprio loco acquirendam, concedo, si ordinetur ad communicandam virtutem aliis ob Universi bonum, nego min. & conseq. Quemadmodum Dux per exercitum excurrit, ut quæ necessaria sunt disponat.

Adde quòd terra licèt se sola considerata sit ignobilior Sole, tamen inspecta ut Hominum habitaculum nobilior est. Eapropter cum in terra habitet Homo veluti Rex suo in Palatio, decentius fuit, ut circa eam astra volverentur.

Ad 3. nego maj. vel dist. maj. si id, quod est facilius æquè conducat ad commune bonum, ut in exemplo vacui, concedo, secùs, nego. Motus autem terræ est contra universi bonum, quod perturbaret, quia terrestria corpora, ceu gravia ad centrum tenderent. Præterea omissa maj. nego min. Ad annexam prob. dico, verum esse quantum est ex illo capite, at difficilius ex alio capite; quia omne grave tardissimè cietur, imò suapte natura quiescit.

Ad 4. nego conseq. quia Sol licèt non sit in centro Mundi; tamen est in medio Planetarum, qui circa ipsum tanquam circa Regem aulici moventur. Similiter licèt non sit in medio, tamen se habet ut lucerna, quæ cùm non possit totam terræ superficiem simul illuminare, eò quòd sit sphæricæ figuræ; nihilominùs eam successivè illuminat suo motu. Perperam itaque Copernicus, inquit Mastrius, assimilavit terram magnæ aulæ, cujus in medio positus sit Sol tanquam lucerna illam illuminans, cùm potiùs assimilare debuisset Palatio habenti desuper, & subter varium ordinem cubiculorum. Aula siquidem tota simul illuminatur, & in ea congruentius ponitur lucerna in medio, quàm in angulo. Palatium verò non totum simul, sed successivè, ita ut non ipsum circa lucernam immotam convertatur, sed lucerna huc, & illuc deportetur circa ipsum.

Ad 5. nego conseq. Ad prob. dico, carnes æquè benè assari clausas intra Clibanum immotas habentes ignem circumquaque, ac veru infixas circa ignem volutatas.

Ad ult. nego ant. Dixi siquidem ad 2. Convenientius esse, ut Homini in terra degenti tanquam Regi in Palatio repræsententur spectandæ mundi partes, ejusque mirus ornatus, ac decor, cùm quies contemplationi sit motu aptior. Ad exemplum ibi adductum, ultraquamquod discrimen est latum, quia Urbs moveri haud potest, quin corruat, retorqueo arg. Quemadmodum namque contemplaturus civitatem modò huc, modò illuc se verteret, manente specula immota, ita Homines Universi venustatem contempiaturi, modo hùc, modò illùc se vertere, terra immota manente.

9. Arg. 2. In Oceano Æthyopico in Zona torrida sub Æquatore quidam sentitur ventus continuus, & uniformiter, qua ratione vocatur generali; sed hujus venti causa alia esse non potest, nisi terræ rapidissimus motus: ergo &c.

Resp. primodùm ex dictis quæstiuncula secunda posita post art. 3. § 3. num. 6. causam præfati venti esse specialem Dei providentiam ut Zonæ torridæ æstus mitior fiat.

Vel illius causas, sicut & aliorum ventorum eas esse, quas in tract. de Meteoris dicemus. Magis autem in Oceano sub Æquatore sentitur, quia ibi montium, & vallium impedimenta non habet.

10. Arg. 3. Fluxus, & refluxus Maris non aliunde, quàm terræ ex motu causari potest.

Resp. hujus falsitatem satis constare ex videndis in tract. de Meteoris agendo de Mari.

11. Arg. 4. experimentum. Si intra parvum, ac clausum cubiculum suspendatur filo æneo lamina ferrea ad æquilibrium, ita ut una pars extremitatum vergat ad ortum, altera ad occasum, & ex ambientis aeris impulsu nullus possit motus induci, comperientur extremitates devolutæ ad septentrionem, & austrum; sed rei hujus causa excogitari haud alia potest, nisi motus terræ: ergo &c.

Conf. Omnes fibræ, rimæ, ac venulæ in sodinis metallorum conspiciuntur tendere ortum versus: ergo signum est, quod terra ortum versus agatur.

Resp. nego min. Causa siquidem esse potest vel ipsa non perfecta æquilibratio; vel ipse aer, qui, quantumvis cubiculum sit perfectè obseratum, nonnihil agitatur Cœlorum influxibus. Adde, quòd, ut vel ipsi oppugnantes annuunt, multoties præfatum experimentum deficit, ita ut lamina illa ulla absque variatione consistat. Signum evidens, prædictum effectum minimè causari à motu terræ, qui cùm sit continuus juxta Copernicum, & rapidissimus deberet efficere, quòd lamina continuò, & pernicissimè moveretur.

Ad Conf. nego conseq. Quandoquidem si motus terræ esset causa, cur in mineris metallorum rimæ, fibræ, ac venulæ tenderent in ortum, deberent esse causa, ut omnia flumina tenderent in ortum. Potiùs itaque hujuscemodi effectus causabitur à Sole illuminante priùs partes orientales; quemadmodum hanc ob rationem experimur, vineas ad Orientem expositas esse magis feraces.

12. Arg. 5. Ob motum Cœlorum, & maximè primi mobilis movetur ignis, & aer circulariter: ergo etiam terra, quæ ceu sphærica apta est motui circulari.

Resp. nego conseq. quia terra ob sui gravitatem haud capax est recipiendi impetum impressum à motu Cœlorum, sicut aer, & ignis, quæ ab impetu prædicto moventur. Nec urget, quòd terra sit sphærica, quia hujuscemodi figura non soli motui circulari deservit, verùm etiam ad hoc, ut corpus secundùm omnes suas partes æqualiter existat in suo loco, & præsertim terra, quæ est Universi centrum.

Dices. Gravitas terræ non est major, quàm aliorum Planetarum, qui moventur: ergo non impedit, &c.

Ad hoc habes ex dictis quæst. 1. in quæstiuncula posita in fine ejusdem quæstionis negandum esse suppositum, cùm ibi ostensum sit, Cœlestia corpora nec levia, nec gravia esse. Vid. ibi

§ V.

Refertur, & referendo refutatur Cartesii Systema.

13. IN præcipuis Cartesii Systema non differt à Copernici Systemate. Ut namque 1. Phys. q. 1. art. unico § 10. vidimus docet Cartesius, ita mundum esse dispositum, ut Sol sit in centro, totam verò materiam Cœlestem, in qua sunt Planetæ gyrare unà cum eisdem Planetis (inter quos & terram supputat) circa Solem tanquam circa centrum materiei Cœlestis, & Planetarum, ita ut tota materia Cœlestis sit tanquam magnus vortex circumagens circa centrum, nimirum circa Solem, in quo vortice partes propiores centro citiùs perficiunt suos gyros, quàm remotiores: ad eum modum, quo aliis in vorticibus contingit. Cartesii mentem assequi poterit, qui præ oculis habebit aquarum vorticem. In hoc siquidem perspiciet, aquam gyrantem circa vorticis centrum secum deferre, & circumducere festucas, quas aqua gyrans continet, circa idem centrum. Sic tota materia Cœlestis (inquit Cartesius, volens esse fluidam) circa Solem tanquam circa centrum gyrat, & secum ducit, ac circumfert Planetas omnes, quos eadem continet Cœlestis materia.

Hoc eodem exemplo Cartesius utitur ad exponendos motus Planetarum tum primariorum, tum secundariorum. Appellat verò ipse planetas primarios illos duntaxat, qui circa Solem tantummodo, tanquam circa suorum motuum centrum gyrant, hosque sex asserit esse, nimirum Mercurium, Venerem, Terram, Martem, Jovem, & Saturnum; Planetas verò secundarios eos vocitat, qui quamvis etiam ipsi gyrent circa Solem, suos tamen motus perficiunt gyrando circa aliquem Planetam primarium tanquam circa proprium centrum, sicut faciunt satellites circa Jovem, & quædam Stellulæ circa Saturnum, & Luna, quæ proprio motu menstruo gyrat circa terram, quanquam etiam propter motum annuum terræ gyrent circa Solem.

Hoc, inquam, utitur exemplo ad explicandos motus Planetarum primariorum, & secundariorum. Quemadmodum namque in aquarum vortice gyrant non solùm festucæ, quas aqua continet, verùm etiam quandoque festucæ quædam vortici incumbentes, & ab aqua delatæ circa centrum ipsius vorticis, gyrant aquæ intra vorticem comprehensæ, ita ut ex istis festucis gyrantibus circa propria centra simul cum aliqua portione aquæ intra vorticem comprehensæ fiat quidam minor vortex in majori, & in hoc minori vortice, in cujus centro una festuca gyrat, deferuntur ab illa portione aquæ aliæ festucæ gyrantes circa illam, quæ gyrat in centro minoris vorticis, quamvis prædictæ festucæ ferè unquam perficiant suos circulos. Ita non solùm materia tota Cœlestis gyrans circa Solem tanquam circa centrum totius vorticis secum defert, & circumducit circa Solem planetas omnes, quos continet materia Cœlestis, verùm etiam Planetæ quidam delati à materia Cœlesti circa centrum totius vorticis, nempe circa Solem, gyrant circa propria centra simul cum aliqua portione materiæ Cœlestis intra totum vorticem comprehensæ, ita ut ex istis Planetis gyrantibus circa propria centra unà cum aliqua portione materiæ Cœlestis intra totum vorticem comprehensæ fiant quidam minores vortices in majoribus; & in bis minoribus vorticibus (in quorum centris gyrant Planetæ illi, qui à Cartesio, & Copernico vocitantur primarii) deferuntur ab illa portione materiæ Cœlestis alii Planetæ secundarii gyrantes circa Planetas primarios, qui gyrant circa propria centra minorum vorticum; quamvis prædicti Planetæ, se-

tæ, ferè unquam describant suis motibus orbitas perfectè circulares.

Qua ex re enitescit, quòd juxta Cartesium quemadmodum Sol est commune centrum totius majoris vorticis, & omnium in ipso existentium: ita primarii Planetæ sunt propria centra minorum vorticum, omniumque in ipsis existentium.

Præterea Cartesius ponit (quòd refutavi 4. Phys. in Præloquiis quæsito 4.) Mundum indefinitè, imò infinitè extensum. Putat namque spatia extramundana, quæ imaginamur ultra Cœlum esse realia, & infinitè extensa, sicque Mundum in tres distribuit Cœlos. *Primum* Cœlum nil aliud est, quàm vortex, qui Solem habet ut centrum, & continet materiam cœlestem, in qua Planetæ nobis cogniti, nimirum Saturnus, Jupiter, Mars, Terra, Venus, & Mercurius, eorumque asseclæ gyrant circa Solem. Secundum Cœlum nil aliud est, quàm Vortices illi prædicto vortici circumpositi, in quorum centris sunt Stellæ fixæ à nobis visibiles: quantùm enim ad regionem Stellarum fixarum dissentit Cartesius à Copernico: Copernicus siquidem ponit illam tanquam supremam sphæram Mundi firmissimè compactam ad modum fornicis, Stellisque fixis intextam; Cartesius verò putat, vel se putare dicit, non extare hanc veluti Mundi fornicem, sed Mundum esse infinitè expansum, ita ut illa infinita in expansione sint infiniti vortices perpetuò gyrantes inter se. Tertium verò Cœlum, inquit, esse omnes alios infinitos vortices, qui ultra secundum Cœlum extenduntur, nimirum ultra vortices illos, in quorum centris sunt Stellæ fixæ à nobis visibiles. Et de hoc dicit ipse, nil posse à nobis dici, cùm videri minimè possit.

Tandem Cartesius supputat Solem inter Stellas fixas; terram vero inter Planetas, ac proinde lucere sicut alios. Et quod mirabilius est, docet, quòd terra delata à suo vortice, nempe à materia Cœlesti circa Solem, sit immota, & propriè non moveatur.

Ex hactenus dictis innotescere haud difficilè poterit, systema Cartesii non multùm differre à Copernicano; imò quantùm ad situm Solis, Terræ, Lunæ, aliorumve Planetarum esse omnino idem cum illo, à quo tamen discrepat, Tum quia asserit, quiescere terram, licèt implicatoriè, ut mox diximus, & iterum sequenti num. 13. cùm dicat esse delatam à materia cœlesti circa Solem. Ob idque puto, quòd & terræ quietem docuisset, nisi S. Congreg. Decretum obstitisset. Tum quia negat supremam sphæram Stellarum fixarum esse immobilem. Tum quia ponit Mundum infinitè expansum, & extensum, & infinitos vortices perpetuò gyrantes.

14. Refutatur igitur. Et primò quantùm ad id, quod ipse asseverat cum Copernico de situ Solis in centro Mundi. Siquidem quicquid diximus adversus Copernicum, militat etiam contra Cartesium quò ad situm Solis, & Planetarum.

Refutatur 2. Quandoquidem juxta hoc systema terra moveretur, & non moveretur; sed hoc contradictionem involvit: ergo & contradictionibus systema hoc est formatum. Maj. quò ad 2. p. ultraquamquod fuit probata §. præcedenti 3. docetur ab ipsomet Cartesio, dicente, terram esse immotam, ipsamque non magis moveri in medio sui vorticis, quàm moveatur V. G. Homo, qui in fundo navis ventis adactæ quiescit, & dormit, sic, inquit ipse, globus terræ à proprio vortice delatus propriè non movetur, eundem quippe ad vicina corpora situm, ordinemque conservat. Quò ad p. verò p. ex ejusdem Cartesii doctrina sic. *Materia cœlestis, quæ alios complectitur vortices gyrans circa Solem, & circumducens secum terram*, quæ eundem juxta Cartesium est Planeta, *unà cum cæteris omnibus planetis ita se habet, sicut in vorticibus aquarum se habet aqua gyrans circa centrum vorticis*, atqui in aquarum vorticibus aqua gyrans circa centrum vorticis taliter circumfert festucas aqueo in vortice positas, ut eædem festucæ non sint immotæ, sed verè, & propriè moveantur: ergo &c. Præterea quemadmodum illæ festucæ eundem non servant situm, & ordinem ad vicina corpora, ita & terra situm mutabit.

Refutatur 3. Ex absurdis, quæ Cartesius asseverat de Sole, & Terra cohærenter ad suum systema. Quandoquidem ad suam cohærenter doctrinam Sol est de numero Stellarum fixarum, & terra unus ex Planetis haud minùs, quàm sit Jupiter vel Saturnus, &c. sed propugnari neutrum minimè potest: ergo &c. Min. prob. 1. quò ad p. p. Stellæ fixæ illæ duntaxat nuncupantur, quæ eandem servant inter se distantiam, itaut non varient situm, aut locum; sed Sol haud ita se habet, cùm experientia moneat, ipsum mutare à Zodiaco situm, & locum: ergo &c. 2. quò ad 2. p. Corpus illud verè, & propriè dicitur Planeta, quod Solis lumini recipiendo est aptum, ita ut sit à præfato lumine haud difficiliter penetrabile, ut in Luna est palam; sed corpus terræ cùm sit densum valdè, & opacum haud aptum est Solis lumini suscipiendo, imò est à præfato lumine impenetrabile: ergo &c.


Quæ pro Cartesii possent systemate militare argumenta, nullo negotio solvuntur ex dictis hic, & §. præcedenti 4. contra Copernicum.

§. VI.

Refertur, ac referendo refutatur systema Tychonicum.

15. CArtesii, ac Copernici exploso systemate, explodendum superest systema Tychonicum, quod, ultra non paucos alios amplectitur Jo: Saguens hic, ubi hisce illud describit verbis.

Supponit Tycho, totum spatium illud, quo Stellæ fixæ à terra absunt, esse fluidissimum, quæcunque interim sit substantia illa, sive aerea, sive ætherea, sive alia purior, qua impletur. Tum in medio spatii totius Terram immotam statuit, circa quam veluti circa centrum vult moveri Lunam motu menstruo; Solem motu annuo, & Stellas fixas motu illo tardissimo, quo non ante annos 25000. cursum suum absolvant, moveri nimirum ab Occasu in Ortum motu quodam singulari. Nam alioquin sidera omnia communem habent, qui ab Ortu in Occasum absolvitur intra horas 24. Deinde quò ad cæteros Planetas attinet, sic eos disponit, ut circa Solem tanquam circa centrum revolvantur, suamque revolutionem perficiant, Mercurius quidem spatio trium mensium, Venus mensium octo, Mars intra annos duos, Jupiter intra 12 Saturnus denique intra 30. At id discriminis est præcipuè prædictas inter revolutiones, quas per orbitas, quas suo motu percurrunt Mercurius, & Venus, cæteræ complectantur Terram, & orbita quidem Martis eam sic complectatur, ut circulum Solis intersecet. Quo pacto contingere potest, sicut aliquando observatur, Martem à terra minùs abesse, quàm Solem, ut non difficilè intelligitur ex solo aspectu schematis, quod oculis exhibet Saguens sic.



At quamquam magis placere sibi Systema istud dicat Saguens; attamen & ipse fatetur, non modicas circa illud difficultates emergere, adeo ut inde inferat quantæ incertitudinis fiot, quæ circa Cœlestes orbes aut cogitata, aut dicta ab Astronomis sunt.

Præsertim autem argui systema hoc Tychonicum dicit inconcinnitatis, & perturbationis, quæ posset succedere in concursu Martis cum Sole. Et licet Saguens id solvere nitatur, dicendo, Martem moveri continuò circa Solem, veluti circa centrum; ex quo dicit, contingere nunquam posse, ut concurrant. Haud tamen feliciter. Etenim hoc est, quod percipi difficiliùs potest, quomodo Mars circa Solem veluti circa centrum moveretur & aliàs Solis circulum intersecaret, ut Tycho profitetur.

Aliud, quod ipsemet Saguens dicit, nec facilè intelligi, nec concedi posse, nimirum posse astra tota spatium liquidum moveri simul diversis motibus, uti ab ortu in occasum celeriter, & ab occasu in ortum lentè. Nec quid dicitur de libratione ab austro in Boream, & è contra.

Quod ut salvet Saguena, varietatem istorum motuum contra omnem opinionem inficiari non revetetur. Contra, quod patescet quæstione mox sequenti 3. agendo de motu Cœlorum, cœlestiumque corporum.

Præterea Systema istud explosum abundè remanet ex dictis in q. 1. art. 5. ubi ostendimus, orbes omnes Cœlestes Solidissimos esse, non verò fluidos, ut Tychonica profitetur secta.

Confutationes aliæ legi apud Guerinois, & Goudin possunt.

Nihilominùs minùs intolerabile Systema videtur istud, quàm illud tum Cartesii cùm Copernici, præsertim quo ad id, quod de motu terræ, & situatione Solis in mundi centro somniavere.

QUÆSTIO TERTIA.

De Motu Orbium Cælestium.

PLura hac in q. pervestiganda forent. Primò num Cœlum moveatur. Secundum num motus localis sit Cœlo naturalis. Verùm primum exploratum est apud omnes contra nonnullos Veteres, qui volebant, sidera duntaxat moveri in Cœlis, sicut avesin aere, vel quosdam per canales in eodem Cœlo immoto ipso Cœlo. Et contra Copernicum, ejusque gregales, qui nec Cœlos, nec sidera moveri dicebant, sed terram ipsam esse continuo in motu, jam præcedenti art. §. 2. & 3. & §. 4. actum est. Et quidem Cœlum moveri ostenditur. Quæcunque namque movetur, debent moveri ad motum alicujus primi mobilis; sed hoc primum mobile esse nequit, nisi aliquod omnia ambiens mobilia: ergo cùm esse hoc nequeat, nisi primum mobile Cœlum omnibus mobilibus majus, jam &c. Præmissæ sunt probandæ. Prob. igitur maj. Quæcunque moventia movent ad motionem primi moventis: ergo pariter &c. Prob. deinde min. eadem paritate. Primum movens nempe Deus continet in se omnia moventia: ergo pariter primum mobile debet omnia mobilia intra se claudere.

Adde quòd stellæ omnes fixæ perenniter eidem Cœli parti immobiliter hærent. Unde quidem Planetæ cicntur motu proprio suis in Epicyclis q. 1. art. 5. prædeclaratis per illos canales; tamen moveotur motu etiam communi ad motum primi Cœli mobilis, ut lucidius infra dicetur.

Circa secundum satis dictum est 2. Phys. agendo de natura in præloquiis. Idcircò his prætermissis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot motibus Cæli moveantur.

§. I.

1. COntroversia ista non parùm affinis est illi, quam q. antegressa art. 1. discussimus circa Cœlorum numerum. Ibi namque motuum ex diversitate deprehansa, & à nobis ibi supposita, multiplicitatem Cœlorum probavimus. Impræsentiarum talium motuum diversitatem probare nos manet.

Qua in re non taotùm illi, qui ibi nobiscum dissentiebant in Cœlorum numero, verùm etiam non pauci illorum, qui tot, imò plures, quàm nos Cœlos agnoscunt, negant, novem esse motus, sicut & Planetarum proprios motus. Qui omnes modo suo, & inter ipsos diverso, loquuntur, ut videre est apud Ricciolum, & Arnù hic q. 6. art 4. Alii verò è contra plures admittentes Cœlos, quàm nos ponamus, plures quoque agnoscunt motus. Pro resolutione

§. II.

§. II.

MULTIMEMBRIS CONCLUSIO.

Primum mobile movetur unico motu ab ortu ad occasum: Cœlum verò sidereum duplici motu, nimirum ab Oriente in Occidentem motu primi mobilis, & rursus motu suo proprio ab occasu in ortum: Cœli etiam planetarii moventur motibus omnium Cœlorum superiorum, & etiam unumquodque motu suo proprio; imò etiam unusquisque Planeta in suo proprio Cœlo.

2. PRobo 1. quòd ad p.p. & probari primitùs posset ex dictis, quia omninò debet aliquod extare primum mobile, Tum quia extat aliquod primum movens, Tum quia omnis multiplicitas reducitur ad unum; sed istud movetur ab Oriente in Occidentem motu diurno; ergo &c. Prob. min. Primum mobile, seu illud, quod est primum, & principale mobile debet potiorem sortiri motum, qui in Cœlis cernatur; sed principalior, qui in Cœlis cernitur motus est ab ortu in occasum: ergo &c. Quòd verò uno duntaxat sit mobile motu, liquet; quia non habet aliud supra se mobile Cœlum, cujus ad motum moveatur, secùs non esset primum mobile.

3. Pro 2. quòd ad 1. & 2. p. simul à pari. Motus principaliores corporum simplicium sublunarium, ita se habent, quòd sunt inter se contrarii, & unus est ad centrum, nimirum deorsum, & alius à centro: ergo pariter motus principaliores Cœli (qui sanè nequeunt esse, nisi motus principalium Cœlorum, qui sunt primum mobile, & sidere. sidereum) erunt inter se contrarii, unus nempe ab ortu in occasum, & alius è contra ab occasu in ortum. Prob. conseq. Quemadmodum corpori simplici sublunari competit motus rectus, ita corpori simplici Cœlesti competit motus circularis; ergo si &c. Ex his

4 Probo quòd ad reliquos Cœlos. Corpora simplicia sublunaria sic se habent, quòd totum unumquodque motum sortitur sibi peculiarem, & diversum à motu alterius: ergo pariter corpora simplicia Cœlestia sic se habebunt, quòd unicuique competat motus aliquis peculiaris diversus a motu aliorum. Non enim deterioris conditionis sunt Cœlestia, quàm sublunaria. Ant. constat. Terra siquidem movetur ad centrum, aqua circa centrum, aer partim à centro, & partim circa centrum (aliquid enim etiam terræ circumscribitur ab aere, ut patet) & tandem ignis simpliciter à centro: licèt Saguens velit, ista moveri quaquaversum, contra quem certabimus lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 1. §. 2. sub n. 2.

5. Quòd verò Cœlum sidereum moveatur etiam ad motum primi mobilis, perspicuum est, Tum quia videt quicunque non cæcus, stellas, quæ vespere sunt in occasu, manè esse in ortu; & è contra. Tum quia motus primi mobilis est primus motus. Primo autem in unoquoque genere subordinantur cætera omnia. Item quòd Cœli planetarii agantur ad motum aliorum Cœlorum eodem potest modo probari.

Nec obest, quòd ad motum unius elementi in sublunaribus non moveantur alia. Non, inquam, obest. Hoc enim ideo est, quia elementa superiora, V. G. aer, & aqua sunt corpora fluida, quæ tantam non sortiuntur vim movendi alia corpora. Omnes autem Cœli solidissimi sunt, ut q. 1. art. 5. ostensum est.

6. Alia ratiocinatio affertur à Compl. quia nimirum primum mobile movetur propter continuitatem, perpetuitatemque generationum sublunarium ut vel Arist. docet lib. 2. tex. 24. At hunc effectum præstare haud potest, nisi secum cæteros omnes pertrahat Orbes: ergo &c. Min. prob. Causæ universales agunt mediis causis particularibus; sed Cœli superiores comparantur ad inferiores ut causæ universales ad particulares: ergo Cœli superiores agunt mediis inferioribus, eis suam communicando virtutem, adeoque cùm istam non communicent, nisi per motum, ut aliis in causis perspicuum est, dicendum est, Cœlos superiores secum abripere inferiores per suum motum.

Ex his probari quoque potest, Cœlum sidereum cieri ab occasu in ortum; quia in sublunaribus extat, non solùm continuitas, verùm & vicissitudo, alternatio, & varietas generationum, nec solùm generatio, sed & corruptio; ergo extare quoque opus est diversitatem, & contrarietatem in motibus Cœli; quæ contrarietas versatur inter motum ab ortu in occasum, & motum ab occasu in ortum.

Probari etiam potest motus particularis cujuscunque corporis Cœlestis, quia extat continuitas, & diversitas generationum, & contrarietas inter generationem, & corruptionem, non tantùm in communi accepta, verùm etiam in particulari: ergo debet adesse diversitas, & contrarietas motuum cujuscunque corporis Cœlestis, puta cujuscunque Cœli Planetarii, & cujuscunque Planetæ suis in Epicyclis: ergo &c.

Itaque primum mobile, quod est nonum Cœlum cietur ab ortu in occasum; Cœlum postea stellatum, quod est octava sphæra agitur ab occasu in ortum spatio annorum, vel sex mille, vel septem mille vel 49000. juxta diversorum Astronomorum placita, cum aliquo obliquitatis modo polos versus, uti q. præcedenti art. 1. dicebamus explodendo motum trepidationis: & prætereà movetur ad motum primi mobilis. Similiter planetarii Cœli circumaguntur motibus superiorum Cœlorum, & rursus motu proprio Cœlum Saturni suum complet proprium cursum modo dicto q. antegressa art. 4. §. 1.

§. III.

Obversantium argumenta solvuntur.

7. ARg. 1. Repugnat, idem cieri simul motibus contrariis, ut 5. phys. docuimus; sed motus ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum sunt invicem contrarii: ergo possibile haud est, octavum Cœlum moveri motu primi mobilis ab ortu in occasum, & simul motu proprio ab occasu in ortum. Prob. min. Habent terminos oppositos: ergo &c.

Resp. primitùs, nego min. loquendo de contrarietate rigorosè dicta. Quotiescunque enim aliqua competunt secundùm diversa, non est ampliùs oppositio: Illi autem motus sunt secundùm diversa; quia sunt ad terminos oppositos quidem, sed fiunt super diversos polos, & per diversam lineam. Primus namque motus fit super duos polos mundi, nimirum Articum, & Antarticum; secundus verò fit super Polos Zodiaci.

Prætereà dist. maj. utroque per se, concedo, altero per accidens, nego maj. & omissa min. nego conseq. Nil siquidem obstat, idem cieri motibus contrariis, quando unus est per se, & alter per accidens, non pluribus per accidens, ut conspicuum est in exemplo persæpè adducto de Nauclero, qui dum navi fertur versus Orientem, potest eodem in navigio deambulare occidentem versus, Item in Homine jacente infimo in scalæ gradu, quæ si dum Homo ejus per gradus ascendit, demittatur ab alto, tunc Homo ille per se movebitur motu sursum, & per accidens ad motum scalæ motu deorsum.

Dices. Et altera oppugnatur ex ratiocinationibus nostris. Quotiescunque aliqua ordinantur, & subordinantur ad unum, nequeunt opposito, & diverso modo ab illo se habere, ut palam est inductivè, sicut quia moventia omnia primo subordinantur moventi, nequeunt motu opposito ac diverso ab illo, qui à primo causantur movere movere sed Cœli omnes mobiles primo subordinantur mobili: ergo motu duntaxat primi mobilis moveri poterunt, non verò alio motu.

Resp. dist. maj. si illi Soli subordinentur, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Orbes siquidem inferiores Cœlestes subordinantur, non tantum primo mobili, verùm etiam moventi diversæ rationis, nimirum Intelligentiæ motrici. Ob idque debent moveri per se motu, quo agitur ab intelligentia, & rursus per accidens motu superiorum Cœlorum.

8. Arg. 2. Quemadmodum Cœlum inferius subordinatur Cœlo superiori, ita Planeta inferior subordinatur Planetæ superiori; sed Planeta superior suum non communicat motum Planetæ inferiori: ergo pariter Cœlum superior non communicat Cœlo inferiori suum motum. Prob. min. Nam secùs Luna moveretur motibus 54. nimirum 9. motibus Cœlorum superiorum, & rursus sex aliorum Planetarum motibus.

Resp. (missis responsionibus Philippi à Sanctissima Trinit. & Complut. sive Blasii) nego sequelam, vel illam dist. si nihil obstaret, concedo, secùs, nego sequelam maj. & data min. nego conseq. Intantum Planeta superior non communi-

municat suum motum Planetæ inferiori; quia vel Planetæ moventur motu circulari per totum suum Cœlum. Et hoc modo obstat Cœli soliditas, ne possint hinc inde ad motum Planetarum superiorum vagari, sed duntaxat debent moveri per viales illos recensitos q. 2. art. 3. ad 2. Vel cieantur in eadem perenniter parte Cœli suo in Epicyclo. Et sic moveri ad motum cujuslibet Planetæ obstat firmitas, & permanentia sui Epicycli in eadem parte sphæræ.

9. Objici ultimò posset, quòd si Cœli possent tot cieri motibus, sequeretur, plura accidentia solo numero distincta esse in eodem numero subjecto, quia omnes motus illi sunt ejusdem speciei. Verùm hujuscemodi motus esse diversæ speciei habes ex dictis q. præcedenti 2. art. 2. §. 3. ad 2.

10. Recolendum hic est, quod eadem prægressâ q. 2. art. 4. §. 1. n. 2. & 2. cum D. Th. diximus pro noscendo, quare aliqui ex his motibus sint præ aliis velociores.

ARTICULUS SECUNDUS.

A quonam effectivè causetur motus Cœlorum.

§. I.

1. SUppono ex dictis 2. Phys. q. 3. art. 3. Cœlos non moveri à casu contra Democritum, & Epicurum. Exinde propter dubium emergit prout in titulo. Ubi quatuor percensentur opiniones.

Prima desendebat, Cœlos moveri à propria forma, non secùs à gravia moveantur sua ad loca. Hanc non pauci excipiunt recentiores, secuti Albertum de Saxonia, eisque probabiliter adhæret P. Semery.

Secunda sentit, moveri immediatè à solo Deo. Hanc docuit Alpetragius. Et hac in sententia fuisse Arist. autumant Conimbr. & alii, sed immeritò, ut mox §. & num. sequenti 2. conspicuum erit.

Tertia asseverat, moveri à se elicitivè, non secùs, ac viventia, & etiam ab Intelligentia motrice, nimirum Angelo. Quæ sententia explosa manet ex dictis quæst. [illegible] 4. probando, Cœlum non esse animatum.

Ultima communis inter Philosophorum, & Astronomorum Proceres est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Motus Cœlorum effectivè causatur ab Intelligentia Motrice, nimirum ab Angelo assistente.

2 ELicitur ex Arist. 12. Meth. tex. 36. ubi *prima*, inquit, *intelligentia*, *quæ Deus est*, *movet sicut appetibile*, *& desideratum*. Quod explicans S. Th. ibi lect. 7. dicit, motum Cœli esse propter primam intelligentiam, sicut propter finem (hoc namque modo movet appetibile, & desideratum) & produci ab aliquo proximo movente, quod gratia primi moventis movet: ergo præter primum movens, quod est Deus, qui est prima Intelligentia, extat aliud proximum movens in gratiam primi moventis. Apertiùs autem S. Th. nostram tradit sententiam opusc. 11. art. 2. ubi dicit, Philosophicis rationibus esse demonstratam. Et opusc. 10. antecedenter dixerat, ullum se nunquam legisse, qui hoc negaverit.

3. Prob. à sufficienti divisione. Cœli nec à propria forma, nec ab aliqua substantia corporea, nec immediatè à solo Deo: ergo movetur immediatè ab Intelligentia. Prob. ant. 1. quò ad p. p. Quicquid provenit alicui ex vi propriæ formæ convenit illi, vel ut aliqua perfectio debita ex vi generationis, vel ut quid ordinatum ad obtinendam perfectionem debitam ex vi generationis; sed neutro modo convenit motus corporibus cœlestibus: ergo non ex vi propriæ formæ motus competit Cœlis, adeoque &c. Maj. patescit, Tum à pari. Etenim quia gravibus, & levibus convenit ex vi propriæ formæ esse propriis in locis, esse in illis est perfectio eis debita ex vi generationis; & similiter motus ad illa loca quia convenit ex vi propriæ formæ est ordinatus ad habendam perfectionem debitam ex vi generationis, idest ut sint sua in recta dispositione, perfectione, & loco naturali: hæc enim omnia sunt ex vi generationis debita. Tum ratione. Siquidem quod convenit alicui ex vi propriæ formæ est aliquod consequens ad essentiam ejus; sed quod dat esse, dat consequentia ad esse: ergo &c. Min. verò prob. non solùm quia post Judicii diem Cœli quiescent, & tamen erunt in suo connaturali esse, imò perfectiori; Verùm etiam quia motus acquisita perfectione, seu termino quiescit, Cœlum autem à principio creationis usque nunc est in continuo motu. Tum quia per talem motum nusquam Cœlum est factum perfectius.

Prob. primum ant. quò ad 2. p. ratiocinio, quo q. 1. art. 5. §. 3. ad 2. quo probabatur, non extare substantiam aliquam tenuem in Cœlis. Quod ratiocinium licèt non ibi, benè verò hic est convincens. Ista substantia vel esset ejusdem naturæ cum ipsis Cœlis, vel diversæ naturæ. Si primum: ergo esset & ipsa mobilis circulariter, adeoque esset excogitandum etiam à quonam ipsa moveretur, & sic in infinitum. Si secundum, ergo diversum locum naturalem exigeret, adeoque esset ibi violenter: ergo nequit moveri à substantia aliqua corporea, quæ sanè, si extaret, esset & ipsa pars principalissima Universi.

Dicere autem, quòd esset supra omnes Cœlos, est omnino gratuitum, & falsum, Tum quia etiam hoc dato esset mobilis, quia esset ens naturale. Tum quia (ut art. sequenti dicetur) unus Angelus non sufficit ad movendos omnes Cœlos: ergo multò minùs una substantia corporea, adeoque non sufficeret una supra omnes Cœlos, & requirerentur aliæ infra primum Cœlum; de quibus peto num esset ejusdem naturæ cum ipsis Cœlis, vel diversæ, ut supra &c.

Prob. demum quò ad 3. p. Deus regit, & gubernat Universum modo perfectissimo; sed perfectius, & connaturalius est, quòd Deus moveat Cœlum media creatura: ergo Cœli non immediatè à solo Deo moventur. Prob. min. 1. quò ad p. p. quia major perfectio est ejus, qui per ministros, & Vicarios operatur, & eò altius ejus emicat dominium, quò pluribus utitur ministris. Prob. quò ad 2 p. Connaturale namque est, creaturas inferiores subdi creaturis sibi superioribus. Quemadmodum namque primæ creaturæ subduntur soli Deo, & ab illo immediatè moventur, ita creaturæ superiores debent immediatè subdi creaturis sibi immediatè superioribus: ergo connaturalius est, Cœlum moveri mediante aliqua ex creaturis, quæ sint Cœlis superiores, uti sunt Angeli.

Quæ doctrina est D. Th. tum num. præcedenti 2. relato, cum p. p. q. 103. art. 6.

Conf. Reapse Deus pro effectibus inferioribus plures adhibet causas, mediis quibus illos producit: ergo pariter Cœlos movet, non immediatè per se ipsum tantùm, sed media aliqua creatura.

Dixi non *perseipsam tantùm*, quæ particula *tantùm* innuit, Deum quidem immediatè concurrere ad movendos Cœlos concursu simultaneo, quo 7. Phys. q. 2. art. 1. diximus, concurrere ad omnes actiones, & effectus causarum secundarum, sed tamen etiam mediis creaturis, ut ibi dicebamus §. 3. ad 3. sub num. 8.

§. III.

Obversariorum argumenta solvuntur.

4. ARg. 1. argumento soluto q. 1. art. 4. §. 3. ad ult. Vid. ibi.

Arg. 2. pro 2. sent. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; ut vel Arist. docet 2. de Cœlo tex 17. sed nulla est repugnantia, quòd Deus moveat Cœlos, cùm communiter sit à DD. reprobata opinio Tostati, qui quæs. 5. super cap. 15. Exodi oppositum scripsit: ergo frustra Deus mediis Angelis Cœlos moveret.

Resp. dist. maj. frustra fit per plura &c. servato debitæ providentiæ ordine, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. connaturalior namque Divinæ providentiæ ordo efflagitat, ut res inferiores, mediis superioribus agantur, ut num. 3. vidimus, & pro ulteriori notione videri potest S. Th. locis num. 3. relatis, & p. p. q. 103. art. 6.

5. Arg. 3. Oppugnando unam ratiocinii nostri partem. Substantia corporea movens Cœlos non repugnat; sed hoc ipso, quòd non repugnat, nullum suppeditatur motivum negandi illam: ergo extat substantia aliqua corporea movens Cœlos, adeoque &c. Maj. patescit. Non enim repugnat substantia aliqua corporea, & perfectior ipsis Cœlis; sed hæc esset potens movere Cœlos, imò deberet ad illos moven-

movendos poni, quia, ut num. 3. sub finem eum D. Th. vidimus, omnis inferior subditur superiori: ergo &c. Min. verò prob. Tum quia foret superior. Tum quia maximè conveniens est, quòd una substantia corporea ab alia moveatur, quando aliàs nulla sit repugnantia: ergo si non repugnat, &c.

Ad hoc, ultra responsum Compl. sive Blasii responderem dist. maj non repugnat de absoluta Dei potentia, transeat, secundùm ordinariam, ac præsentem providentiam rerum, nego maj. & omissa min. nego conseq. Dato, quòd per absolutam Dei potentiam non repugnet hujuscemodi substantia, tamen attento ordine præsentis providentiæ repugnat, quia præsens Universi dispositio est, quod unumquodque corpus sit in suo loco naturali, vel ad illum tendat. Quo supposito omnino est respuenda talis substantia corporea movens Cœlos, ut habetur ex dictis num. 3. probando 2. ant p Dixi *transeat*, quia poterat etiam negari maj quoniam hujuscemodi substantia foret maximè vivens, secùs non posset movere, sicque perfectione præstaret substantiis non viventibus, adeoque non posset esse, nisi homo, qui corporeas inter substantias viventes perfectissimus est. Hoc autem impossibile prorsus est, quia valde coarctata est hominis virtus. Nec est possibilis homo speciei perfectioris, quia rationalis Anima est in specie atoma. Et hæc alia potest pro conclusione optima esse ratio.

Nec dicas, quòd etiam *Beatorum* corpora erunt in Cœlo Empyreo; & tamen Empyreum non est eorum naturalis locus.

Non, inquam, id dicas, quia Beatorum corpora erunt elevata ad statum, & locum perfectiorem supernaturalem. Nos autem loquimur de naturali possibilitate.

Dices. Cujcumque potentiæ passivæ naturali correspondet potentia activa; sed in Cœlo adest potentia passiva ad motum: ergo ei correspondet potentia aliqua naturalis activa; sed ista non est potensia aliqua spiritualis: ergo corporea. Prob min. subs. Potentia activa debet esse proportionata potentiæ passivæ, cui correspondet; sed inter potentiam passivam corpoream, & activam spiritualem non adest hujusmodi proportio: ergo &c. Prob. min. Inter spiritnale, & corporeum, non extat proportio, sicut neque inter corpus & spiritum, secùs per se spiritus diceret ordinem ad corpus, & è contra: ergo &c.

Resp. dato primo syllogismo nego min. subs. Ad prob. dist. maj. debet esse proportio similitudinis, & convenientiæ, nego, agentis, & patientis, concedo maj. & distincta min. nego conseq. sufficit namque, quòd tantam habeat virtutem, quanta sufficit ad tribuendum id, quod potentia exhibere potest passiva, secùs Angelus, imò nec Deus posset corpus aliquod movere.

6. Arg. 4. Ex dictis q. 1. art. 4. §. 3. ad 5. arg. num. 4 Probando, Cœlum moveri à propria forma ex Eusebio Nierembergio. Forma Cœlorum non est ignobilior formis sublunaribus; sed istarum complures sunt principium activum motus sine motione Angeli: ergo multò magis forma Cœlestis. Prob. min. Terra siquidem suapte natura germinat herbas virentes; arbores fructus suo tempore reddunt similiter gravia, & levia seipsis sua tendunt ad loca: ergo &c.

Conf Admittenda est in Universo creatura aliqua, cujus natura sit continuò se movere; sed hoc potiori jure aliud esse nequit, nisi Cœlum: ergo &c. Prob. maj. Extat aliquod, cujus natura est semper quiescere; ut Cœlum Empyreum: ergo à pari &c. Quod fortiùs urget, quia si exstat aliquod Cœlum, quod semper quiescit, ita aliquod, quod semper se movet.

Confirmari etiam potest authoritate Arist. allata q. 1. art. 4. videnda ibi soluta.

Conf. ulteriùs. Cœlum nullam habet resistentiam ad motum, cùm nec grave, nec leve sit, juxta dicta q. 5. in fine post art. 6. ergo facillimè potest quacunque minima à re moveri, & à seipso, imò semel motum nunquam cessabit à motu.

Resp. ad arg. nego min. Ad prob. nego ant. Terra namque, sicut & Plantæ in productione suorum effectuum dependent ab influxu Cœlorum, nec producere possunt, nisi virtutem ab illis recipiant, adeoque etiam ab intelligentia. Idcirco retorqueas arg. Ad id, quod de gravibus dicitur, & levibus habes ex dictis num 3. in prob.

Ad 1. Conf. nego ant. Ad prob. nego conseq. ad summum enim sequitur dari aliquod, cujus natura sit continuò moveri, non verò se movere, quia quiescere stat non tantùm pro se non movere, sed etiam pro non moveri. Tum quia Empyreum in æternum quiescet; & tamen motus Cœli post judicii diem cessabit.

Neque de motu & quiete valet illud, quod *si unum contrariarum est possibile, & aliud debet esse possibile*. Non inquam, quia privativè, & non contrariè opponuntur motus, & quies. Præterquamquod extat etiam aliquod, cujus natura est continuò se movere, nimirum quodlibet vivens.

Ad 2. habes ex dictis ibi.

Ad 3. Conf. Resp. ex D. Th. q. 3. de pot. art. 4. ad 16. dist. ant. nullam habet obsistentiam positivam, concedo, negativam, nego ant. & conseq. Obsistit siquidem negativè Tum ratione magnitudinis, quæ non permittit tam celeriter virtutem motivam media una parte in aliam diffundi per totum Cœlum. Tum quia cùm nec grave, nec leve sit, minùs aptè recipit motum, quàm si esset mediocriter grave, aut leve.

Dices. Motus Cœli est necessarius, ut docet Arist. 2. de Cœlo tex. 27. sed nisi esset à propria forma non esset necessarius, quia Angelus liberè moveret: ergo &c.

Conf. Si talis motus foret ab extrinseco nequiret esse naturalis.

Resp. ad inst primitèr, quòd motus dicitur ab Arist. necessarius, non ad hunc sensum, quòd sit ab aliquo principio necessariò operante per modum naturæ, sicut est V. G. motus ignis, &c. sed quia est necessarius ad sublunarium conservationem.

Ad Conf. habes ex dictis in principio 2. Phys. quòd est naturalis, quia est secundum principium passivum.

7. Si petas: Num Angelus movens Cœlos sit in Cœlo Empyreo, vel in Cœlo quod movet,

Resp. omissa doctrina Compl. sive Blasii, quòd est dumtaxat in Cœlo, quod movet. Nec tamen privatur visione beata, sicut nec Angeli custodientes homines ea privantur.

Nec Angelus ita illi Cœlo alligatur, ut nequeat unquam ad Empyreum conscendere Non, inquam, quia motus Cœlo impressus diù durat, & pro tunc potest ad Empyreum ascendere.

8. Colligitur ex dictis, Deum se solo immediatè per se, ipsum non movere Cœlos. Quòd si oppositum asseveratur ab Arist. & SS. PP. loquuntur de concursu simultaneo; vel quò ad gubernationem, quæ providentia dicitur, &c. Quæ est doctrina S. Th. p. p. q. 103. art. 6.

Nonnulla alia vide apud Guerinois hic q. 2. art. 4. §. 4.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum unus duntaxat Angelus sufficiens sit ad omnes movendos Cœlos.

§. I.

1. COntroversia est de Angelo movente ut causa principali, quia ut instrumentum Dei exploratum est, non tantùm Angelum, verùm etiam Hominem posse totum Universum in gyrum agere.

§. II.

CONCLUSIO.

Unus non sufficit Angelus ad omnes ciendos Cœlos, sed qualibet pro sphæra specialis requiritur Angelus.

2. VIdetur communis apud omnes, ut testatur Rubio quosdam adversus Veteres relatos à Fracastorio in Homocentricis cap. 7. sect. 5. sunt tamen etiam nonnulli Juniores, qui oppositum judicant non impossibile.

Colligitur ex Arist. 12 Meth. cap. 8. tex. 45. & 47. & D. Th. opusc. 10. & 11. Ibi namque ubicunque de Angelis Cœlos moventibus agit, nominat semper illos in plurali. Et quodl. 6. art. 2.

3. Prob. Si unicus sufficiens esset Angelus ad omnes movendos Cœlos, sequeretur, unum, eundemque Angelum posse simul in toto agere Universo; sed hoc est impossibile: ergo &c. Maj. videtur certa, Tum quia Mundus elementaris comparativè ad totam Cœlestialem molem est quid mini-

minimum. Tum quia Cœlorum influxus per totum diffunditur Universum; ergo si &c. saltem loquendo de primo perfectiori Angelo, sive Virtute Motrice. Min. verò prob. Tum quia Angelus determinatam habet suæ activitatis, sphæram, ita ut agat in hoc loco, & nequeat simul agere in alio. Tum quia secùs esset causa universalissima, sicut Deus: ergo &c.

Respondebis, quòd Deus potest etiam in plura, & infinita, si darentur, agere, non verò Angelus. Sed

Contra. Non tantùm quantum ad de possibili, verùm etiam quantum ad reapse Deus debet ad plura se extendere, quàm creatura quælibet: ergo &c. Prob. ant. Quemadmodum Homo est inferior Angelo, ita, imò magis Angelus est inferior Deo, cùm Deum inter, & Angelum infinita habeatur distantia; sed Homo nec reapse ad omnia se extendit, ad quæ Angelus: ergo similiter &c.

Dices, quòd non esset Causa universalissima, sicut Deus quia Angelus movens Cœlos ceu secundæ Hierarchiæ Angelus non agit in Angelos primæ Hierarchiæ. Sed

Contra. Angelus primæ Hierarchiæ ceu causa non universalissima nequit in omnia sibi inferiora simul agere; ergo nec secundæ Hierarchiæ Angelus in omnia sibi inferiora simul, adeoque &c.

Si respondeas iterùm ad hoc negando ant. & dicas, quòd adhuc primæ Hierarchiæ Angelus non foret causa universalissima, quia non ageret in seipsum; Deus autem & in istum ageret Angelum.

Contra iterum ut supra. Magis à Deo Angelus, quàm ab Angelo Homo distat; sed Homo sic est causa minùs universalis, quàm Angelus, quod Homo non agit in seipsum, verum nec in tot alia, in quæ Angelus: ergo à pari &c.

Conf. & explanatur. Angeli se habent ut Dei ministri, & Vicarii; sed unus Principis minister non est sufficiens pro integro administrando regno: ergo nec unus pro toto universo Angelus. Sicuti namque virtus Angeli longè superat Hominis virtutem, ita & totius Universi regimen propemodum infinitè quodlibet excedit Regnum.

Urg. Quolibet pro Homine specialis datur Angelus: ergo à fortiori quolibet pro Cœlo movendo erit necessarius particularis Angelus.

3. Qua ex re inferri etiam potest, quòd non solùm quodlibet ad Cœlum movendum peculiaris unus exigitur Angelus; verùm etiam quemlibet ad Planetam ciendum, sive suum intra Epicyclum existentem determinata aliqua in parte Cœli, sive in aliquo deferente per suum Cœlum. Ad quod suffragari etiam ratio potest, quia Planeta licèt comparativè ad proprium Cœlum non sit notabiliter magnus; tamen (ultraquamquod absolutè est miræ magnitudinis, qua plures terram excedunt) cientur motu diverso à motu etiam proprii Cœli; sed Angelus nequit corpora tantæ molis pluribus, diversisque motibus agere: ergo &c. Prob. min. Siquidem Angelus ita in uno agit loco, quòd nequit, saltem naturaliter, agere in alio: ergo pariter ita hunc potest motum efficere, quòd non alium diversum simul. Adde, quòd Angelus eatenus movet Cœlum, quatenus movet unam partem mediante alia; sed Planetæ non sunt pars Cœli, cùm specie ab illo distinguantur; vel saltem motu agantur diverso: ergo &c.

4. Deprehendere ex dictis poteris, quomodo plerique præsertim ex nostris dicant, quòd si unus Angelus solus omnes simul Cœlos moveret haberet infinitam virtutem. Hoc namque dicunt, non quasi quòd ad ciendos omnes Cœlos, & agendum toto in Universo requiratur virtus simpliciter infinita, secùs nec instrumentaliter virtute Divina posset unus solus eos ciere, quemadmodum quia ad creandum virtus requiritur infinita nulla creatura potest etiam instrumentaliter creare. Eò vel maximè quòd quæ proveniunt à Cœlis, non sunt infinita. Hoc itaque dicunt, vel quia Angelus exiret limites suos, sive sphæræ suæ confinia. Vel hoc colligunt à post. hoc modo: *agens in toto Universo est infinitum: ergo Angelus si toto in Universo esset agens; esset infinitus. Ant. liquet in Deo.*

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

5. ARg. 1. Si aliqua foret repugnantia, ob quam unus duntaxat Angelus non sufficeret ad omnes movendos Cœlos, maximè propter molem Cœlestialem, vel propter diversitatem eorum motuum; sed neutrum obest: ergo &c. Prob. min. quò ad p. p. Unus Angelus solus moveat primum mobile mover simul eodem motu cæteros omnes Orbes, quos secum abripit primum mobile; ergo &c. Quò ad 2. prob. dupliciter. Et primò, quia eodem à principio possunt plures, & diversi oriri effectus, ut palam est in Sole: ergo &c. Secundò. Anima nostra minori quàm Angelus virtute pollet; sed una, eademque Anima potest diversos in corpore nostro motus causare: ergo &c.

Responderi primitùs posset, quòd repugnat ex utroque capite simul, ex neutro verò seorsim.

Contra. Eatenus per nos nequit unus Cœlos omnes agere, quia cùm non sit causa universalissima nequit agere in toto Universo; sed etiam movendo unico motu agit toto in Universo, cum Cœlum primum mobile totum ambiat Universum: ergo &c.

Resp. dist. min. agit in toto Universo & totaliter, nego, in toto, sed non totaliter, concedo min. & nego conseq. Non enim totaliter agit cùm non agat mediis omnibus Cœlis, & mediis singulis singulorum Cœlorum motibus.

Ad utrasque autem probationes 2. p. ant. habes ex dictis q. 2. art. 2. ad 3. sub n. 9. Præterea dico, quòd eodem à principio plures, & diversi provenire possunt effectus non excedentes principii virtutem, quemadmodum plures corporis motus non excedunt Animæ virtutem, quia corpus Anima informatum tantam non importat molem.

5. Arg. 2. Cœlum nullam dicit obsistentiam motui: ergo facillime omnes ab uno duntaxat Angelo agi possunt.

Resp. ex dictis antegresso art. §. 3. ad 3. Conf. 4 arg. n. 6. habere quandam resistentiam negativam, quatenus cùm nec grave, nec leve sit, minorem aptitudinem ad impressionem motus suscipiendam dicit. Vel ratione motuum contrarietatis.

6. Ex dictis colligitur, Angelos moventes Cœlos cujus sint Hierarchiæ. Tres namque sunt Angelorum Hierarchiæ. Prima continet Seraphim, Cherubim, & Tronos. Secunda Dominationes, Virtutes, & Potestates. Tertia Principatus, Archangelos, & Angelos. Qualibet autem in Herarchia tres sunt Angelorum Chori, & omnes Angeli novem comprehenduntur Choris, de quibus D. Greg. Papa hom. 34 in Evangelium ante medium, sive tres ordines, de quibus S. Th. p. p. q. 108. art. 2. Itaque Angeli moventes Cœlos sunt in secunda Hierarchia, ut D. docet Dionysius cap. 8. Cœlestis Hier. quem refert, ac sequitur S. Th. 3. contra Gentes cap. 80 Quod etiam sentit opusc. 10. art. 17. & opusc. 11. art. 4. ubi dicit, pertinere ad ordinem virtutum. Et de istis dicitur Luc 21. *virtutes Cœlorum movebuntur*, nimirum (commentatur S. D. loco ex contra Gentes citato) quatenus cessabunt ab hujuscemodi functionibus post judicii diem, nimirum à motione Cœlorum. Quod ejus suadet ratio. Siquidem uniformitas continua in Cœlorum motibus quandam motoris inconcussam fortitudinem ostentat; sed virtutis nomen quandam significat virilem, & inconcussam fortitudinem, ut D. inquit Dionysius relatus à D. Th. tum ibi, tum p. p. q. 108. art. 5. ad 1. ergo &c.

. Ex his Hierarchiis prima illos continet Angelos, qui sunt maximè Deo affines, eique incunctanter assistunt, nec ad exteriora sunt ministeria deputati. Qui verò ad secundam Hierarchiam attinent ministrant circa magis universalia, & principalia, cujusmodi sunt motus Cœlorum, & alia ex illis consequentia. Qui demum ad tertiam spectant Hierarchiam, ad particularia, & minùs universalia ministeria deputantur.

7. Circa numerum Angelorum moventium Cœlos difficilium est, de quo videri potest Arnù hic disp. 6. art. 3. pag. 267. n 41. Nobis autem dicendum venit, sexdecim esse, nimirum novem pro Cœlis mobilibus, & septem pro septem Planetis.

De nomine, & figuris horum Angelorum idem videatur Arnù.

SCISCITABERIS PRIMO.

Ubi resideat Angelus movens Cœlos.

RESp. quòd residet ubi incipit motus Cœli, quod movet.

9. Angelum autem moventem Planetam, crediderim residere in medio Cœli, quia Planetæ motibus retrogradis modo occasum, modò polus, modò ortum versus aguntur.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num medio intellectu, & voluntate Angelus moveat.

10. HOc spectat ad Theologos, ventilantes, num in Angelis extet potentia loco-motiva realiter ab intellectu, & voluntate distincta. Et aliqua dicemus in Meth. q. 13. agendo de potentia loco-motiva Animæ separatæ. Interim videri Guerinois potest hic q. 2 art. 4 ad 3.

QUÆSTIO QUARTA.

De Influxu Cœlorum.

EXploratum vel apud rusticos est, cœlestia corpora in hæc influere inferiora, cùm & Lunæ incrementum, & decrementum soleat observari; & agri Solis calore feraces fiant. Vid. Compl. sive Blas. hic. Vide etiam quod diximus 7. Phys. q. 2. in appendice posita illius in quæstionis fine. Quo supposito

ARTICULUS PRIMUS.

Per quid Cœli in hæc influant inferiora.

§. I.

1. PRima sententia sentit, quòd Cœli influant per solam lucem, & motum, nimirum per lucem ut vectam motu. Hanc tenet Picus Mirand. 3. contra Astrologos cap. 5. & 6. Georgius Agricola, Achylinus, & alii apud Compl. sive Blas. hic disp. 4. q. 5.

Secundæ placet, quòd influant per qualitates quasdam occultas, neutiquam verò per lucem, & motum. Hanc probabilem dicit Durandus in 2. sent. disp. 14. q. 5. imò de motu apertè abnuit ibi disp. 15. q. 3.

Tertia autumat, influere per lucem, & alias qualitates, at non per motum. Hanc defensitant Valesius de Sacra Philosophia cap. 31. & lib. 4. controversiarum Medicarum cap. 3. Toletus lib. 2. de Gener. Rubius hic, & alii.

Quarta, quam tutantur Thomistæ omnes cum plerisque aliis est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Cœlum influit per lucem, & motum, & insuper alias per qualitates occultas.

2. ITa Arist. & D. Thom. videndi apud alios Scriptores nostros.

Probo 1. quò ad p. p. de luce & motu, quoniam ista sunt principaliores qualitates, & principaliora Cœlorum accidentia, cùm lux sit præcipuus Cœlorum ornatus; & motus est, id quod summopere emicat: ergo debet per ea principalior exerceri Cœlorum operatio, qualis est influxus in hæc inferiora, ad quæ ordinatur Cœlorum operatio.

3. Prob. præterea speciatim de luce. Calor summopere ad generationem, & conservationem sublunarium exquiritur; sed lux virtualiter continet, & formaliter causat calorem: ergo &c. Prob. min. de luce Solis, qua absente nocturno tempore minùs caloris percipitur.

Conf. Dum Sol Eclipsim patitur solent sterilitates accidere.

Prob. speciatim de motu, Tum quia motus omnes sublunarium pendent à motu Cœlorum ceu primo, cùm primum in unoquoque genere sit causa cæterorum. Tum quia motus est causa caloris. Vide Compl. sive Blas.

4. Tandem quòd influat mediis aliis qualitatibus occultis Prob. Tum quia plerique sunt effectus, qui nequeunt reduci in motum, nec in lucem, ut infrigidare, humectare, &c. Tum quia effectus nonnulli eodem contingunt modo, etiam cum diversa lucis perfusione. Magnes enim virtute Cœli eodem semper modo attrahit ferrum; & tamen non eadem semper luce perfunditur. Tum demum, quia lux ejusdem est speciei omnibus, saltem cœlestibus, in corporibus; & tamen diversissimi contingunt in sublunatibus effectus, de quo §. sequenti 3. num. 5.

§. III.

Adversæ argumentationes solvuntur.

5. OBjici primodùm posset ad probandum, Cœlum non influere in sublunaria, sed esse magis signa, authoritas Damasceni lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 6. quam interpretatur S. Th p. p. q. 115 art. 3. ad 2. quòd deneget, esse causam omnino primam, sicut sunt signa omnino prima imbrium, &c. & in 2. sent. dist. 14. art. 2. ad 2. dicens, quod Dam. negat causalitatem illam, quæ idololatriam (idest Cinensium) inducebat.

6. Arg. 1. Probando, non influere mediante luce. Lux est ejusdem speciei in omnibus corporibus cœlestibus, actus nimirum perspicui, licèt ab uno intensius præ alio participetur: ergo Cœlum non influit mediante luce. Prob ant. Cœlum diversos habet specie effectus, non tantùm in diversis rebus, ut indurare lutum, & liquefacere ceram, verùm & in eadem re, saltem successivè: ergo &c.

Resp. nego conseq. Ad prob. nego iterum conseq. Siquidem Cœlum influit non tantùm media luce, verùm etiam mediis aliis qualitatibus, & mediante motu; vel per lucem istis modificatam.

7. Arg. 2. Ad idem ex Arist. qui 2. de Anima tex. 26. docet, quòd lux, & tenebræ nullum causant in corpore effectum.

Conf. Ideo Cœlum influit mediante luce, quia lux est causa caloris; sed hoc est falsum: ergo &c. Prob. min. 1. Quercus putrida, squamæ, & similia lucem obtinent; imò pisces quidam Anconæ vulgò *Ballari* intra cubiculum obscurum lumen edunt; & tamen nullum ex iis experimur calorem. Secundò. Sydera omnia lucem obtinent; & tamen Saturnus est frigefactivus. Tertiò Venus plùs lucis sortitur, quàm Syrius, qui tamen præ illa calefaciendi virtute pollet. Quartò. In cavernis aliquis viget calor sine omni prorsus luce. Denique tenebræ ceu privationes non sunt frigoris causa: ergo è contra &c. Contraria namque sunt contrariorum causa.

Resp Philosophum loqui de luce, ut agente actione purè intentionali, non verò ut habet annexam actionem naturalem caloris. De qua dicam lib. 2. de Anima q. 5. art. 4. Alia solutio apud Compl.

Ad Conf. dico, nos loqui de luce Cœli, quæ eminentior est.

Præterea, nego min. Ad 1. prob. dico, quòd illa omnia aliquid sortiuntur caloris, licèt ita remissi, ut percipi haud valeat.

Dices. Tanta est lux, quòd visu percipi valet: ergo si lux esset causa caloris tantus esset calor, quòd percipi valeret.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, Tum quia major vis potest esse in causa, quàm in effectu. Tum quia tactus, ceu ille, qui habet in se calorem nequit percipere, nisi calorem insigniorem. Visus autem utpote locis nihil habens vel minimam percipere lucem potest, ut vel experimento notum extat.

De illis autem piscibus addo, esse corpora quædam lucis retentiva, quam in tenebris emittunt, non verò esse de se illuminativa.

Ad 2. dist. ant. est frigefactivus ratione alterius qualitatis, quam possidet, concedo, secus, nego Idem & de Venere dicas, quæ ratione alterius intensioris qualitatis occultæ quidpiam potest frigoris causare.

Per quod habes ad 3.

Ad 4. Dico, calorem receptum in partibus intermediis cavernas penetrare, licèt modicam, sed ibi antiperistasi intendi.

Ad ult. nego conseq. Ad prob. nego suppositum. Supponit namque, quòd lux, & tenebræ sint contraria. Quod

tamen est falsum. Sunt etenim privativè duntaxat opposita. De his autem non valet dictum, quòd contrarios habeant effectus, aut quomodocunque oppositos, cùm privatio, quæ nihil est, nullum effectum positivum habere queat.

8. Arg. 3. probando, non influere mediante motu. Ideo Cœlum dicitur influere mediante motu, quia motus est causa caloris; sed hoc propugnari minimè potest: ergo &c. Prob. min. Si motus esset causa caloris causaret calorem in corporibus cœlestibus; sed hoc negavimus q. 5. art. 2. ergo &c.

Hoc arg. solutum fuit q. 1. art. 2. §. 3. ad 2.

9. Arg. 4. ad idem. Eo modo Cœlum indiget motu, ut influat, quo modo ignis indiget approximatione, ut calefaciat; agens indiget existentia, ut agat, finis apprehensione, ut finalizet; sed ignis candefacit medio calore, non verò per approximationem, agens non agit per existentiam, nec finis finalizat per apprehensionem: ergo pariter &c. Prob. maj. Quemadmodum approximatio est mera conditio, ut ignis calefaciat, existentia ut agens agat, & apprehensio, ut finis finalizet, ita motus est mera conditio, ut Cœlum influat: ergo &c. Prob. ant. motus non est id, medio quo Cœlum influit ut virtute operativa, nec tanquam sui causalitate: ergo est mera conditio. Prob. ant. 1. quòad p. p. motus est subjectum *quo* actionis ut 3. Phys. diximus, nec præcedit actionem; sed actio est exercitium virtutis operativæ, illamque supponit: ergo &c. Prob. quòad 2. p. Tum quia, ut ibidem diximus actio, quæ est causalitas agentis est in passo; sed motus est in ipso Cœlo: ergo &c. Tum quia causalitas agentis est ipsa actio; sed motus non est ipsa actio, ut ibidem vidimus: ergo &c.

Resp. ultra responsum Compl. nego maj. Ad prob. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. quòad p. p. ad cujus prob. dist. maj loquendo de actione, quæ cum ipso motu exit, concedo, secùs, nego maj. & data min nego conseq. Duplex veluti motus considerari potest in Cœlis, & etiam duplex actio. Primus motus est motus circularis, quem comitatur actio productiva sui *Ubi* saltem partialis. Alius est, quo dum movetur circulariter impingit, licèt levissimè in aliud Cœlum, istud movendo, ac secum abripiendo, & illi suum imprimendo influxum ad sublunaria. Et hunc motum comitatur actio illa influxiva. Itaque respectu primæ actionis productivæ illius partialis *Ubi* motus ille circularis non se habet ut virtus, benè verò respectu secundæ actionis, & secundi motus.

Dixi *veluti duplex motus*, quia isti motus non sunt rigorosè duo locales motus, sed secundus dicitur potiùs idem motus passivè, non tamen passivo, sed activo modo, dum Cœlum sibi inferius secum abripiendo movet.

Alia oppugnatio, quæ urgere contra hoc posset, soluta est q. 1, art. 4. ad 1. arg.

Inst. Unumquodque operatur inquantum est in actu; sed motus relinquit mobile in potentia, cùm sit actus entis in potentia, &c. ergo &c.

Resp. dist. min. relinquit in potentia ad terminum, concedo, absolutè, nego min. & conseq.

10. Arg. 5. ad idem. Si Cœlum non moveretur influeret in hæc sublunaria: ergo &c. Prob. ant. Cœlum non est deterioris conditionis, quàm sublunaria; sed ista plures effectus causant etiam dum non moventur localiter: ergo multò magis Cœlum &c.

Resp. dist. ant. influeret quòad illos effectus, in quos modo influit per motum, nego, quoad alios effectus per alias qualitates, & per lucem, concedo.

11. Arg. 6. probando, Cœlum non influere mediis aliis qualitatibus occultis. Agens quò nobilius, & superius est, eò paucioribus indiget instrumentis ut agat; sed Cœlum est agens perfectius, quàm sublunaria quælibet: ergo cùm nullum adsit sublunare tot multiplicatas habens virtutes, à fortiori Cœlum. Maj fuit explicata 7. Phys. q. 2. art. 2.

Adhiberi primodùm posset responsum, quo ibi ad 1 arg. usi sumus. Præterea dist. maj. quando sunt ad acquirendum idem bonum, concedo, quando sunt ad acquirendum bonum perfectius, nego maj. & distincta min nego conseq. Exploratum siquidem est, quòd perfectius est perfectam inducere valetudinem pluribus remediis, quàm sanitatem imperfectam mediis paucioribus remediis. Item Homo, quia ordinatur ad bonum perfectius, quàm Bruta, plures habet potentias. Cœlum autem plures, perfectioresque producit effectus, quàm quodlibet sublunare, cùm & ad omnes sublunarium effectus concurrat, & sit causa perfectissima.

Dices. Deus, tametsi perfectioris effectus sit causa, nullo eget instrumento: ergo neque ad majus bonum &c.

Resp. nego conseq Quoniam Deo non est differentia, nec labor in majori, ac minori bono edendo. Quo non obstante ferè omnes effectus mediis secundis efficit causis.

12 Arg. 7. ad idem. Si Cœlum influeret mediis aliis qualitatibus præter lucem, & motum, sequeretur, lucem cæteras inter qualitates Cœlestes imperfectiorem esse: ergo &c Prob ant Qualitas consequens ad gradum specificum alicujus perfectior est ea, quæ ad gradum consequitur genericum; sed lux ceu omnibus Cœlestibus corporibus communis consequitur eorum ad gradum genericum: ergo &c.

Resp. nego sequelam ant. Ad prob. dist. maj. si qualitas illa sit ad consequendum aliquid ei, ad quod consequitur, concedo si sit ad consequendum alteri, nego. Ad hoc enim secundum sufficit, quòd sit proportionata ad id consequendum.

Dices tales qualitates remanebunt in Cœlis etiam post judicii diem, quando nullius amplius erit influxus.

Adhiberi primitùs posset responsum datum lib 4. de Anima q. 4 art. unico §. 3. ad 2. arg. Præterea Resp quòd etiam tunc erit influxus quoad effectus intentionales, non modò quòad actus visionis, pro quibus solis fortassis sufficeret lux, verùm etiam ad specierum productionem ab objectis faciendam. Vide art. sequent. §. 3. ad 2. arg. num. 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num cessante Cœlorum motu, & influxu omnis teneatur in sublunaribus cessare motus.

§. I.

1. Recole dicta 2. Phys. q. 4. art. unico §. 3. ad inst. 2. arg. ex D. Th. tum loco ibi relato, tum p.p. q. 43. art. 5 & q. 3 de pot. art. 5 lege quoque appendiculam à nobis positam in fine 7. Phys.

Scito postea ex D. Th. q. 5. de pot. art. 8. quòd actiones in sublunaribus aliæ vocantur actiones corporia, nimirum alterativæ, ut calefactio, humectatio, &c Aliæ vocantur actiones formæ, seu, quod idem est, actiones intentionales, ut immissio specierum ab objectis, &c. de quibus dicemus 2. de Anima q. 7. art. 1. ad ult. arg. lis præcipua est de actionibus primi generis, de quibus negantem sententiam propugnant cum Scoto Dezza, Suarez, Conimbr. & Ruvio. Affirmantem verò tuentur Thomistæ omnes, ita quod ignis stupæ approximatus, eam non candefaceret. Cum quibus

§ II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. Quam in terminis tuetur S. Th. q. 5. de pot. art. 2. 3. & 4. & p. p. q. 104 art 2. ubi, innuit dependentiam aliarum causarum, non tantùm à causa prima, verùm etiam à causis mediis.

Prob. ratiocinio S. Th. 3. contra Gentes & q. 5. de ver. art. 9. ad 15. Causæ perse subordinatæ ita se habent, quòd inferior ita à superiori dependet, ut illa sine ista operari nequaquam possit; sed sublunares causæ sunt perse Cœlis subordinatæ: ergo &c Maj. enitescit, Tum quia in causis subordinatis inferiùs subjicitur superiori, & ab illo dependet. Tum quia sunt inter se connexæ. Min. prob. Quotiescumque Causæ sic se habent, quòd una est perse inferior, & altera perse superior, sunt perse subordinatæ; sed sublunaria sunt Causæ perse inferiores: ergo &c. Min. est palam. Maj. prob. Inferius subordinatur superiori: ergo pariter quod est perse inferius perse subordinatur superiori.

Conf. sic se habet Cœlum ad partes Mundi sicut cerebrum ad alias Hominis partes; sed istarum vita sine incunctanti cerebri influxu non salvatur: ergo neque &c Maj tam certa est, quàm certum est, quòd Homo est Mundus parvus. Min verò fit conspicua in paralysi, & in gutta serena. Idcircò, Inquit, Galenus lib. 9. De usu partium cap. 14. quòd cessante influxu cerebri, reliquæ partes nullatenus sentiunt.

Posset denique probari ex diversis gradibus, qui reperiuntur

tur in effectibus productis. Pro quo lege appendicem positam sub finem 7. Phys.

3. Prob. modo concl. quò ad motum localem, quoniam iste est necessarius ad motus sublunares, ut antegresso art. vidimus. Et licèt Adversarius neget, Cœlum influere mediante motu; tamen fatetur, quòd motus ille localis sit ad influendum necessarius, ut retractò art. visum est.

4. Prob. præterea alio ratiocinio deprompto ex S. Th. p. a. q. 109. art. 1. In unoquoque genere aliquod extat primum, à quo cætera omnia dependent; sed primum mobile est corpus Cœleste: ergo &c. Obidque sicut in genere moventium extat aliquod primum movens, nimirum Deus, à quo cætera cuncta dependent moventia, ita in genere mobilium &c.

Dices, id evincere duntaxat quòd cessaret motus localis, in cujus tantùm genere mobile Cœleste est primum, cùm non sit aliter mobile.

Contra. Quemadmodum corpus Cœleste est primum mobile, ita motus localis est primus in genere motus, cùm reliqui sint potiùs mutationes, & non simpliciter motus ergo eo cessante motu, omnes cessarent.

Conf. ex Compl. Sublunaria cuncta subordinantur corpori Cœlesti non minùs, imò magis, quàm Cœli inferiores subordinentur superioribus quò ad localem motum: ergo sicut isti ab illo dependent, ita &c.

Adde ex iidem, quòd conservatio sublunarium dependet à stellis, & Planetis. non utcunque, sed secundùm quòd in tali, vel tali aspectu, quem per motum localem acquirunt.

§. III.

Argumentationes ex adverso objectæ solvuntur.

5. ARg. 1. Etiam cessante Cœlorum motu possent cuncta haberi requisita ad motum, puta caloris, nimirum ignis, qui est causa principalis, & approximatio; sed positis requisitis ad effectum habetur effectus: ergo &c.

Conf. Conclusio nostra est unus ex art. ab Academia Parisiensi damnatis.

Resp. dist. maj. ignis, qui est causa principalis particularis, concedo, universalis, nego. Et ista autem requiritur, secùs nec Causæ primæ concursus esset inter requisita supputandus.

Dices. Quemadmodum calefacere, ita esse calidum est proprietas ignis; sed cessante Cœli motu, adhuc calidus ignis foret: ergo etiam &c.

Resp. nego ly *sicut*. Esse namque calidum est proprietas ignis dimanans ab illo per puram resultantiam, non per motum, aut per actionem.

Ad Confirmationis calumniam dicemus fusè in Meth. q. 12. in art. 1 §. 9. n. 43 ad 9 & ult. arg.

6. Arg. 2. Quemadmodum motus, & mutationes physicæ, ita & mutationes intentionales subordinantur Cœlis; sed cessante motu, & influxu Cœli non cessarent motus intentionales: ergo neque &c. Maj. est conspicua, quia omnes isti sunt inferiores. Min. prob. Adhuc namque color posset visivam immutare potentiam.

Resp. dist. min. ex dictis prægresso art. §. 3. in fine dist. min. non cessarent motus intentionales, qui habent annexum motum, vel mutationem physicam, ut odor, qui importat evaporationem fumosam, sonus, qui importat corporum collisionem, mediique resilientiam, & gustabile, ac tangibile, qui per primas qualitates immutant etiam physicè sensum, nego motus intentionales non habentes annexum talem motum, aut mutationem physicam, cujus modi sunt actiones solius visus subdist. cessante motu, & influxu inadæquato Cœlorum, concedo, adæquato, nego min. & conseq. Vid. ibi.

Dices. Ergo si verum est, quòd nonnulli dicunt futurum fore, ut post judicii diem hanc terram inhabitent pueri, qui sunt in limbo, verificari de illis posset *nares habent, & non odorabunt, aures habent, & non audient, manus habent, & non palpabunt &c.*

Resp. primitùs posse concedi sequelam. Quamvis enim quedicti pueri nulli sensus pœnæ positivæ sint addicti, possunt tamen subire pœnam privativam. Vel dicatur, quòd tunc Deus supplebit influxum Cœlorum saltem quò ad motus aliquos intentionales.

7. Arg. 3. Legitur in Josue 10. quòd stetit Sol, & consequenter cæteri Orbes, qui motu primi mobilis abripiuntur; & tamen pro illo tempore non supersteterunt ista inferiora à suis operationibus. Secundò si cessante motu locali Cœlorum, grave aliquod esset sursum, descenderet, secùs esset in statu violento nullo impediente. Tertiò. Existens in vacuo non participat influxum Cœlorum; & tamen in vacuo potest naturaliter haberi motus localis ut diximus 4. Phys. Demum etiam cessante motu locali Cœlorum posset Homo progressivo motu, & motu cordis moveri.

Conf. 1. Non omnia sublunaria indigent motu locali in agendo, cùm magnes immotus attrahat ferrum.

Secundò. Cœlestis influxus quamquam requiratur ad generationem, non tamen ad corruptionem, quia hæc provenit potiùs ex defectu influxus, secùs sequeretur, quòd animalia, quæ invenirentur viva cessante motu Cœlesti, in æternum viverent, imò damnatorum corpora remanerent incorruptibilia post judicii diem.

Urg. Cœlum Empyreum est omnino immobile; & tamen influere non cessat in hæc inferiora judice S. Th. p. p. q 66. art. 3. ad 2. ergo potest Cœlum influere absque locali motu.

Resp. ad arg. quòd cùm tunc cessaverit pro modico tempore, perduravit pro illo temporis spatio virtus nuper immissa. Ad 2. nego, quòd ex in hypothesi, & eo in casu grave tenderet deorsum, & nego, quòd foret in statu violento. Licèt namque de natura gravis sit tendere deorsum, & de natura ignis sit calefacere supposito Cœlorum influxu, secùs isto sublato. Ad 3. jam diximus 4. Phys. qualiter Deus Cœlorum suppleret influxum. Ad 4. respondet S. Th. q. 5. de pot. art. 10. in corp. & ad 8. quòd motus illi in homine causantur ab Anima, quæ ceu spiritualis non omnino pendet à Cœlorum motu.

Ad 1. Conf. Resp. primodùm ex dictis antegresso art. ad 5. quòd motus ferri causatur effectivè à generante; magnes verò attrahit in genere causæ duntaxat veluti finalis. Præterea non est sine omni locali motu saltem præsoppositivè. Præsupponit namque motum aliquem localem, quo proportionata in distantia ponatur.

Ad 2. Conf. Resp. quòd tametsi in corruptionem non influeret directè, tamen influit indirectè, quatenus generatio unius est corruptio alterius, & una alteram infert.

Illa autem animalia citò decederent, quia modico pro tempore perseveraret virtus aliqua nuper à Cœlis derivata, qua præcipitanter deficiente, & illa deficerent.

At damnatorum corpora, quamquam ab intrinseco corruptibilia, ceu ex quatuor qualitatibus contrariis constantia; attamen ab extrinseco incorruptibilia evadent, tum propter illud motivum, tum ex voluntate Dei. Ignis autem miraculosè damnatos torquebit.

Ad id, quo urgetur respondet S. Th. quodl. 6. art. 9. his verbis: *hoc autem est proprium hujus corporis* (loquitur de Empyreo) *quod influat absque motu, inquantum est supremum attingens quodammodo ordinem substantiarum spiritualium* &c. Vid. S. Th.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Cœli influant in actus humanos, rebusque necessitatem imponant.

§. I.

8. NOn dico in actus Hominis, benè verò in actus humanos, idest in actus elicitos à voluntate deliberate operante.

§. II.

CONCLUSIO.

Cœlum non influit effectivè propriè in actus humanos, sed ad summum influit eis occasionem aliquam.

COmmunis est inter DD. cum S. Th. p. p. q. 115. art. 4. & p. 2. q. 9. art. 5. & 3. contra G. cap. 86. & alibi adversus veteres Pharisæos, & Philosophos, ut Democritum, Empedoclem, &c. quos refutat Stagyrita 4. Meth. & 3. de Anima; sicut & contra Priscillianistas, relatos ab Aug. lib. de hæresibus cap. 70.

2. Prob. Agere, & influere est proprium superioris in ordine ad inferiora; sed potentiæ, à quibus eliciuntur actus humani non sunt quid ad Cœlos inferius, loquendo de inferioritate formali, idest perfectionis: ergo &c. Prob. min. Corpus est potiùs inferius ad spiritum; sed Cœlum est agens corporeum; intellectus verò, & voluntas sunt potentiæ spirituales; ergo &c.

Nec Angelus movens id potest saltem naturalites medio corporeo instrumento, secùs & in alium Angelum medio corporeo instrumento id naturaliter posset.

3. Prob 2. hujuscemodi actus dicuntur, qui à voluntate liberè procedunt; sed quòad istos voluntas non subjicitur corpori Cœlesti: ergo &c Prob. min. actus liber debet esse à voluntare indifferenti, sed Cœlum agit cum necessitate, & determinatione ad unum, ut docet Damasc lib.2. fidei Orthodoxæ cap. 7. relatus à D. Th. in arg. *Sed contra*: ergo &c. secùs voluntas non haberet dominium suorum actuum.

4. Quòd verò influat, seu præbeat eis occasionem aliquam certum est. Potest siquidem in sensuum actuum ceu corporeos aliquid influere. Ex alteratione autem sensuum difficulratem experiuntur in suis actibus intellectus, & voluntas, ut cùm sensus vehementes tendit in objectum sibi consonum, rationique dissonum.

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

5. ARg. 1. Cœli non influunt, nisi ut moti ab intelligentia; sed ista est superior ad Hominem omnibus modis; ergo &c.

Conf. Omnis multitudo debet reduci ad aliquod uniforme principium; sed hujuscemodi actus sunt varii, & multiformes; ergo debent reduci in motum uniformem corporum Cœlestium, sicut ad proprium principium.

Ad arg. habes ex dictis num. 2.

Ad Conf. respondet S. Th. p. p. q. 115. art. 4. *ad 2. dicendum, quòd sicut multiformitas corporalium motuum reducitur sicut in causam in uniformitatem motuum Cœlestium, ita multiformitas actuum, qui sunt ab intellectu, & voluntate reducitur in principium uniforme, quod est intellectus, & voluntas Divina.*

6. Arg. 2. Dæmones subjiciuntur influxui corporum cœlestium: ergo etiam &c. Ant. prob. 1. Juxta variarionem Lunæ invadunt diversimodè Homines, qui lunatici dicuntur, nimirum magis in incremento Lunæ: ergo. Secundò. Majorem virtutem obtinent Cœlestia, quàm sublunaria corpora; sed Dæmones alliciuntur quibusdam herbis, & lapillis, ut restantur Psellus in lib. de Dæmonibus, Et Josephus lib. 8. antiquitatum, dicens, Salomonem artem quandam ad hoc edidisse; ergo à fortiori.

Resp. nego aut. Ad 1. prob. respondet S. Th. p. p. q. 115. art. 5. ad 1. id contingere, non quia Cœli influant in Dæmones, sed quia Dæmones id tum vehementiùs exercent, vel ut infament Dei creaturam, nempe Lunam; vel propter majorem aptitudinem cerebri, quod ceu humidissimum omnium partium corporis magis subjicitur Lunæ influxui, cujus proinde in incremento faciliùs Phantasia perturbatur, Vide S. Th.

Ad 2. Respondent Compl. Dæmones illis attrahi rebus tanquam signis, ad quæ ex inito cum maleficis pacto occurrunt, ut S. tradit Aug. lib. 22. de Civit. Dei cap. 6. Vel quia hujuscemodi res Divinum interdum significant honorem, cujus cupidissimi Dæmones sunt; vel ignominiam, à qua, ceu qui superbissimi, summoperè abhorrent; Ea propter vel amoventur, vel alliciuntur.

Subdunt postea, falsitatibus Pselli, & Josephi nullam esse fidem habendam.

7. Arg. 3. Qui benignioribus sub astris concepti sunt nobiliori pollent intellectu: ergo Cœlum influit in intellectum.

Resp. ex D. Th. 3. contra Gentes cap. 84. inde duntaxat sequi, quòd Cœlum influat in intellectum indirectè, & occasionaliter, quia nempe qui benignioribus sub astris coaceptionem sortiuntur, meliores sortiuntur virtutes corporeas, puta imaginativam, memorativam, cogitativam, &c. à quibus intellectus pro hoc statu dependet in suis operationibus.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Effectus corporum Cœlestium contingenter eveniunt.

8. EST communis sicut prima cum Philos 2. Phys. tex. 4. & 6. Meth. tex. 5. Et 2. de somno, & vigilia cap. 2. & D. Th. p. p. q. 115. art. 9. & 3. contra Gentes cap. 83. adversus plures Arabes, Avicennam, & alios.

Prob. Effectus dicuntur contingentes, qui possunt esse, & non esse; sed corporum Cœlestium effectus possunt esse, & non esse: ergo &c. Prob. min. influxus Cœlorum possunt frustrari: ergo &c. Ant prob. primirèr in agentibus liberis, quæ optimè possunt reluctari passionibus, quæ in eis progignuntur ex influxu passionum, ut verum sit quòd *sapiens dominabitur astris*. Præterea de aliis agentibus, Tum quia corpora Cœlestia agunt in hæc inferiora mediis etiam causis sublunaribus, ob idque dici consuevit, quòd Sol, & Homo generant Hominem, & sic de cæteris, sed causæ sublunares possunt plerumque agere, & non agere, sicut Leo potest generare, & non generare: ergo &c. Tum etiam quia virtus, & influxus unius corporis Cœlestis potest per alterius corporis Cœlestis virtutem, & influxum præpediri, V. G. virtus Saturni, quæ per se conducit ad frigiditatem, & siccitatem, potest impediri ab alia virtute alterius Planetæ influentis humiditatem, & calorem. Tum demum quia influxus corporis Cœlestis potest interdum recipi in materia incapaci talem habendi effectum. Eapropter quemadmodum in materia aliqualiter indisposita ægriùs suum sortitur effectum Cœlestis influxus, ita in materia omnino indisposita potest impediri absolutè ne effectum sortiatur.

Nec juverit dicere, hoc probare de aliquo duntaxat corpore Cœlesti, neutiquam verò de tota Cœlestium corporum serie.

Non, inquam, quia eadem est ratio de omnibus. Si autem solutio procedat de tota serie corporum Cœlestium simul, est magis inepta, quia tota Cœlestium corporum series simul non agit in aliquem particularem effectum, sed diversos in effectus diversa agunt corpora Cœlestia juxta suæ virtutis diversitatem.

§. V.

Solvuntur adversariorum argumenta.

9. ARg. 1. Posita, & debitè approximata causa naturali naturaliter operante, necessariò sequitur effectus; sed Cœlum est causa naturalis naturaliter operans; ergo necessariò suos consequitur effectus. Maj. palam est in igne. Min. ex eo supponenda, quòd Cœlum haud liberum sit, cùm nec animatum teneatur.

Resp. ex dictis num. antegresso maj. fore veram, ni causa illa sit impedibilis, ac reapse impediatur; Vel si semper sit circa materiam capacem. Idcirco etiam ignis si applicetur materiæ incombustibili non comburet, ut de eodem igne in concavo Lunæ posito certum habemus non comburere Cœlum incapax combustionis, imò & caloris. Adde quòd Cœlum quamquam liberum non sit, agit tamen ut motum ab Intelligentia, quæ agens liberum est.

Contra ex Avicenna. Indispositio materiæ, vel causæ sublunaris impedientis, in aliquam refunditur causam Cœlestem ut universalem; ergo tametsi relatè ad hoc, vel illud corpus aliquis effectus dici contingens queat; secùs tamen omnium attento corporum Cœlestium influxu. Prob. ant. Omnis dispositio, & ordo, qui in sublunaribus reperitur, à motu derivatur Cœlorum; ergo &c.

Resp. primitùs permisso ant. nego conseq. Tum quia ut num. prægresso in fine vidimus, nunquam tota Cœlestium corporum series simul influit in aliquem determinatum, & particularem effectum; Tum quia tametsi materiæ, sive subjecti indispositio non ex ipsa materiæ indispositione oriatur; potest tamen oriri ex eo, quòd unum corpus Cœleste immittit virtutem, quæ conjungitur alio cum corpore, aliave cum virtute Cœlesti. Præterea nego ant. Plura namque subjecta, puta hoc vel illud elementum à conditione Mundi independenter à Cœlorum influxu talem à naturæ Authore sortita sunt naturam, ut haud capacia sint alicujus cujusdam influxus.

Inst. Dispositio qualibet, vel indispositio horum inferiorum

viorum reducitur saltem in primum mobile: ergo saltem primi mobilis attento influxo, nullus effectus dici potest contingens. Prob. ant. Siquidem primum mobile est universalissima horum inferiorum causa, qua cessante, omnes in sublunaribus cessarent motus, ut dictum est art. 2. præcedenti.

Resp. primodùm ut supra, quòd dispositio omnis, vel indispositio reducitur in primum mobile, ejusque virtutem ut modificatam, & conjunctam cum virtute tum aliorum corporum cœlestium, tum causarum sublunarium tanquam causarum particularium. Præterea dico, quòd licèt dispositiones, quæ eveniunt materiæ ex agentibus creatis reducantur in primum mobile; at non dispositiones, vel indispositiones, quæ ipsa materiæ natura sortita est ab Authore naturæ juxta essentiæ suæ exigentiam.

10. Arg 2. Etiam virtus Divina attingit effectus mediis causis secundis, qui possunt deficere, & non infrequenter in agendo deficiunt; sed hoc non obstante Divina virtus infallibiliter suos consequitur effectus: ergo similiter non obstante, quòd Cœli influant mediis causis sublunaribus, vel media virtute cœlestis alterius corporis, adhuc suos infallibiliter consequi effectus possunt.

Resp. data maj. & min. nego conseq. & paritatem. Deus namque statuit, decernit, & prævidet omnia impedimenta, omnesque causarum secundarum conditiones, omnemque sibi materiam perfectissimè subjicit. Quod de Cœlis non currit. Nec tamen contingentiam effectibus Deus adimit, ut 7. Phys. q. 2. art. 2. vidimus.

Contra, Saltem Angelus movens Cœlos ceu horum omnium comprehensor prævidet omnia impedimenta, omnesque conditiones, &c. ergo saltem &c.

Resp. primitùs, quòd tametsi omnia prævideat, at non omnia superare valet, nec ita sicut Deus omnem sibi materiam perfectè subjicit: Insuper estò omnia prævideat impedimenta, quæ à causis sibi inferioribus, at non omnia, quæ à causis superioribus, puta Deo, provenire queunt. Qua ratione haud valet Angelus futura contingentia, & libera prævidere absque Divina revelatione. Demum tametsi non forent casuales, fortuiti, & fatales; semper tamen contingentes sunt. Non enim idem est casuale, fortuitum, fatale, ac est contingens.

APPENDIX.

Num, & quomodo ex cœlestium corporum contemplatione prævideri futura queant contingentia.

Respondetur

Non posse certò, imò nec probabiliter, si libera sint, futura contingentia prævideri.

1. PRima pars sequitur ex dictis prægresso art. ubi vidimus, sublunares effectus minimè habere infallibilem connexionem cum influxu corporis cœlestis, ac contingenter evenire.

Quò ad 2. p. Prob. Ad probabile, ac prudentiale judicium exigitur, quòd in unam magis, quàm in aliam sit partem determinatum, licèt cum alterius partis formidine, secùs esset suspensum dubitare, & non probabiliter judicare, sive prudenter opinari; sed obtineri hoc minimè potest ex cœlestium corporum contemplatione circa futura libera: ergo &c. Prob. min. Talem ad determinationem requiritur, majorem dignoscere connexionem in una præ alia parte; sed connexio ista minimè reperitur inter agentia libera, & Cœlos, cùm Cœli nullatenus influant per se in actus humanos, uti vidimus prægresso art. §. 2. & 3. ergo &c.

Conjecturaliter verò prævideri nonnulla contingentia libera possunt ex aliquibus inclinationibus, quas, ut ibidem vidimus, influere Cœli Hominibus possunt. Prævideri item possunt effectus nonnulli naturales, ut pluviæ, tempestates, &c. Quæ tametsi etiam à sublunaribus pendeant, magis tamen à cœlestibus dependent.

Vid. Compl. sive Blas. fusè de hoc.

2. Objicies 1. Genesis 1. dicitur, Astra fuisse fixa in Cœlo, ut essent signa. Isaiæ 34. & Apocal. 6. Cœlum appellatur liber, quia nimirum ad instar est libri aperti, & explicati, in quo possunt sapientes omnes effectus addiscere: ergo &c. Si non tanquam ex causa, saltem tanquam ex signis.

Resp. quòd neque tanquam ex signis. Siquidem omne signum est vel naturale, vel ad placitum; sed neutrum: ergo &c. Prob. min. 1. quò ad p. p. Omne signum naturale significat aliud, vel tanquam effectus suam causam, sicut fumus ignem; vel tanquam causa suos effectus, sicut ortus Solis diem, quod non admittitur, secùs non foret purum signum: vel tanquam coeffectum, sive quatenus uterque ab eadem causa procedit, sicut Iris significat serenitatem, eò quòd serenitas, & Iris eandem habent causam. At neque propugnari hoc valet. Quod prob. Tunc solùm duo effectus sese mutuo significant, quando procedunt ab eadem causa eodem modo, atqui corpora cœlestia, & futura contingentia non eodem modo prodeunt ab eadem causa utrisque communi, qualis est Deus: ergo &c. Maj. patescit, secùs nullam significationis correlationem habebunt; Idcircò quamquam omnia sublonaria ab eodem Cœlo causentur, quia tamen diverso causantur modo non se invicem significant. Min. quoque est perspicua. Cœlestia namque habent esse, & moveri invariabiliter, ac necessariò, futura verò contingentia habent esse contingens, variabiliter, ac mutabiliter.

Præterea prob. eadem prima min. quò ad 2. Siquidem vel sunt signum ex institutione Divina. Et hoc est semper signum naturale, ut perspicuum inductivè in omnibus est. Vel ex institutione humana. Et hoc non, quia non est assignabilis homo, à quo sortiti hanc sint impositionem. Vel ex institutione Angelica. Et neque hoc esse potest, quia cùm Angelus gubernet Cœlum juxta exigentiam naturæ Cœli, jam esset signum naturale. Alia apud Compl. videatur probatio.

Præfatæ autem authoritates Scripturæ non sunt ad rem. Solùm enim intenditur ibi, quòd per Stellas, &c. significatur diversitas temporum, puta diei, noctis horarum, &c.

3. Objic. 2. Ex diutino experimento alicujus effectus ab aliquâ semper provenientis causâ sic, vel sic dispositâ argui potest, quòd effectus futurus sit, positâ causâ in tali dispositione; sed per Astrologos, tùm veteres, tùm recentiores experientia compertum est, effectus provenire semper posito corpore aliquo quibusdam in motibus, vel quibusdam sub signis: ergo &c.

Conf. 1. Omnis nostra etiam scientifica cognitio ortum habet ab experimento, ut sumitur ex Arist. 1. Meth. sed experientia compertum est, Astrologos multa prædicere: ergo &c. Secundò Dæmones prænoscunt futura contingentia, ut ex oraculis Apollinis, quæ tantam apud Priscos sunt fidem adepta propter tot eventus, qui sic comprobarunt: ergo &c.

Resp. nego min. quam haud mihi suadet Astronomorum authoritas, sed oppositum evincit ratio, Tum quia effectus illi pendent, non tantùm ab illa causa, verùm & à pluribus aliis. Nusquam autem Astrologi tam diutino tempore experti sunt causarum omnium harmoniam, & impedimentorum, quæ possunt occurrere, cùm propemodum infinitæ in Universo contingant temporis lapsu varietates, Idcircò nusquam Mundus sub illa fuit dispositione, quam impræsentiarum obtinet. Tum quia varii adeo sunt motus, & adeo variæ conjunctiones Stellarum, aliorumque cœlestium corporum, ut nunquam illa reperiantur sub dispositione, quam olim habuere.

Ad 1. Conf. Resp. quòd si nonnulla prædicere Astronomi, quæ sic evenerunt, casu id fuit. Cujus signum est, quod plerumque falsa prædicunt. Vel dico, quòd nonnunquam prædicunt ex revelatione Dæmonis.

Ad 2. Conf. respondet S. Th. p. p. q. 57. negando ant. Dæmones siquidem prædicunt duntaxat aliqua futura, quæ facere ipsi possunt, & de his Astrologos instruunt. Undè Aug. 2. super Genes. ad litt. cap 17. *aliquando autem*, inquit, *iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt veluti divinando prædicunt. Quapropter bono Christiano, sive Mathematici, sive quilibet impiè divinantium, maximè dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio Dæmoniorum Animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.*

4. Objic. 3. Ex contemplatione corporum Cœlestium potest prævideri, quòd Titius sit futurus iracundus, & complexionis cholericæ; sed ferè impossibile est, quòd talis Homo non sit aliquem percussorus: ergo potest prævideri, quòd Titius sit quempiam percussurus.

Conf. Quòd unus sit litteris, alter negotiis idoneus derivatur

vatur ex Cœlestium corporum influxibus : ergo qui hoc dignoscunt, possunt &c.

Resp. primitùs, quòd bona educationis disciplina prævalere his omnibus potest. Præterea dico, quòd Titii complexio pendet, non tantùm ex Cœlorum influxu, sed & à pluribus aliis causis præcipuè à Parentibus, à quibus humidum haurit radicale. Eapropter, qui ex solo Cœlorum influxu talem vellet complexionem dignoscere, similis foret ei, qui uno ea principio vellet inferre conclusionem ex centum pedentem principiis.

Qua ex re habes ad Conf. Potest namque mala educatione, vel alio impedimento talis frustrari propensio, & aptitudo.

5. Objic. demum. Astrologia est vera scientia; sed scientia est de infallibilibus: ergo &c.

Resp. quòd notio scientifica Astrologiæ versatur, non circa effectus futuros contingentes, sed circa motus Cœlorum; Ob idque possunt ab Astrologis prævideri congressus Planetarum, Eclipses, &c. quæ à solis corporibus Cœlestibus pendent, nec possunt aliunde naturaliter impediri. Præterea ad hoc, ut Astrologia sit vera scientia etiam circa futura contingentia, sat est, quòd Astrologus possit certò prævidere, quòd talis effectus infallibiliter venturus sit quantùm est ex solo Cœlorum influxu. Cum quo semper stat periculum, quòd aliunde impediatur.

QUÆSTIO QUINTA & ULTIMA.

De Cœlo Empyreo.

NAturalis rationis evidentiam subterfugit Cœli Empyrei existentia, quæ aliàs fidei testimoniis certa fit non paucis ex Scripturæ locis quæ videre est apud Compl. sive Blas. Haud tamen prohibetur probabili saltem ratiocinio aliquo suaderi. Quandoquidem plura sunt facta corpora hoc in Universo ad statum generationis, & corruptionis: ergo quoque extare aliquod debet corpus statui deserviens glorificationis in corpore: atqui hoc est corpus quoddam superius ad superiora cætera corpora ordine, & dignitate, cùm glorificationis status antecellat statum generationis, & corruptionis: ergo omnia super corpora, nimirum super quatuor elementa, & super cæteros Cœlos datur aliud corpus superius, quod Cœlum Empyreum vocamus.

Qua ex re habes, Cœlum Empyreum esse supremum omnium corporum, adeoque in illo nec arbores, nec flores extant, nisi metaphoricè, ut diximus q. 1. art. 3. supra Cœlos non dari aliquod elementale.

Conf. Ad perfectum Principis regimen spectat designasse carcerem, sive locum pœnarum pro criminatoribus, & palatium, sive locum præmiorum justis: ergo quemadmodum datur locus infimus infernalis, ita locus supremus, &c.

Adde, quòd summè decet Beatorum Sedem perfecta quies. Vid. S. Th. p.p. q 66 art. 3.

Cajet. dum in Commentariis super cap. 2. ad Corinth. 12. *Empyreum*, inquit, *siquidem à posterioribus traditum nullibi invenitur in scripturis*, voluit respuere Empyreum eo modo, quo quibusdam à recentioribus ponitur, nimirum floribus refertum, arboribus plantatum, &c. non verò absolutè, quicquid calumnietur Gabriel Enao lib. 1. Emphyrologiæ exercit. 2.

SCISCITABERIS PRIMO.

Cœlum Empyreum quanta luce, & magnitudine polleat.

§. I.

Cœlum Empyreum est lucidissimum corpus.

1. HAud aliter sentiunt SS. PP. apud S. Th. p. p. q. 66. art. 3. & in 2. sent. dist. 2. q. 2. art. 2. & art. 3. ad 2.

Prob. ratiociniolo, quo probavimus, Cœlum esse solidum, sphæricum, &c. Corpus excellentissimum, & nobilissimum in eo ordine, in quo est tale, debet, excellentissima, ac nobilissima, excellentissimoque in gradu dotatum esse; sed Empyreum Cœlum est nobilissimum, excellentissimumque omnia inter non viventia corpora: ergo nobilissima excellentissimaque ei competit qualitas non vitalis, qualis est lux excellentissimo in gradu.

Conf. Empyreum ceu perfectæ beatitudinis locus, gaudere his omnibus, quæ perfectam Beatorum ad jucunditatem conducunt, ad quam sanè lux summopere confert.

Urg. Locus pœnalis, nimirum infernus damnatorum carcer est maximè tenebrosus, maximaque perfusus caligine: ergo è contra locus Beatorum &c.

2. Objicies 1. Vel dicitur maxima relatè ad absolutam Dei potentiam. Et sic non, quia nunquam potest esse tanta, qua major fieri nequeat, secùs esset infinita in actu. Vel relatè ad Dei potentiam ordinariam. Et neque sic esse potest, quoniam lux, qua Christi est perfusa humanitas est maxima, quæ potest esse de potentia Dei ordinaria, & tamen Empyrei lucem superexcedit: ergo &c.

Resp. ly *lucidissimum*, sivè maximè lucidum esse superlativum inter duntaxat inferiora omnia sibi corpora.

3. Objic 2. Si tam grandis foret Empyrei lux, dubio procul perciperetur; sed non percipitur, cùm Astronomorum nemo etiam Telescopii virtute fuerit Empyreum deprehensus: ergo &c.

Resp. ex D. Th. qui p.p. q. 66. art. 3. ad 4. *Potest*, inquit, *dici, quòd habet lucem Cœlum Empyreum, non condensatam, ut radios emittat sicut corpus Solis, sed magis subtilem*. Et in 2. sent. dist. 2. q 2. art. 2. ad 1. ubi *illa*, inquit, *ratio procedit de eo, quod est hoc modo lucidum; ut radios emittat sensui nostro visibiles: propter quod etiam ignis in propria sphæra non lucet: sic autem non dicimus lucidum Cœlum Empyreum, sed quia in natura sua lucem habet.*

Hanc D. Thomæ doctrinam amplexantur Scotus in 4. sent. dist. 45. q. 1. art. 1. ver. *dicitur ergo*, Durandus in 2. sent. dist. 2 q. 1. & cæteri ferè omnes.

Gabrieli verò Enao minimè placet, qui idcircò ei occurrit primò, quia (dicit ipse) licèt locum habeat in corporibus fluidis, ut sunt ignis, & aer; non tamen in corporibus solidis, & densis, ut est Empyreum, quæ sufficientem habent dispositionem ad emittendos lucis radios 2. quia estò lucem non effunderet, deberet tamen immittere species sui repræsentativas, per quas illius claritas nobis apparet, secùs vel Beatis ipsis invisibile foret.

Conf. quia secùs Empyrei lux non delectaret Beatorum visum, proindeque superflua foret.

Resp. ad 1. pro emissione radiorum non quamcunque soliditatem sufficere, & densitatem, secùs corpora omnia Cœlestia radios emitterent, cùm lucida omnia sint solida & densa, & tamen sidera duntaxat, ceu majori densitate pollentia radios emittunt. Opus itaque est densitate quadam insigniori, & quadam cum grossitie, qua caret Empyreum.

Ad 2. Resp. quòd immittit quidem species sui repræsentativas; tamen cùm non emittat radios, nequit ad nos usque eas perducere ratione maximæ distantiæ. Corpus namque non emittens radios, in minori distantia species immittit, ut liquet de igne elementari.

Ex quo habes ad Conf. Beati namque non multum distant ab Empyreo Cœlo. Nec lucis ejus intensio officit visioni, cùm non sit calefactiva, ut est lux Solis, sed maximè perfecta, & delectans, uti etiam est lux humanitatis Christi Domini.

§. II.

Circa ejus magnitudinem.

4. QUicunque Cœli grossitiem, Empyrei latitudinem determinare contenderet, redarguendus foret illis Isaiæ verbis 40. *quis Cœlos palmo ponderavit*, & Ecclesiastici 1. *altitudinem Cœli quis dimensus est?* Exploratum est autem longè superare magnitudine cætera cuncta corpora simul. Ob idque maximæ dici potest magnitudinis, ad eum modum, quo n. 2. diximus, esse maximè lucidum. Eapropter fertur, S. Bernardin. dixisse, quòd Empyreum excedit firmamentum centum vicibus. Alii verò dixere, quòd mundialis machina comprehendens firmamentum cum reliquis in eo contentis exceditur in magnitudine ab Empyreo plusquam terræ globus à firmamenti magnitudine.

Hinc complures suo pro libito imaginati sunt distantiam terræ ab Empyreo. Nonnulli dixere, quòd si quis per mille octo annos à terra ascendens, quotidieque centum prætериens milliaria, vix concavam Empyrei superficiem attingeret: & massa ferrea, imò plumbea ab Empyreo dimitteretur,

teretur, vix quingentis in annis ad terram pertingeret. Alii aliter dixere, sed omnes in incerto laborando.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num Cœlum Empyreum influat in sublunaria.

Resp. affirmativè.

1. ADversus Aureolum, Gabrielem, Abulensem, Hurtadum, & alios, citantes pro se S. Th. in 2. sent. dist. 2. q. 2. art. 3. & ad Annibaldum art. 2. ubi re vera negativè scripsit. At id explicatè retractavit quodl. 6. art. 19. & affirmativè resolvit p. p. q. 66. art. 3. ad 2. quem sequuntur Durandus, Suarez, Conimbr. & alii.

2. Prob. Rectum Universi gubernium efflagitat, quòd inferiores partes à superioribus regantur, quòd & politico in regimine conspicuum est, cujus magistra natura fuit; sed Cœlum Empyreum est pars dignior, & nobilior hujus Universi: ergo in omnia influit corpora sibi inferiora.

Prob. præterea. Eatenus per Adversarios Cœlum non influit in inferiora, quia ulteriorem ad finem ordinatur, nimirum ad Beatorum habitationem, & quietem; sed hoc nihil obstat: ergo &c. Prob. min. Supremi Angeli licèt ordinentur principaliter ad Divinæ assistendum contemplationi, & propterea non mittantur; nihilominùs influunt in Angelos inferiores, qui mittuntur, ut communiter cum D. Dionysio docent Theologi: ergo pariter &c. Quæ est doctrina S. Th. p. p. q. 66. art. 3. tum quodl. 6. art. 19.

3. Prob. ulteriùs. Quantò aliquid est formalius, magis est activum; sed Cœlum Empyreum est formalius reliquis Cœlis; ergo multò magis influit. Maj. elucescit. Unumquodque namque operatur inquantum est in actu. Min. quoque, Tum quia Empyreum est nobilius, & perfectius; Tum quia continens comparatur ad contentum ut forma ad materiam, eò quòd conservat, & fovet contentum, seu locatum, ut docet Philosophus 4. Phys. tex. 46. ergo &c.

Conf. ex D. Th. quodl. 6. art. 19. Uniformitas, & deformitas motuum sublunarium reducitur in uniformitatem, & deformitatem Cœlestium motuum: ergo quoque omnis quies eorum, continuitas, uniformitas, & sistentia debet aliquod reduci in Cœlum continuò quiescens, nimirum Empyreum, adeoque &c.

4. Objicies 1. Nostra prima ratiocinatio probat quoque, quod Beatorum corpora in Empyreum, aliaque inferiora influant, cùm & ipsa nobilissimæ sint hujusce Universi partes; at id nullo valet fulciri ratiocinio: ergo &c.

Resp. primitùs, quòd Beati non ab intrinsecis id obtinent suæ naturæ in statu gloriæ, idcircò dispar est ratio, Præterea cum aliis ut Compl. permissa maj. nego min. Quemadmodum namque Angeli producunt in Empyreum lucem, ita Beatorum corpora, quæ sunt longe Sole, Empyreoque splendidiora, queunt illud splendidiori perfundere luce. Quod si Theologi apertè id minimè dicunt, nec tamen ullus apertè inficiatur, sed potiùs ex ratione, qua probant, Empyreum influere, istud quoque evincitur.

5. Objic. 2. Corpus non influit, nisi ut motum, ut Philos. docet 7. Phys. tex. 3. sed Cœlum Empyreum est immota Beatorum sedes: ergo &c.

Resp. dist. maj. Corpus omnes servans corporis conditiones, concedo (sicque intelligendus Philos.) secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Cœlum namque Empyreum ceu nobilissimum, & supremum omnium corporum, attingit ordinem separatarum substantiarum, earumque servat conditiones, cùm supremum infimi attingat infimum supremi. Sic S. Th. quodl. 6. art. 19. respondet ad rationem, quam alibi ipse formaverat. Vide apud eundem.

6. Objic. 3. Non sunt absque necessitate multiplicanda entia; sed nulla urget necessitas ponendi influxum Empyrei in ista inferiora: ergo &c. Prob. min. Effectus omnes sublunares possunt optimè in alios reduci Cœlos: ergo &c. Prob. ant. Veteres Philosophi, qui Cœlum Empyreum ignoravere, de facto reduxerunt sublunares omnes effectus in reliquos Cœlos: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. nego ant. Reducebant namque forsan in Deum. Præterea respondent Compl. quod talium Philosophorum authoritas est argumentum purè negativum non convincens. Necessitas autem ponendi Empyrei influxum satis, superque emicat ex dictis n. 2. & 3.

Inst. Haud assignabilis est peculiaris effectus correspondens Cœlo Empyreo: ergo &c.

Resp. nego ant. cujus falsitas nitet ex dictis n. 3. in Conf. Adde ex Suarez, quòd quemadmodum plures sunt virtutes in sublunaribus, quorum effectus nos latent, ita plures esse possunt effectus Empyrei correspondentes influxui, qui nos prætereant.



DE

DE GENERATIONE, ET CORRUPTIONE

LIBRI DUO.



Uamquam generabile, & corruptibile ens pro objecto sortiantur libri isti, haud tamen scientiæ conditionem amittunt, quæ de invariabilibus, adeoque indefectibilibus duntaxat esse patitur, ut conspeximus in Logica Syntag. 3. q. 1. art. 1. §. 2. & iterum §. 3. ad ult. arg. sed veram scientiæ obtinent rationem; quoniam de generabili, & corruptibili agunt, non in individuo, quo pacto mutationi est obnoxium, sed vel tota sui in universalitate, vel in genere, vel in specie saltem, quo pacto omnis, saltem exercitæ, mutationis est expers, cùm principium invariabile prorsus sit istud, *omne compositum ex quatuor qualitatibus contrariis est corruptibile*. Sunt itaque vera Philosophiæ pars. De objecto videri potest Lerma hic.

Tractatum istum Aristotelis Methodo duobus conficiam libris, quorum in primo sermo erit de Generabili, & Corruptibili ut sic, necnon de iis, quæ generationem, corruptionemque ut sic vel præire, vel comitari habent, ut puta alteratione, nutritione, augmentatione, &c. In secundo de Generatione, & Corruptione in specie, nimirum de elementis, & mixtis.

LIBER PRIMUS

De Ortu, & Interitu ut sic.

Octo per quæstiones hunc absolvam librum.

QUÆSTIO PRIMA.

De quidditate Generationis, & Corruptionis.

GEnerationem, & Corruptionem substantivam dari cunctos adversus Atomistas ostendi 1. Phys. q. 1. art. unico §. 7. consnt. 5.

Bifariam considerari Generatio potest. Uno modo ut actio est; alio modo ut mutatio est, quo solùm pacto saltem magis principaliter à Philosophis consideratur, cùm Philosophiæ objectum sit ens mobile.

Itaque ut mutatio est definitur à Philos. 1. Phys. tex. 72. & 1. de Gener. cap. 5. quòd sit *mutatio de non ens ad ens*, vel quod est *mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu*. Ex quibus definitionibus definiri luculentiùs consuevit, quòd sit *transitus de non esse ad esse*. Intellige de non esse tale duntaxat ad esse tale; neutiquam verò de non esse simpliciter, & absolutè, ut etiam loco citato ex 1. Phys. ad 5. objectionem dixi, ut distinguatur à creatione, quæ cùm fiat ex nihilo, est transitus de non esse absolutè & simpliciter. Vid. ibi, ubi etiam habes, quomodo generatio substantiæ differat à Generatione accidentis. Corruptio autem opposito definitur modo, nimirum *transitus de esse ad non esse*, intellige *ad non esse tale*, ut ab annihilatione secernatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num substantialis Generatio sit actio realiter distincta à præcedenti actione alterativa, terminata ad prævias dispositiones.

§. I.

1. DUm vestigamus, an sit actio distincta, jam deprehendis, quòd non loquimur de Generatione ut mutatio est, definita supra, quòd sit *transitus de non esse ad esse* estque ipsum mutatum esse, quod est terminus generativæ actionis. Loquimur itaque de generatione ut actio est, secundùm quam acceptionem definiri sic cum Guerinois potest: *est actio illa, qua generans novam substantialem formam in materia ultimò dispositam efficienter introducit*. De qua infra q. 2. art. 4. §. 3. ad 2. arg. dicemus.

Authorum tria percensentur placita etiam inter Thomistas. Primum est, quòd duæ sint actiones realiter distinctæ, ita quòd ultra actionem terminatam ad præcedentes dispositiones, alia extet actio generativa compositi substantialis. Sic placet Scotistis, Rubio, Hurtado, & aliis, quos inter ex Nostris Jo: à S. Th. Martinez de Prado, Bruno, Cavino, & alteri in m. s. eximio.

Secundum est, quòd eadem actio, quæ toto antecedenti tempore materiam præparavit ad formæ substantialis introductionem, ultimo in instanti, temporis hujus terminativo effectivè præfatam introducat formam, ita ut eadem actio secundùm diversa munera dicatur alteratio, & generatio, nimirum ut ad præcedentes terminatur dispositiones dicatur alteratio; ut verò ultimatè terminatur ad formam substantialem constitutivam compositi geniti dicatur generatio. Sic libet Compl. Mailath, Gabrieli à S. Vinc. Goudino, Guerinois post Cajet. & Sotum.

Tertium est singulariter Philippi à SS. Trinit. qui conciliare cæteros studet, supponendo aliàs opinionem à nobis explosam 3. Phys. q. 2. art. unico §. 2. num. 4. ac dicendo, quòd actio agens est dispositiva, & generatio, V.G. eadem actio ignis priùs est calefactiva ligni, & postmodum introducit formam ignis in materiam priùs dispositam per calorem: loquendo verò de actione acta, quæ recipitur in passo, vel effectu, diversa est actio alterativa à generativa, ceu diversum habens subjectum, nimirum compositum corruptum alteratio, compositum verò genitum generatio.

§. II.

CONCLUSIO.

Generatio non est ab alteratione distincta realiter actio.

2. AFferri non pauca D. Thomæ consueverunt testimonia, in quibus dicit, quòd generatio est terminus alterationis. Ob idque cùm ad actionem non detur actio, jam generatio non erit, nisi terminus, idest consumatio actio-

actionis alterativæ. Verùm quia Adversarii interpretantur, quòd S. Th. loquatur de termino dispositivè, non verò effectivè: Idcirco

Unicè, quod S. D. habet 1. Metaphys. adducemus. Ibi namque explicatè dicit, generationem esse terminum alterationis, *quia eadem actio primò alterat, & ultimatè generat*. Ubi Angelicus loquitur de generatione absolutè, & non de sola Hominis generatione, quam alibi 1. Phys. diximus, esse generationem purè unitivam.

3. Prob. 1. communi ratiocinio. Substantialis forma per eandem producitur actionem, per quam ultima ponitur dispositio prævia; sed hæc ponitur alterativam per actionem: ergo per eam quoque ponitur forma; sicque eadem est actio, generatio, & alteratio. Min. est indubitata. Ultima namque dispositio ad ignem est calor ut octo, ideft in summo inconciliabilis qualibet alià cum formà. Maj. prob. 1. Idem Thomista negat, quòd Homo possit ponere ultimam dispositionem ad gratiam, quia simul, & semel diceretur producere gratiam, necessariò tali cum dispositione connexam: ergo &c. Ex quo prob. 2. cum Goudin. Quæ necessariam inter se connexionem sortiuntur, per eandem producuntur actionem; sed substantialis forma necessariam connexionem habet cum ultima dispositione: ergo &c. Maj. hoc illustratur exemplo. Quia namque radix, & truncus colligantur, qui trahit unum, eadem actione trahit & aliud. Idem nitet exemplo clavi Trabi infixi, in annulis simul connexis: ergo &c.

Objectiones nonnullæ Junioris cujusdam solventur §. sequenti 3. Interim

Primum responsum est ejusdem, qui negat maj. Ad 1. prob. nihil dicit, nec mentionem de ipsa facit ullam. Ad 2. prob. dicit, maj. esse veram si conveniant in ratione producibilis. Forma autem substantialis non potest convenire in ratione producibilis cum dispositione ultima, quæ est accidens, Tum quia forma substantialis, ceu illa, quæ est substantia, perfectiorem, quam accidens, producibilitatem sortitur. Tum quia substantia, & accidens sunt termini specie, & genere distincti, proindeque diversas terminare actiones petunt. Sed

Contra 1. Quoniam responsum hoc videtur mera principii petitio. Hoc namque est, quod probamus, nimirum quòd deberet in ratione producibilis convenire, exemplo gratiæ, quæ estò generis, & ordinis supernaturalis conveniret in ratione producibilis cum illa ultima dispositione ordinis naturalis.

Nec est ad rem exemplum de Anima rationali. Non, inquam, quia rationalis Anima quemadmodum quò ad operari, ita quò ad esse, est independens à subjecto, in quo ultima ponitur dispositio, nimirum à materia. At non sic cæteræ formæ, sicut nec gratia, quæ ceu accidens est à subjecto dependens.

Secundò. Adhuc salvari optimè potest, quòd forma substantialis perfectiori producatur modo etiam per eandem actionem: ergo &c. Prob ant. Quod priùs in intentione producitur, perfectiori sanè modo producitur, quam id, quod duntaxat in executione priùs producitur, cùm priora in intentione sint semper nobiliora iis, quæ solummodo in executione sunt priora, ut inductivè palam est; sed tametsi eandem per actionem produceretur forma substantialis, & ultima dispositio, negari haud potest, quòd substantialis forma priùs in intentione licèt posteriùs in executione produceretur, quia ultima dispositio non poneretur, nisi propter formam substantialem: ergo &c.

Tertiò. Accidens, & substantia licèt sint diversi generis supremi, non petunt produci per actiones diversi generis supremi, cùm tunc actio alterativa, tum generativa ad idem spectet actionis prædicamentum: ergo pariter licèt unum sit generis perfectioris, non exigit produci perfectioris generis actione; secùs substantia peteret produci per actionem, quæ esset substantia; quemadmodum rationalis Anima produci, ideft creari per actionem petit, quæ spiritus est.

Secundum responsum est illius prælaudati in m. s. qui & ipse negat maj. Ad prob. dicit, maj. esse veram in his, quæ physicam habent connexionem concomitantiæ, ideft, quæ possunt stare, & stant simul. Secus autem in aliis. Ultima autem dispositio prævia non stat, nec potest stare simul cum forma introducenda, cùm ceu prævia recipiatur in composito corrumpendo. Sed

Contra insto. Et quidem efficaciter. Quandoquidem non repugnat, imò ita est, Peripateticè loquendo, quòd in animalis generis producitur anima Vegetativa, & postea eandem per actionem generativam primò factam producitur sensitiva, quæ non stat simul cum purè vegetativa, sed eam depellit, juxta dicenda lib. 2. de Anima q. 2. art. 3. §. 3. sub num. 7. ad 2. arg.

Quòd si dixeris, disparitatem esse, quia cum esse vegetativum, tùm esse sensitivum sunt de genere substantiæ. Tunc erit primum responsum, jam oppugnatum. Ultraquamquod etiam in illis tametsi utrique de genere substantiæ, militat successionis ratio.

4. Prob. 2. Idipsum habet calefactio V. G. in actu secundo, quod habet calor in actu primo, quia calefactio nil aliud est, quàm ipse calor in actu secundo; sed ad producendam substantiam ignis in actu primo non requiritur virtus propria distincta à calore, & sufficit ipsemet calor, ut virtus subordinata igni: ergo ad eandem producendam substantiam in actu secundo non requiritur actio distincta à calefactione in actu secundo, & sufficit eadem calefactio ut actio caloris agentis in virtute substantiæ ignis.

Respondent communiùs Adversarii negando universaliter maj semper enim, inquiunt, actus primus est secundo amplior. Eapropter quemadmodum unus est calor, succedaneè diversos producens calores, non tamen una, & eadem calefactio; similiter unus intellectus ad omne se extendit intelligibile, non tamen unica intellectio: Ita idem calor, neutiquam verò eadem calefactio potest, &c.

Hanc tamen solutionem improbat illemet clarissimus in m. s. 1. quia, dari actum primum non universaliorem actu secundo quantùm ad speciem, licèt non quòad numerum, conspici potest, Tum in lumine gloriæ, quod est virtus in actu primo, & adæquatur cum visione beata, quæ est actus secundus: tantùm enim potest lumen in actu primo, quantùm visio in actu secundo. Tum in calore, qui est actus primus respectu calefactionis, & tamen tantùm potest calor formaliter ut calor, quantum calefactio in actu secundo.

Secundò. Potentiæ specificantur per ordinem ad operationes: ergo si operatio productiva substantiæ ignis est realiter distincta ab actione productiva caloris, etiam virtus calefactiva distinguitur realiter à virtute ignefactiva.

Neque in tuto eris, si dixeris, hujuscemodi actiones esse subordinatas. Siquidem vel taliter sunt subordinatæ, quòd una est actus primarius, & specificativus, altera purè secundarius, & non specificativus, sicut amor Dei & proximi se habent respectu charitatis. Et hoc non, quia difficilè erit assignare, quinam actus sit non specificativus. Calefactio namque est operatio specificans, quia est per se primò intenta à virtute propria caloris. Ignefactio quoque actus specificativus est, quia est actio nobilior, & magis intenta à natura, quàm actio calefactiva.

Vel ita sunt subordinatæ, quòd ambæ sint specificativæ, sed tanquam partiales, non secùs, ac tres operationes potentiam specificant intellectivam. Et hoc dici nequaquam potest, Tum quia substantia, & accidens non sunt partialia specificativa unius virtutis creatæ per modum unius effectus. Deberent namque esse specificativa illius sub aliquà ratione superiori ad substantiam, & accidens, quæ est ratio entis; at virtus creata productiva non specificatur ab effectu producibili sub ratione entis; cùm id pertineat ad Dei virtutem universalissimam productivam: ergo &c. Tum etiam quia, quicquid sit, num sit possibilis una virtùs superioris ordinis specificata inadæquatè ab utraque operatione; nulla tamen est ratio in infimis naturis elementaribus, cur non debeant specificare ut actus adæquati secundi virtutes realiter distinctas.

Eapropter ea subordinatio inter illas erit, non in esse specificativi, sed duntaxat in esse entis. Quod minimè sufficit. Quandoquidem etiam intellectio, & volitio intra eandem lineam operativam, licèt subordinentur, potentias specificant realiter distinctas, licèt invicem subordinatas. Item principia, & conclusiones, estò subordinentur, ad diversas pertinent virtutes intellectuales, nimirum habitum principiorum, & scientiæ.

Respondet verò ipse dicendo, quòd virtus calefactiva realiter distinguitur à virtute ignefactiva in ipso calore. At hoc nos refutavimus 2. Phys. q. 1. art. unico §. 3. n. 2. ad 3. sub finem illius numeri 2.

§. III.

Adversariorum argumentationes solvuntur.

5. ARg. 1. Ubi sunt termini specificè, vel etiam genericè distincti, debent esse actiones distinctæ; sed termini generationis, & alterationis sunt genericè distincti, cùm unum sit accidens, & aliud substantia: ergo &c. Maj. prob. Tum quia actiones distinguuntur penes suos terminos. Tum quia ex eo Philosophus hic cap. 4. probat, lationem, seu motum localem esse actionem distinctam ab alteratione, quia est ad terminum distinctum à termino illius. Tum quia actio licèt dicatur specificari à suo principio, non tamen utrumque specificatur ab illo, benè verò ut præhabet terminum, secùs ab eodem non possent esse actiones specie diversæ, & ita sentit S. Th. p. p. q. 14. art. 5. ad 3. & p. 2. q. 1. art. 1. ergo &c.

Resp. dist. maj. si sint specie, & genere distincti in esse producibilis, concedo, tantùm in esse entis, nego maj. & dist. min. in esse entis, concedo, in esse producibilis, nego. Vel aliter dist. maj. si non se habeant connexivè per modum primarii, & secundarii, concedo, secùs, nego maj. & distinguo min. & si aliàs sunt connexi per modum primarii, & secundarii, concedo, secùs, nego min. & conseq. Repetantur dicta num. 3. in prima, secunda, & tertia primi responsi oppugnatione.

Contra. Terminus alterationis est accidens, nimirum qualitas, & terminus generationis est substantia; sed substantia, & accidens nequeunt convenire in ratione producibilis: ergo &c. Prob. min. Siquidem substantia est accidente perfectior: ergo &c.

Resp. dist. min. nequeunt convenire æquè primò, concedo, per modum primarii, & secundarii, nego.

Contra. Si convenirent per modum primarii, & secundarii, substantia esset terminus secundarius, & illa dispositio, quæ accidens est, esset terminus primarius; sed repugnat, quòd substantia sit terminus secundarius, ubi accidens est terminus primarius; ergo &c. Min. enitescit, Tum quia substantia est perfectior accidente. Tum quia secùs substantia haberet esse per quandam resultantiam. Maj. verò prob. Quandoquidem priùs producitur dispositio illa, seu prævia, quàm substantia.

Resp. nego maj. Ad prob. dist. ant. priùs in executione producitur dispositio illa, concedo, in intentione naturæ, authorisque naturæ, nego ant. & conseq. Et per hoc optimè salvatur, substantiam esse perfectiorem, nec habere esse per resultantiam; quia quæ habent esse per resultantiam, ut proprietates, existentia, &c. sunt quid posterius, non tantùm in executione, verùm etiam in intentione productum. Vide dicta num. 3. Secundum refellendo responsum, & applica, quòd sensitiva Anima est vegetativâ perfectior, nec esse per resultantiam habet.

Dices. Forma substantialis debet habere actionem per se primò ad se terminatam; sed si esset terminus secundarius etiam in executione non terminaret per se primò actionem; ergo &c. Maj. iterum tam certa est, quàm certum est, quòd substantia est accidente perfectior, quòd si dispositio illa, quæ accidens est, habet actionem per se primò ad se terminatam, multò magis substantia. Maj. autem prob. Actio siquidem alterativa terminatur ad illam dispositionem præviam, & non ad substantiam.

Resp. dist. maj. per se primò in intentione, concedo, in executione, nego maj. & distincta min. nego conseq. & ad min. prob. dicas, quòd actio alterativa utique in executione per se primò terminatur ad dispositionem illam; tamen in intentione per se primò terminatur ad substantiam. Et per hoc major salvatur substantiæ perfectio. Repetatur exemplum de sensitivo.

Oppugnabis. Ultima dispositio & substantialis forma genita sunt simul incompossibiles: ergo non simul eadem producuntur actione.

Resp. cum Goudin dist. consequens *ergo non simul* &c. simultate comitantis, concedo, connexionis successionis, nego conseq.

Nec est necesse (ut non nemo insistit) quòd comitatus connexione connectantur. Non, inquam, sed sat est, connecti connexione successionis, quatenus statim unum necessariò ad aliud succedit, ut conspicuum est in exemplo præallato de sensitiva Anima.

6. Arg. 2. ex illo celebri in m. s. Actio dispositionum productiva non existit in instanti generationis, nec etiam quatenus actio est, ut præcludatur evasio Guerinois: ergo pro substantiæ generatione alia requiritur actio. Ant. in nostra sententia, profitente, quòd actio subjectetur in passo, est certum, quia recipitur in composito corrumpendo, in quo ultimam producit dispositionem præviam ad formam de novo gignendam.

Resp. nego ant. Ad prob. dico, quòd haud difficile, licèt haud breve esset tutari, quòd satis sit, actionem illam tum adesse virtualiter, tametsi non formaliter. At quia tempus breve est, & prolixitudo non modica desideraretur ad singulas solvendas objectiones, quas contra habet prælaudatus in m. s. Idcircò aliter interim dist. ant. recipitur in subjecto corrumpendo prætereundo ad compositum gignendum, concedo, sistendo in solo composito corrumpendo, nego ant. & conseq. Et hoc vel ipsemet opponens solvere tenetur in generatione Animæ sensitivæ secedente vegetativâ, juxta dicta num. 3. oppugnando secundum responsum.

Contra. Ex hoc sequeretur, quòd idem accidens, eadem nimirum actio de uno in aliud transiret subjectum; at hoc execratur Thomista: ergo &c.

Resp. dist. maj. Si perduraret pro aliquo instanti *in quo*, concedo, si duntaxat pro instanti *ad quod*, nego maj. & concessa min. nego conseq. Quemadmodum namque à parte ante duplex distinguitur instans, unum *à quo* & naturæ; aliud *in quo*, & temporis. Primum non est prioritas existentiæ, benè verò secundum. Ita debet à parte post duplex distingui instans. Unum *in quo*. Et hoc dicit temporis posterioritatem, & existentiæ, vel per se, si substantiam concernat, vel receptionis in alio, si accidens est. Aliud verò est instans præcisè *ad quod*, nimirum ad quod finiendum res aliqua terminatur. Et istud non importat posterioritatem temporis, nec existentiæ, sed duntaxat posterioritatem naturæ. Ob idque dico, quòd in illo ultimo instanti *ad quod* in nullo subjecto reciperetur.

Dices. Illo in instanti *ad quod* actio vel non existit? Et sic non perdurat. Vel existit? Et tum cùm non existat per se, secùs esset substantia; ergo existit in alio, adeoque recipitur in subjecto.

Resp. quòd quemadmodum illud, quod existit in instanti duntaxat *à quo* (ut, solet Thomista dicere de materia in aliquo priori ad formam) existit pro tunc tantummodo inchoativè, initiativè, quatenus nimirum incipit habere existentiam formæ: ita actio in illo instanti *ad quod* existit finitivè, quatenus tum est in finiri ejus existentia. In eodem siquidem instanti in quo, seu reali temporis adest ultima dispositio prævia, & forma de novo gignenda, seu genita.

Hinc etiam dico, quòd actio illa habet esse in composito genito, non informativè, & per esse *in* (licèt ex modo loquendi explicetur per dictionem *in*, dicendo, quod est, & perdurat in composito genito) sed purè terminativè, non quidem correlativè, secùs esset relatio, sed terminativè activè, non verò inhæsivè.

Præterea Responderi cum Goudin posset, quòd subjecta illa essent duo subjecta partialia, non verò totalia.

Nihilominùs si cuipiam consultius visum fuerit, primum tutari responsum, nimirum quòd perduret virtualiter duntaxat, eò vel maximè, quòd responsum istud necessarium est ad salvandum, quòd eadem actio non subjectetur in duplici subjecto, quando semotâ formâ embryonis in fœtu, perseverat actio generativa in formâ vegetativâ toto illo tempore, quo cunctatur generari forma sensitiva. Idcircò

Subdo, quòd objectiones arguentis contra hoc haud difficilè solvuntur. Quandoquidem prima est, quòd Angelus ad hoc, ut conservetur requirit, quòd actio Divina conservativa perduret formaliter, & non tantùm virtualiter: ergo pariter &c. Secunda, quòd actio corporea non sufficit, ut sit divisibilis virtualiter quò ad locum, cùm reipsa se extendat formaliter ad totum, in quo agit, locum: ergo nec sufficit, quòd sit divisibilis virtualiter, quò ad successionem.

Ad utramque itaque, nego ant. Non enim ideo actio Divina conservativa Angeli perseverat formaliter, quia id exigat Angelus ut conservetur (posset siquidem conservari per actionem virtualiter duntaxat perseverantem) sed quia actio Dei est substantia Dei: Idcircò quemadmodum ejus substantia, ita ejus & actio perdurat formaliter. Item actio corporea non ideo est divisibilis, quia id requiratur, ut agat in aliis loci partibus (cùm agere sic posset, tametsi solùm

virtua-

virtualiter divisibilis foret, eò quòd virtuale æquivalet formali) sed quia cùm ei connaturale sit, esse divisibilem, & à nullo in loco ejus impediatur divisibilitas, quia locus est totus simul, ideo se extendit formaliter. At in casu nostro impeditur, quia termini non sunt simul; & aliàs ipsa est de genere transeuntis, & abeuntis formaliter, &c.

Sanè eodem hoc responso vel ipse utitur arguens cum omnibus Thomistis quò ad dispositiones prævias, ut videbimus quæst. 2. §. 3. ad 1. arg. sub num. 5.

7. Arg. 3. ex eodem. Actus electionis terminatus ad media, realiter distinguitur ab actione intentionis terminata ad finem, estò ipsa media sint propter finem: ergo pariter actio terminata ad prævias dispositiones realiter distinguitur à productione substantiæ, licèt ad substantiam ordinetur.

Resp. nego conseq. Discrimen situm in eo est, quòd finis consecutio non sequitur statim immediatè ad electionem mediorum saltem ex natura, sed ulteriùs mediorum requiritur usus, qui pertinet ad aliam potentiam à voluntate. At forma genita sequitur etiam ad ultimam dispositionem suapte natura necessariò, & per eandem producitur virtutem. Imò in hoc sita nostra erat secunda ratiocinatio §. 3. num. 4. Ob idque retorqueas arg.

8. Arg. 4. nonnullis D. Th. authoritatibus. Primò. Siquidem quodl. 12. art 4. in corp. *per alterationem*, inquit, *materia disponitur ad formam, sicut per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat, & secundùm hoc dicitur, quòd generatio, & corruptio sunt terminus alterationis, sicut illuminatio motus localis*; sed actio inducens luminosum ad situm est distincta ab actione illuminativa, estò una sit terminus, & altera via dispositiva, quatenus una ad alteram disponit, & conducit: ergo etiam &c.

Secundò. In 3. contra Gentes cap. 69. *si formæ*, inquit, *accidentales quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multò magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem hujusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales: ergo forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur*: ergo de mente S. Th. &c.

Resp. ad 1. S. Th. ibi explicatè loqui de generatione, ut mutatio est, seu, quod idem est, mutatum esse, at non ut actio est. Nec hoc meum aliquod est glossema, sed luculenter dicit ipsemet S. Th. Præterea haud omnimodam paritatem intendit, secùs sequeretur, quòd non solùm esset diversa actio, verùm & diversum agens, cùm motus localis Solis V. G sit ab Angelo movente Cœlos, & illuminatio fit ab ipso Sole; motus localis candelæ fit à deferente candelam, & illuminatio à candela.

Ad 2. Dici primitùs cum Goudin posset, S. Th loqui de dualitate actionis tantùm quò ad diversitatem munerum, at non quò ad diversitatem realitatis. Sed ne prolixè adhuc incedamus referendo objectiones quas contra producit Cav. Idcircò brevius. Resp. S. Th. fuisse ibi locutum non ex propria, sed ex Petri Lombardi sententia, nimirum ut Magistri sent. commentatorem.

Scio quòd PP. Salm. ægrè ferunt dicere, quòd S. Th. aliter sentiat in summa ac in lib sent. ubi expressè non dicit solita verba *licèt oppositum aliter dixerim*. Sic 3. p. ipsi vestigando, *num gratia habitualis fuerit dispositio physica ad unionem hypostaticam*. At quod id non sit semper verum fateri vel ipsi debent Salm. qui eadem 3. p. vestigando, *num in casu, quo una persona duas simul assumeret naturas, foret ne unus vel plures simpliciter homines*. Idem quod nos hic quandam ad authoritatem ex lib. sent. depromptam respondent sine eo, quòd se sic exprimat Angelicus. Quod & alibi non semel faciunt.

Nec obest, quòd tot illo ex loco eliciantur authoritates. Nam verè sic est, quoties non constat, alibi oppositum de mente S. Th. modò autem oppositum de ipsius mente fit palam loco à nobis citato §. antegresso 2. num. 2.

9. Ex dictis sub num. 5. Ad 1. arg. colligitur 1. quòd dispositio, & forma substantialis licèt diversum habeant esse; non tamen diversum habent fieri, neque diversam per actionem, sive non terminant diversum facere. Etenim tum solummodo quæ diversum habent esse, diversum obtinent fieri, quando diversa sortiuntur esse non connexa, non subordinata per modum primarii, & secundarii, idest non per modum unius se habentia, & non convenientia in ratione producibilis, secùs etiam proprietates, & relationes, ceu habentes esse ab essentia, & fundamento realiter distinctum, actionem exigerent propriam, & simpliciter talem ad se terminatam. Idem dicas de Anima sensitiva adveniente post vegetativam.

Colligitur 2. Ex ibidem dictis, quòd actio illa, quæ est simul, & semel generatio, considerari dupliciter potest. Primò ut est ab accidente ut accidens est. Et hoc modo est alteratio, terminaturque ad præviam illam dispositionem, quæ accidens est 2. ut est ab accidente, quatenus accidens est virtus substantiæ. Et hoc modo est generatio, & terminatur ad substantiam.

COLLECTIO.

Dubiorum quorundam.

QUoniam quæ hac in quæstione ventilanda nos manent minuscula sunt, ac pauca de se agenda præstant; Idcirco brevia per quæsita resoluta dabo.

SCISCITABERIS PRIMO.

Num corruptio sit mutatio realiter distincta à mutatione generativa.

Resp. affirmando.

1. ITa communiter. Et Prob. Tum quia mutari est *aliter se habere nunc, ac prius*: ergo ubi diversa, ut ita dicam, alietas, ibi diversa mutatio; sed diversa est alietas, quæ habetur per generationem, ac per corruptionem, quia materia per generationem aliter se habet accipiendo esse, per corruptionem verò aliter se habet amittendo esse. Tum quia diversos habent terminos *à quibus*, & *ad quos*.

2. Objic. 1. quòd termini isti se habent per modum primarii, & secundarii, non tantùm in esse entis, verùm, & in esse termini, cùm corruptio non sit per se à natura intenta ut quæsito 3.

Resp. nego ant. Ad prob. annexam dico, inde sequi quòd non sit terminus positivè intentus, non verò quòd sit terminus de secundario, adeoque corruptio est alia actio veluti præter intentionem, sicut & ejus terminus.

2. Objic. 2. Commune est axioma, quòd Generatio unius est corruptio alterius.

Resp. intelligendum esse, quòd sint idem connexivè, & consecutivè; vel quòd sint idem in ratione actionis, at non in ratione mutationis.

3. Qualis autem sit realis hæc distinctio; dicimus, esse realem negativam, quatenus est inter ens, & non ens; at non positivam, qualis est duas inter positivas entitates; quia corruptiva mutatio, uti diximus, est alietas per amissionem ipsius esse, proindeque se habet perinde, ac non esse.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num etiam in ratione actionis distinguantur realiter.

Resp. negativè.

1. SIc S. Th. p. 2. quæst. 113. art. 6. & Cajet. ibidem, & cæteri.

Prob. Si duæ forent actiones, una terminaretur ad esse formæ gignendæ, & altera, nimirum corruptiva ad non esse formæ corrumpendæ; sed ista secunda non datur: ergo unica datur actio, prima nempe, idest generativa.

Conf. & explicatur. Corruptio fit per meram actionis conservativæ suspensionem, & semotionem, at non per positivam actionem: ergo non datur corruptiva actio. Prob. ant. Corruptio opposito est pensanda modo, ac generatio, cùm sint ad opposita, nimirum una ad esse, & altera ad non esse; sed generatio fit per agere: ergo corruptio per non agere, nimirum per cessationem à conservatione. Actio namque generativa ignis, ceu fortiori impedit actionem conservativam formæ V. G. ligni, qua conservabatur actione illa, qua primò fuerat producta, & quæ virtualiter perseverabat, eam conservando.

Qua ex re infertur, quòd generativa actio est simul corruptiva, non quidem per se, sed duntaxat per accidens, quatenus se opponit conservationi alterius formæ oppositæ, produ-

producendo dispositionem, & formam cum alia forma incompossibilem.

Inferrur etiam, quòd non inde sequitur, eandem actionem esse positivam simul, & privativam intrinsecè, & formaliter ea eo, quòd sit generativa simul, & corruptiva. Non, inquam, sed solummodo causativè, consecutivè, per accidens, quatenus actionem impedit conservativam alterius.

Eapropter generativa actio nec secundariò influit in corruptionem, cùm in non ens nec de secundariò detur influxus, sed tantummodo impedit influxum conservativum, modo prædeclarato. Et hoc in sensu verum est, quòd actio generativa sit actio corruptiva.

Vid. Cav. hic §. 11. quæstionis 4.

2. Objicies. Ubi distinctæ sunt passiones, debent quoque distinctæ esse actiones; sed in generatione, & corruptione sunt realiter distinctæ passiones: ergo &c. Prob. min. Per nos distinguuntur in ratione mutationis; sed mutatio est passio: ergo &c

Resp. nego min. Mutatio namque nec actio, nec passio est, licèt modo grammaticali passivoe aplicetur per mutatum esse, sed est mera transmutatio negativa. Ratio est, quia passio est fieri, quemadmodum agere est facere; non semper autem mutatio est fieri, ut de corruptiva mutatione palam est. Insuper tum passio tum actio speciale constituit prædicamentum sui termini.

Hinc nec corruptio potest formaliter dici passio, nisi sumatur pro alteratione antecedenti passiva. Quo in sensu nonnunquam sumitur ab Arist. & D. Th.

Objectiones quædam videantur solutæ apud Lermam hic lib. 1. quæst. 17.

QUÆRES TERTIO.

Quomodo à natura sit intenta corruptio.

1. RΕsponderi plerumque consuevit, quòd sit intenta per accidens, & de secundariò à natura universali; imo de secundariò, non formaliter, sed materialiter duntaxat, quatenus licèt sit quid connexum, nullam dicit bonitatem, aut perfectionem, nec etiam secundariam, & ratione alterius, sicut illam dicunt proprietates, existentia, &c. quæ idcircò terminare possunt intentionis actum de secundariò, & per accidens formaliter; seu, quod idem est, per aliud, nimirum ratione essentiæ.

2. Modicâ ab istâ, licèt satis tenebrosâ, dubitatione breviter, faciliterque me expediam, dicendo, quòd corruptio est intenta à natura solummodo negativè, nimirum est quid nec contra, nec juxta intentionem naturæ, sed præter intentionem. Positivè autem nec primariò, nec secundariò, aut per accidens est intenta à natura sive universali, sive particulari.

Ratio ea est, quia (ut D. inquit Dionysius cap. 4 de Divinis nominibus) malum est præter intentionem, & nemo respiciens ad malum operatur; corruptio autem quid malum est.

3. Objicies 1. Quod ad bonum conducit est in se intentum à natura; sed corruptio conducit ad bonum: ergo est in se intenta positivè à natura. Prob. maj. Conducit namque ad Universi pulchritudinem, quæ potissimùm rerum est in variatione sita.

Resp. dist. maj. quod conducit positivè, concedo. Corruptio autem conducit duntaxat negativè, quatenus absque negatione, sive privatione formæ veteris nequit nova introduci. Ob idque conducit privativè, & quasi negativè, privando materiam forma veteri, sumendo privationem latissimè etiam pro negatione.

4. Objic. 2. Corruptio præcedit generationem in genere causæ materialis, Thomisticis hærendo principiis, & colligitur ex D. Th. q. 28. de ver. art. 7. sed causa materialis est positivè intenta: ergo &c.

Resp quòd præcedit in genere causæ materialis impropriè duntaxat, & reductivè, quatenus se tenet ex parte materiæ, privando illam veteri forma.

5. Objic 3. Corruptio est inductiva privationis; sed privatio est per se intenta: ergo &c.

Resp. nego suppositum. Privatio siquidem, quæ est per se intenta, estque principium, non est privatio formæ corrumpendæ, sed est privatio formæ gignendæ, ut 1. Phys. q. 1. art. 1. conspeximus.

6. Itaque corruptio est quid præter intentionem naturæ necessariò connexum. Naturæ siquidem intentio est quidpiam de novo procreare, & præter intentionem est, quòd hujus occasione convelli aliud necessariò debeat; Quod si posset absque hujus ruina illud generare, nequaquam illud everteret.

QUÆSTIO SECUNDA.

De subjecto, & termino Generationis, & Corruptionis.

PPro vestigando subjecto generationis, & corruptionis, quæ in ratione actionis accidens sunt, duæ controversiæ præmittendæ veniunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Num materia prima possit esse immediatum subjectum accidentium.

§. I.

1. PRo plena opinionum notione recole, quod diximus lib. 2. summ. cap. 10 quod fuit de propositionibus exponibilibus n. 4. ex D. Th. 3. p. q. 16. art. 8. nimirum quòd formæ aliæ sunt natæ convenire toti subjecto. Et istæ si uni soli competant parti, non denominant absolutè totum: ob idque minùs benè diceretur, quod Æthiops sit albus, ex eo quòd albedinem in dentibus sit sortitus, sed cum addito dicendum *Æthiops albus est secundùm dentes*. Aliæ sunt natæ uni soli convenire parti. Et istæ denominant totum tametsi uni duntaxat hæreant parti, ut capillorum crispitudo, simitas nasi, &c.

2. Prima sententia tenet, accidentia materialia (de quibus sermo impræsentiarum est) immediatè hærere materiæ primæ; & nihilominùs totum denominare compositum, quia (dicunt ipsi) nata sunt convenire soli parti essentiali physicæ, nimirum materiæ primæ. Eapropter dicunt, esse quidem in toto composito ut in subjecto denominationis; tamen esse in sola materia prima ut subjecto inhæsionis. Hanc propugnant Nominales, quibus recentiores adstipulantur ex Societate. Hi tamen dissident inter se. Quandoquidem eorum nonnulli docent, subjectari in materia prima, priùs tamen actuata per substantialem formam; non quòd forma sit ratio formalis, imo nec conditio essentialis ad accidentia recipienda, sed quòd concurrat ut naturalis conditio præsupposita, & prærequisita, ut etiam sentit noster Astudillo apud Bannez hic; vel ut causa formalis completiva existentiæ materiæ imperfectæ, & partialis, ut Conimbricenses, volentes, quòd materia egeat formâ ad recipiendum accidentia; sed quòd sola materia, non verò forma sit accidentium receptiva. Alii verò subjectari in materia nudè sumpta pro priori ad omnem substantialem formam, ut Suarez, Arriaga, & alii apud ipsos.

Secunda tutatur, subjectari immediatè in toto composito substantiali. Hanc defendunt omnes Thomistæ, & ex Societate P. Maurus hic q. 15. Mazziotta, & Fonseca. Tenent etiam Scotistæ, uno vel altero dempto, loquendo saltem de accidentibus absolutis.

§. II.

CONCLUSIO.

Nullum accidens potest immediatè subjectari in materia prima ut subjecto inhæsionis.

3. MEns Arist. conspicua est in prædicamentis cap. de substantia, ubi docet, quòd sola prima substantia, quæ est compositum substantiale, est hoc aliquid, & substat accidentibus.

Prob. 1. Mirum siquidem est, quomodo possint Adversarii Peripateticos se jactare admittendo, exstare substantiales formas. Etenim dum Cartesiani objiciunt, quòd si extaret materia prima, & forma substantialis, tunc ipsa forma substantialis foret accidentalis; quia per generationem, & corruptionem posset adesse, & abesse absque subjecti, id est materiæ corruptione, in quo stat definitio accidentis prædicamentalis.

Objectio ista solvitur dicendo, quòd accidens prædicamen-

mentale illud est, quod potest adesse, & abesse absque corruptione subiecti habentis esse completum, & in actu. Semel autem admisso, accidens recipi in materia prima nondum per formam completa, solutio locum non habet; quia potest adesse & abesse immediatè etiam ipsum accidens absque materiæ ruina. Nec video viam aliam, qua à Cartesianorum objectione se tutari queant.

4 Prob 2 ratione S. Th. qui cùm opinionem nostram docuisset opusc. 31. cap. 5. & q. de Anima art. 4. Rationem assignat p. p. q 76. art. 6. Omnis actus, sive forma accidentalis supponit actum, sive formam substantialem; sed hoc ipso, quòd præsupponit in materia formam, sive actum substantialem, non recipitur immediatè in materia prima: ergo &c. Prob maj Esse accidentale præsupponit esse substantiale; sed esse substantiale à sola habetur forma substantiali; ergo &c Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd omne primum præsupponitur ad secundum, & esse substantiale est esse primum, esse verò accidentale est esse secundum. Min. prob. Esse accidentale à sola habetur forma accidentali: ergo pariter esse substantiale, &c.

Dices 1 quòd esse substantiale ceu perfectius est primum in intentione, at non in executione.

Contra. Id, quod perfectius est licèt sit ultimum in executione, quando non est id, cui innititur imperfectius; tamen quando est id, cui innititur imperfectius, debet esse prius, non tantùm in intentione, verùm etiam in executione, secùs in executione posset priusquam fundamentum erigi moles; sed esse substantiale est id, cui innititur esse accidentale: ergo &c. Sanè si præfata valeret doctrina sequeretur, quòd proprietates forent priùs quàm essentia.

Dices 2. satis esse, quòd præsupponatur esse substantiale materiale entitativum, & incompletum, idest esse substantiale materiæ, at non opus esse, præsupponi esse substantiale formale, differentiale completum.

Contra. Esse entitativum, & materiale accidentis, ceu secundum, præsupponit esse substantiale entitativum ceu primum; ergo à pari esse formale accidentis ceu secundum, & accidentale præsupponet esse formale substantiale, ceu primum.

Negabis suppositum, nimirum quòd in accidente datur esse aliud entitativum, & aliud formale. Datur namque duntaxat esse formale actuans.

Contra. Accidens habet esse duntaxat formale: ergo secundùm totum id, quod dicit præsupponit esse substantiale formale. Prob conseq Etenim si diceret esse entitativum non posset non præsupponere esse entitativum, idest materiale substantiale: ergo pariter si &c.

Reliquum itaque est, quòd accidentia subjectentur in toto composito. Et prob. Quandoquidem forma substantialis, quia est actus primus immediatè recipitur in prima potentia: ergo pariter accidens quia est actus quidam secundus debet immediatè recipi in aliqua secunda potentia, quæ haud alia excogitabilis est, nisi totum compositum.

Quæ omnia militant de omnibus accidentibus, non solùm absolutis, verùm etiam relativis; quia & ista habent esse secundum, & accidentale, imò magis, quia accidentia relativa habent esse debilius.

§. III.

Insensorum argumenta Solvuntur.

5. ARg. 1. Accidens prædicamentale definitur *illud, quod potest adesse, & abesse absque subjecti corruptione*; sed aliquod hujusmodi subjectatur immediatè in materia prima: ergo &c. Prob. min. Hoc, quod est esse in potentia ad formam immediatè convenit materiæ; sed hoc, quod est, materiam V. G. ligni esse in potentia ad formam V. G. ignis potest adesse, & abesse absque materiæ ruina: ergo &c. Prob. min. Dum materia est sub forma ligni est in potentia ad formam ignis, dum verò postea transmutata est ad ignis formam, est quidem potentia informata per formam ignis, non tamen est in potentia ad formam ignis, cùm actu eam possideat.

Resp. nego min. entitativè loquendo. Ad prob. dist. min. potest abesse connotativè, & denominativè, concedo entitativè, nego min. & conseq. Vid dicta 1. Phys. de unione inter materiam, & formam. Dicere ni volueris juxta dicta num. 3. accidens prædicamentale esse illud, quod potest adesse, & abesse absque subjecti completi destructione.

6. Arg. 2. Quantitas recipitur immediatè in materia prima: ergo &c. Prob. ant. 1. ut probatum est 1. Phys. q. 5. quæ fuit de existentia art. 5. §. 3. num. 5. ad 1. arg. 2. Quantitas nequit recipi in toto composito Hominis: ergo &c. Prob ant. Si in toto reciperetur composito, reciperetur in materia, & forma ut subjectis partialibus, hoc est partialiter in materia, & partialiter in Anima rationali, cùm totum compositum constituatur ex partibus, vel includantur saltem in toto partes; sed nec partialiter potest quantitas recipi in Anima rationali: ergo &c. Prob. min. Anima rationalis est subjectum omnino spirituale: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. habes ex dictis ibi. Ad 2. nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob dico subjectari in Anima rationali ut dante gradum corporis. Videbimus namque 2. de Anima q. 2. art. 3. § 3. ad 6. arg. & art. 4. & 5. §. præcipuè 3. ad 1. arg. quomodo Anima rationalis sit corporea eminenter *ut quo*. Non quòd sit subjectum eminenter, cum esse subjectum sit imperfectio, sed eminenter corporea, & per hoc Formaliter subjectum. Secùs nec materia posset Animæ rationali immediatè uniri.

Dices 1. Nullum accidens spirituale potest saltem per modum permanentis recipi etiam partialiter in corpore: ergo nec accidens materiale in spiritu.

Secundò. Agens creatum quia est creatum nequit agere, nisi ex præsupposito subjecto: ergo pariter quia est corporeum, ac quantum, nequit agere, nisi ex subjecto corporeo, & quanto, adeoque præsupponitur quantitas in materia.

Resp. nego conseq. cùm actus sensationis licèt materiales recipiantur in toto composito Hominis, adeoque & in ejus Anima, ut nemo diffitetur. Discrimen autem est, quia corpus, cùm non excedat spiritum nequit esse eminenter spirituale. At spiritus cùm emineat corpori potest esse eminenter *ut quo* corporeum. Ad differentiam Angelorum, qui ceu quid omnibus modis completum cum *ut quo*, tùm *ut quod* nec *ut quo* corporales sunt. Anima siquidem rationalis utpote quid medium Angelos inter, & corpora, participat aliquid de utroque, nimirum de perfectione Angelorum, & de imperfectione corporum *ut quo*. Undè esse corporeum *ut quo* est perfectio quædam comparativè ad corpora, sed imperfectio comparativè ad Angelos. Vide, quod dixi 1. Phys. q. 5. art. 5 ad 2.

Ad 2. Resp. quòd quemadmodum agit ex præsupposito subjecto, non immediatè, sed mediatè, nimirum corrumpendo formam veterem, ita agit ex subjecto quanto, quantificato mediatè, videlicet mediante forma corrumpenda.

7. Arg. 3. Dispositiones recipiuntur immediatè in materia prima: ergo &c. Prob ant. Dispositiones immediatè educuntur de subjecto, ex quo immediatè educitur forma, & recipiuntur immediatè in illo subjecto, in quo ipsa forma recipitur; sed forma educitur immediatè de potentia materiæ, & immediatè in illa recipitur: ergo &c. Prob. maj. Dispositiones sunt via ad formam; sed via debet esse ubi est viator: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob nego maj. ad cujus prob. dist. maj. sunt via mediante forma quam ad corruptionem disponunt, concedo, immediatè, nego. Calor siquidem receptus in ligno disponendo formam ligni ad corruptionem, disponit materiam ligni ad susceptionem formæ ignis. Idcircò media ista educitur ex materia, & in materia recipitur.

Contra. Dispositiones sunt in subjecto, quod faciunt dispositum; sed dispositiones V. G. calor solam disponit materiam non verò compositum, aut formam: ergo &c. Min. elucescit, cùm nec totum compositum ligni, nec forma ligni recipiat ignis formam. Maj. prob. Forma suum communicat effectum formalem præcipuè primarium subjecto sui receptivo; sed effectus formalis dispositionis est disponere: ergo &c.

Conf. Ad generationem requiritur, quod materia approximetur agenti; sed localis approximatio est accidens: ergo aliquod accidens recipitur immediatè in materia prima.

Resp. data maj dist. min. quòad 1. p. non verò compositum, aut formam ad idem, ad quod disponunt materiam, concedo, ad aliud, nego min. & conseq. Cùm etenim generatio unius ut actio sit alterius corruptio, fit inde, quòd illud idem, quod est dispositio ad generationem unius sit dispositio ad corruptionem alterius. Eapropter eædem

dispositiones illæ disponunt & materiam, & formam, ac compositum simul, sed ad diversum terminum, nimirum materiam ad non esse formæ veteris, & ad esse recentis formæ; formam verò veterem, & compositum disponunt præcisè ad non esse, idest ad corruptionem, loquendo de dispositionibus præviis.

Ad Conf. Resp. primodùm ex dictis, quòd approximatio fit mediante forma corrumpenda, in quam corruptivè agit ipsum generans. Præterea non requiri approximationem positivam, sed sufficere approximationem negativè, quatenus non sit positivè distans.

Dices. Nihil disponit ad destructionem sui ipsius: ergo nequit calor ille disponere ad corruptionem formæ compositi, in quo subjectatur, & quo pereunte & ipse perit.

Resp. quòd licèt nihil directè disponat ad sui destructionem, benè tamen indirectè. Ille autem calor directè ad generationem disponit, solumque indirectè ad sui destructionem. Vel cum Cav. dicatur, haud inconveniens esse, quòd id, quod est intentum à natura præcisè, ut via ad generationem alterius, moliatur sui destructionem.

8. Arg. 4 Materia prima potest immediatè substantialem substentare formam: ergo multò magis accidentalem. Prob conseq. siquidem (inquit Suarez) majoris ponderis est substantialis, quàm accidentalis forma: ergo si &c.

Resp. nego tria supposita. Primitèr supponit, quòd ipsamet gravitas non sit ipsummet accidens, cùm tamen ita sit. Et in Sacramento Eucharistiæ remanet gravitas panis; qua tendit Hostia deorsum, nec tamen adest substantia panis 2. supponit, nos dicere, quòd accidentis gravitas impediat, accidens immediatè recipi in materia prima, cum tamen dicamus, impediri quia rerum essentia efflagitat ut esse secundum supponat esse primum 3. supponit formam verè, & propriè ac rigorosè substentari à forma. Vid. Jo: à S. Th.

9. Arg 5. ex Conimbr. Quamquam prærequiratur in materia substantialis forma, semel tamen recepta forma, tunc materia immediatè recipit accidentia, ergo &c. Prob. ant. Forma nullo modo recipere potest: ergo &c. Prob. ant. Quemadmodum materia est primum receptivum, primaque potentia, ita forma est primus actus; sed materia prima nullo modo actuare potest: ergo neque &c.

Resp. nego ant. quò ad 2. p. Ad prob nego ant. ad cujus prob. dist. maj. & aliàs ad non recipiendum conducit primitas actus, nego, ultimitas actus, concedo. Actui namque primo succedit secundus recipiendus.

Dices. Primitas potentiæ conducit ad hoc, quòd est nullo modo actuare: ergo pariter primitas actus ad &c.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen in eo est situm, quòd primitas potentiæ facit, quòd nullam aliam supponat ante se potentiam, quam informet. At primitas actus solùm facit, quòd nullum ante se actum supponat; non verò quòd non expectet alium post se actum, quem recipiat. Ob idque retorqueas arg.

Sanè imperceptibilis est Conimbr. sententia volens, quòd forma præcedat in materia ipsum accidens, & quòd postea accidens recipiatur in materia immediatè sine eo, quòd recipiatur in ipsa forma interjacente, cùm de extremo ad extremum pertingi nequaquam possit, nisi tangendo medium.

10. Arg. 6. Ex nostro Flandria, & Scotistis volentibus, quòd accidentia relativa subjectentur, saltem aliqua, immediatè in materia prima. Relatio qua materia prima refertur ad totum, & formam, ut causa ad effectum, nequit recipi in toto: ergo in sola materia. Ant. prob. Siquidem idem nequit esse subjectum, & terminus ejusdem relationis, quia subjectum refertur ad terminum, & nihil potest ad seipsum referri; sed totum est terminus relationis, qua materia refertur ad totum, ut causa ad effectum: ergo &c.

Præterea relatio recipitur mediante suo fundamento proximo, sed fundamentum proximum plurium relationum est ipsa entitas materiæ, vel est in ipsa entitate materiæ, non verò totum nec in toto: ergo &c. Prob. min. Fundamentum proximum relationis, qua materia est similis alteri materiæ, & dissimilis formæ, est ratio potentiæ receptivæ substantialis, quæ non est in toto; Similiter relatio unionis, qua materia refertur ad formam, fundatur in ipsamet entitate materiæ, quæ se communicat formæ vel in modo unionis recepto in materia, non verò in composito. Denique relatio est exercitium referendi; ergo in eo est subjecto, quod constituit relatum; sed relatio unionis, similitudinis, & dissimilitudinis constituit relatam materiam, quæ dicitur unita, similis, &c. ergo &c.

Resp. ad omnes, quòd ex relationibus illis quælibet est transcendentalis, quæ non distinguitur realiter à proprio fundamento.

Prima quidem, quia materia prima est causa intrinseca. Sola autem causa extrinseca & efficiens est illa, quæ est capax fundandi relationem prædicamentalem causæ ad effectum; quia (ut vidimus in Logica, q. 5. quæ fuit de relatione in Syntag. 4. præloquio primo num. 3.) relationes causæ ad effectum sunt relationes secundi generis fundatæ in secundo fundamento, quod est actio, & passio. Ob idque materia prima, cùm ceu causans per traditionem suæ entitatis, non habeat actionem prædicamentalem de prædicamento actionis, idcircò non fundat relationem prædicamentalem causæ ad effectum, qui est forma, vel totum. Relationes autem, quas fundat causa finalis fundantur in tertio fundamento, quod est mensurabilitas. Eadem re Finis reducitur ad genus causæ extrinsecæ specificativæ. Et sic etiam objecta scientiarum dicuntur finis illarum.

Secundæ etiam, quia, ut diximus 2. Phys. q. 2. art. 2. materia, ceu illa, quæ omni actu metaphysico caret, dicit similitudinem, & dissimilitudinem, non positivam, sed dumtaxat negativam.

Fateor, quòd in sententia admittente in materia prima actum metaphysicum, haud facilis est solutio. Nihilominùs etiam illius sententiæ fautores respondent, quòd talis relatio solummodo secundùm conceptum *ad*, non verò secundùm conceptum *in* recipitur immediatè in materia prima. Quomodo autem sustinere id valeant; ipsi cogitent.

Demum unio non est relatio, nec fundat relationem unibilis saltem prædicamentalem. Quandoquidem dum à logicis dicitur, quòd primum fundamentum relationis prædicamentalis est unitas, & numerus; ly *unitas*, *& numerus*, ut ibi explicuimus, intelligitur convenientia, & disconvenientia, sive diversitas, at non conjunctio duorum unibilium, aut eorum sejunctio.

11. Aliud objici posset argumentum, nempe quod placitum nostrum adversetur S. Th. qui in 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 2. quæstiuncula 4 & in 4. contra Gentes cap. 81. secutus est sententiam Averrois, qui docuit, in materia prima ante formam substantialem recipi immediatè quantitatem, & dimensiones interminatas illi coævas, & æquè incorruptibiles, ac ipsa materia.

Verùm Resp. cum communi, quòd Angelicus explicatè opusc. 32. cap. 4. improbat in Averroe præexistentiam dimensionum in materia. In primo autem loco locutus est ut commentator in Petri Lombardi placito. In alio etiam loco (ut inquit Ferrariensis, Bannez hic q. 9. art. 3. Jo: à S. Th. art. 5. Lerma q. 11. ad 3.) locutus est in ejusdem Aversoia sententia adversus eundem Averroem, aliosve Gentiles, ut eos de universali resurrectione convinceret ex iis, quæ ipsi admittebant.

Minuscula alia nonnulla arg. vide apud Cavinum soluta.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num in corruptione substantiali detur resolutio usque ad materiam primam.

§. I.

5. ABnuit Scotista stando in rebus animatis. Abnuunt generatim Nominales, quorum gregales sunt omnes recentiores Neoterici. Ex diverso autem motivo. Quandoquidem Scotista, ideo fieri resolutionem adusque materiam primam inficiatur, quia profitetur, remanere in materia formam corporeitatis, & accidentia in ea corporeitatis forma subjectata. Alii autem ideo abnuunt, quia rentur, remanere accidentia immediatè subjectata in materia prima, quos prægresso art. refutavimus.

Annuunt verò Thomistæ universi, quibus adhærent quò ad res inanimes Scotistæ. Adhærent & insigniores Scholastici, quos citant Conimbr. Mazzlotta, Maurus, & alii ex Societate.

§. II.

§. II.

CONCLUSIO.

In corruptione substantiali fit resolutio usque ad materiam primam.

2. QUam docuit Arist. hic 1. de Gener. cap. 4. tex. 23. ubi tunc, inquit, *esse generationem substantialem, cùm est mutatio totius in totum, nec sensibile quidquam ut subjectum idem permanet, ut cùm ex toto semine Sanguis, vel ex tota aqua aer*, sed si maneret materia cum aliquibus sensibilibus accidentibus, maneret in generatione idem subjectum sensibile: ergo &c.

Glossema quoddam Patris Suarez explosum vide apud Cavnum hic q. 4. §. 1.

Eandem Philosophi doctrinam habet S. Th. hic 1. de Gener. aliisque in locis, quæ habentur apud Compl. & Capreol. in 2. dist. 14.

3. Prob. 1. Fieri resolutionem usque ad materiam primam est, nihil ex iis, quæ præfuerunt in composito corrupto manere in genito, sola dempta materia prima; sed ita evenit in corruptione substantiali: ergo &c. Prob. min. Si quid remaneret, hoc vel esset forma aliqua substantialis, vel accidens; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Min. quò ad p. p. enitescit ex dictis 1. Phys. q. 3. art. ult. ubi ostensum est, non posse plures formas esse in eadem materia contubernales, magisque elucescet lib. 2. de Anima, proindeque adveniente nova forma genita, tenetur vetus abscedere. Quò ad 2. etiam patescit ex art. prægresso, ubi ostensum est, nullum accidens posse immediatè subjectari in materia prima.

4. Probo 2. In substantiali corruptione resolutio non cessat quousque non sit completa quantum exigit generatio novæ formæ; sed resolutio physica non est completa quantùm exigit generatio alterius formæ quousque non pervenerit ad materiam primam: ergo &c. Prob. min. Non est completa resolutio physica quousque non pertigerit ad aliquod primum principium positivum; sed non pertingit ad primum positivum principium quousque non pertingat ad materiam primam: ergo &c. Min. est manifesta. Quandoquidem principia sunt materia, forma gignenda, & hujus privatio. Cum ergo tunc nequeat esse forma generanda, quia ista adhuc in actu non extat; neque privatio quia ista non est principium positivum, erit sola materia prima. Maj. autem prob. à pari. Quemadmodum resolutio in esse physico fit modo physico, ita resolutio intentionalis fit modo intentionali; sed resolutio in esse intentionali non est completa, & perfecta quantùm exigit generatio scientiæ quousque ad aliquod primum non pertingat positivum principium. Ob idque habitus ille dicitur demonstrativus, proindeque scientificus, qui suas resolvit conclusiones adusque prima principia: ergo pariter &c.

Conf. præcludendo Scotistæ fugam, dicere quis forsan posset, quòd resolutio physica fit in duo prima principia simul, materiam nimirum, & formam corporeitatis. Forma corporeitatis non est principium entis naturalis, saltem in fieri, eo quòd hoc est forma gignenda. Tum quia resolutio demonstrativa ultimò completa fit in unum duntaxat principium, universalissimum principium, ad quod cætera omnia reducuntur, nimirum *quodlibet est, vel non est* seu, quod idem est, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*.

§. III.

Adversariorum argumenta solvuntur.

5. ARg. 1. Dispositiones præviæ remanent in materia dum recipit formam: ergo &c. Prob. ant. Materia dum recipit formam est disposita ad illam; sed habet esse disposita per dispositiones: ergo &c.

Resp. primitùs nego ant. Ad prob. dico quod tum est disposita materia per accidentia concomitantia formam genitam. Talia enim accidentia talem præcedunt formam in genere causæ materialis, ut art. 3. videbimus.

Præterea Resp. 1. ex dictis q. 1. art. 1. §. 3. sub n. 5. quòd remanent pro instanti aliquo *ad quod*, & naturæ, non verò in aliquo instanti temporis, & *in quo*, ut diximus de alteratione. Vide ibi, & hic applica. Hæc est brevior, nec ultra oppugnabilis solutio. Nihilominùs

Resp. 2. cum communi dist. ant. remanent virtualiter, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Responsum hoc nititur ex dictis ibidem sub finem. Remanent namque virtualiter quatenus relinquunt illam pro eo momento obsignatam ad hanc potiùs, quàm ad aliam formam.

Contra 1. Obsignatio ista relicta à dispositionibus præviis est quidpiam: ergo quidpiam remanet, adeoque non fit resolutio usque ad materiam primam. Prob. ant. Non est nihil: ergo aliquid. Patet ant. secùs nihil remaneret etiam virtualiter.

Secundò. Materia pro instanti generationis est formaliter disposita ad receptionem hujus formæ: ergo habet formaliter, & non tantùm virtualiter dispositiones. Prob. Conseq. Ubi est effectus formalis formæ, est etiam formaliter forma illam communicans, sicuti ubi est album est formaliter albedo.

Resp. ad 1. dist. ant. est quidpiam de connotato, concedo, in recto, nego ant. & conseq. Est siquidem entitas ipsa materiæ ut connotans, idest præsupponens dispositiones prævias jam habitas. Quod ut meliùs elucescat.

Ad 2. cum per sæpè laudato in m. s. (qui licèt solutionem hanc oppugnaverit ubi supra q. 1. art. 1. ad 2. arg. num. 5. sub finem, modò hic perpulchrè eam displicat) permissu ant. dist. consequens, habet formaliter dispositiones in ratione præsentis, & inhæsivè, nego, in ratione præteriti, & connotativè, concedo conseq. Ad prob. dist. ant. eo modo, quo illa forma tribuit effectum formalem, concedo, secùs nego. Effectus itaque formales suis cum denominationibus ab aliqua forma alii sunt in ratione præsentis, ut esse album dicitur ab albedine, ut actualiter informante subjectum. Et hujusmodi non habentur formaliter, nisi forma sit formaliter ut præsens subjecto denominato. Aliæ sunt denominationes à forma ut futura, sicut Cajum esse peccaturum dicitur à peccato ut futuro. Et hujusmodi exigunt formam habentem actu esse futuram. Aliæ denique sunt à forma ut immediatè præterita, V. G. domum esse ædificatam dicitur ab ædificatione, quæ fuit. Et ad istos effectus ut tributos requiritur forma ut præterita.

In instanti itaque generationis materiam esse dispositam ad susceptionem hujus potiùs, quàm alterius formæ, est effectus formalis præviarum dispositionum, non in ratione formaliter existentium, & præsentium in materia inhæsivè, cùm hoc sit impossibile, sed quatenus sunt immediatè præcedentes, & in ratione præteriti connotativè, quatenus videlicet materia connotat, fuisse has prævias dispositiones. Eapropter cùm pro instanti generationis verum sit, dispositiones tunc esse præteritas, & immediatè antea fuisse, sequitur, in eo instanti materiam esse dispositam ad formæ receptionem.

Cujus rationem assignat, quia nimirum forma, cujus effectus, & denominationes sunt ab illa ut præterita, sive ut prætereunte, disponit rem, non quantùm ad esse, sed duntaxat quantùm ad fieri, & per modum viæ. Via autem cessat acquisito termino.

Ad quod displicandum producit ex Goudin exemplum, quo postea usus est etiam Guerinois. Quandoquidem per hoc, quòd quis toto tempore antecedenti movetur per viam, quæ ducit Parisios, immediatè post illum motum in instanti sequenti est determinatus ex vi præcedentis motus, ut sit Parisiis; & tamen motus ille tum formaliter non est. Ita similiter per hoc, quod fuit tempore antecedenti sub præviis dispositionibus est determinata, ut immediatè post habeat formam. Aliud quoque adducit exemplum de pueritia, quæ est dispositio ad adolescentiam; de forma Embryonis, quæ est dispositio ad formam animalis; & de die hodierna, quæ est dispositio ad diem crastinam.

6. Arg. 2. Non est à Philosopho deneganda sensibilis experientia, cùm ex sensibilibus Philosophus procedat; sed videt quilibet non cæcus in Homine vita functu eadem, quæ erant in vivo accidentia remanere, easdem nimirum cicatrices, eadem lineamenta, eosdem colores, eandemque quantitatem: ergo &c.

Respondet Thomista, remanere similia duntaxat accidentia.

Ast audire hoc tota exterorum detrectat caterva, quasi imperceptibile, & non modo incredibile paradoxum prodat Thomista contra perspicuam experimentalem evidentiam.

Verùm enim verò talis, ac tantus eorum, ac præsertim Joan-

Joannis Bapt. du Hamel evanescet stupor apertis aliis experimentis, quibus sensus errandi occasionem in similibus suppeditat, & judicandi identitatem inter ea, inter quæ est mera similitudo. V. G interdum propter coloris similitudinem oculus intellectui occasionem præbet judicandi, quod fel sit mel, Arsenicum sit saccharum, auricalchum, sive aurifigmentum, sit verum aurum. Item si ex duobus ovis simillimis quis uno subducto, alterum subdolè subrogaret, sensus non perciperet hujuscemodi numericam ovorum variationem. Quid plura? superinduantur veste uniformi adolescens annorum 12. & puella ejusdem ætatis; tum si juxta se locentur, discernet nemo, qui masculus, qui fœmela sit. Oculi namque nostri penetrare non valent.

Motivum tamen in nostro casu sufficiens hunc corrigendi errorem medio eodem sensu ex eo suppeditatur, quòd aliis effectibus deprehendit, variatam esse substantialem formam, puta quia videt, carere motu, proindeque vita: Idcircò rationabiliter infert, esse quoque accidentia variata, quia (uti ostendimus) ad variationem substantialis formæ debent & ipsa accidentia corrumpi, juxta ea, quæ dixi in Logica in lib. Post. q. 1. in præloquio §. 3. *dico secundo* sub num. 6. limitatione tertia. Quòd si Adversarius non assequitur mente, nolit quæso Thomistam, sed seipsum accusare.

Contra. Accidentia, quæ erant in subjecto corrupto, nullum habent sui corruptivum: ergo eadem numero manent incorrupta, & non tantùm similia. Prob. ant. Contrarium non corrumpitur, nisi à suo contrario; sed nonnunquam accidentia, quæ præfuerunt in subjecto corrumpendo, nullum habent in composito gignendo contrarium: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. maj. per se, concedo, per accidens, nego maj. & concessa min. nego conseq. Huc facit doctrina Cajet. & D. Th. de virtutibus q. 2. art. 10. nimirum quòd quatuor modis potest accidens corrumpi. Primò per se per actionem contrariè agentis. 2. per defectum suæ causæ, sicut lumen in aere ob absentiam solis. 3. per defectum sui objecti, vel termini, sicut Paternitas defectu filii. 4. per accidens ad corruptionem subjecti. Et hoc modo accidentia, quæ erant in subiecto vivo perierunt ad ruinam sui subjecti.

Contra. Ad hoc, ut similia producerentur accidentia, deberet tum produci forma similis alteri formæ productæ; sed forma V. G. cadaverica non est similis formæ præcedenti vivæ: ergo &c. Prob. maj. Accidentia similia debent sequi formam similem: ergo &c. Prob. ant. Per nos accidentia sequuntur ad formam: ergo &c.

Resp. dist. maj. deberet tunc nova produci forma similia vel quidditativè, vel substitutivè, concedo, similis semper quidditativè, nego maj. & distincta min. nego conseq. Cadaveris forma (inquiunt Compl.) videtur à natura intenta, ut sit veluti simulacrum, & effigies viventis. Natura siquidem perfectissimum opus suum, cujusmodi est vivens, conservare quantùm potest conatur, adeoque cùm non ultra perdurare quò ad essentiam istud valeat, formam sufficit Cadaveris, in qua superstes suo tanquam in simulacro permanet eum exhibente quò ad exteriora saltem accidentia, nimirum lineamenta, figuram, quantitatem, &c.

Resp. 2. dist. eandem maj. ut producerentur accidentia similia per se, concedo, per accidens, nego maj. ad cujus prob. dist. ant. accidentia, quæ consequuntur per se, concedo, quæ consequuntur per accidens, nego ant. ad cujus prob. dist. ant. accidentia, quæ per se producuntur à generante, concedo, quæ per accidens producuntur à generante, subdistinguo, consequuntur ad formam merè præsuppositivè, concedo, commensurativè, nego ant. & conseq. Quæ per se à gignente fiunt accidentia, consequuntur naturaliter ad formam. Possunt tamen aliqua produci per accidens ex necessitate, & exigentia materiæ, vel aliàs propter circumstantias extrinsecas exigentes in instanti generationis ea accidentia in re genita. Sic Generans tamen gravem in loco sursum, dat illi ubicationem sursum, quæ tamen non sequitur naturaliter ad ejus formam.

Dices. Forma Cadaveris est opposita formæ vivæ: ergo repugnat assimilari etiam substitutivè. Ant. prænitet. Vivum namque, & non vivum opponuntur.

Resp. dist. ant. opponuntur propriè, nego; impropriè, nimirum oppositionem incompossibilitatis in eodem subjecto, concedo. Non enim opponuntur oppositione contradictoria formaliter, quia ista versatur inter ens & non ens: nec oppositione privativa formaliter, eò quòd ista versatur formam inter & privationem; forma autem tum cadaverica, cùm viva est quid positivum, nimirum sunt duæ formæ positivæ: nec tandem oppositione contraria, quia contraria sunt, quæ eodem sub genere maximè distant, ut calor, & frigus &c. Forma autem viva, & forma cadaverica licèt sint sub eodem genere inspectæ ut formæ substantiales sunt, nimirum in eodem genere substantiæ; non tamen in ea ratione, in qua opponuntur, nempe in ratione vivi, & mortui, cùm dentur etiam accidentia non viva. Dicerentur verò contrariæ si posset una dici mortua privativè, quia vivum, & mortuum sunt contraria; at forma cadaverica nequit dici privativè mortua, cùm nusquam fuerit viva, sed duntaxat dicitur mortuus totus Homo per Animæ sejunctionem: & Cadaverica forma dici potest mortua negativè; quo pacto etiam lapis mortuus dicitur.

Nec pugnat, quòd duarum formarum impropriè oppositarum oppositione mutuæ incompossibilitatis una in aliquibus alteri assimiletur. Quandoquidem modo isto opinio adversatur scientiæ; & tamen ei assimilatur in discurrendo, argumentando, syllogizando, &c. licèt ei non assimiletur quo ad omnia, ut puta quò ad hoc, quòd est procedere ex principiis infallibilibus, & evidentibus.

Inst. Si accidentia essent alia à primis, aliquod assignandum foret agens ea producens; sed hoc assignabile nequaquam est: ergo &c. Prob. min. Si assignabile hoc foret, maximè istud esset illud, quod formam gignit cadavericam, sed nec assignabile est quodnam sit formæ cadavericæ generativum: ergo &c. Maj. non negabitur à nobis, volentibus, quòd talia accidentia ad formam sequantur cadavericam. Min. prob. Nonnunquam id, quod perimit Hominem est gladius, fulmen, laqueus, &c. sed ista nequeunt esse cujuspiam substantialis formæ generativa: ergo &c.

Resp. data maj. nego min. Ad prob. concessa maj. nego min. ad cujus prob. responderi multiformiter potest. Primò quòd fulmen, ensis, laqueus &c. non causant positivè animalis ruinam, & corruptionem, ac formæ cadavericæ generationem, sed duntaxat occasionaliter proximè: ad eum modum, quo sensus dicitur inducere errorem in intellectu, non effectivè, sed duntaxat occasionaliter.

Quænam autem sit causa producens efficienter ipsum cadaver, sive cadavericam formam. Dico esse illud met generans, quod jam genuerat formam illam vivam, cujus ad corruptionem, vel separationem genita cadaverica forma fuit.

At hoc aliud insigne nonnullis videbitur portentum, Tum quia videretur generans intendere ruinam formæ à se genitæ, eò quòd formam intenderet, quæ nisi ad ejus corruptionem induci minimè potest. Tum quia nequit esse causa univoca, nec æquivoca. Non univoca, quia forma cadaverica non est similis generanti vivo: nec æquivoca, quia ista est causa universalis, ut conspicuum est de Cœlis. Tum quia generantis illius actio olim jam abiit.

Nihilominus nihil portentosi hic ipse video. Ad primam namque Resp. nego ant. Ad prob. annexam dist. ant. intenderet &c. absolutè, nego, ex suppositione, concedo ant. & nego conseq. Aliquæ sunt formæ purè substitutæ. Et istæ sunt illæ omnes, quæ sequuntur ad actionem alicujus agentis, quod ceu non habens in se nec virtualiter, nec formaliter formam, quæ tum gignitur, qualis est forma cadaverica, quæ interdum ex febri, nonnunquam ex fulmine, laqueo &c. occasionaliter proximè inducitur; licèt occasionaliter minùs proximè aliundè inducatur, puta ex occasionante febrim, tractante gladium &c. Tales quoque sunt formæ illæ Salis, Sulphuris, Mercurii, &c. quæ ignis subsidio ab Hermeticis gignuntur ex mixtis, de quibus dixi 1. Phys. art. unico §. 1. & aliæ, de quibus dixi ibi §. 6. num. 29. & aliæ, de quibus ibidem dixi §. 7. num. 28. adusque 31.

Et istæ omnes procreantur eo ab agente, à quo genita ipsa forma fuit, cujus ad ruinam sequuntur, quia sequuntur ad ipsam ut substitutum quoddam ejus. Non intenduntur autem ab illo generante absolutè, sed duntaxat, ut ita dicam, provisionaliter, & ex suppositione, quòd pereat forma à se procreata. Natura namque præcipuè particularis licèt per se nunquam intendat illius formæ corruptionem; tamen cùm nequeat formam illam à se progenitam conservare, providit formas istas, quæ illius loco sufficerentur, ne tum materia omni forma nudata maneret: illarum ad

diffe-

differentiam formarum, quæ continentur in virtute corrumpentis formam præcedentem V. G. in virtute ignis corrumpentis formam ligni, & introducentis formam ignis in ejus materiam; quia ista forma non est quid merè substitutum, sed quid absolutè, & non tantùm conditionatè intentum ab alio agente, in cujus activa virtute continetur.

A quonam autem corrumpatur forma prior genita; Dico, etiam corrumpi per accidens ab eo, à quo fuit per se genita, quatenus nimirum vel à fulmine, vel à gladio lædente, &c. impeditur, eam ultra conservare. Et quia cessatio à conservatione locum non habet, nisi per annihilationem, aut per corruptionem: Idcircò cùm nequeat esse cessatio per annihilationem, quia ad hoc opus foret, etiam materiam primam everti, & aliàs materia prima nequeat omni nudata forma persistere, per accidens tunc producit dispositiones alterativas, quibus forma priùs genita corrumpitur, & altera substituta generatur.

Ad 2. dico, quòd est causa univoca. Ad cujus oppugnationem dico, quòd cùm sit forma merè substituta, & duntaxat ex suppositione intenta, sat est, quòd sit illi similis, quatenus est substitutivè similis priori illi formæ corruptæ, quæ erat generanti similis etiam quidditativè. Adde, non esse necesse, quòd quando aliqua generantur per accidens assimilentur in omnibus, tametsi causa particularis sit; quia tunc est causa, non simpliciter univoca, nec simpliciter æquivoca, sed partim univoca, & partim æquivoca. Sic ignis nonnunquam per accidens ex indispositione aquæ calefaciendo aquam generat aerem, faciendo, quòd aqua in vapores ascendat, & postea vapores in aerem resolvantur, licèt interdum etiam iterum in aquam resolvantur. Sic etiam nonnunquam progignuntur monstra, ut cùm Mulus ex equa procreatur, & Asino, quia cùm generans pertingere non valeat ad specificam perfectionem sistit in minori similitudine; sicque partim univocè, partim æquivocè generatur Mulus. Ita in nostro casu cadaver gignitur ut simile in figura, organizatione accidentali, &c.

Ad 3. dico, quòd licèt obierit formaliter, perseverat tamen virtualiter conservando talem formam. Qua ratione dici consuevit, quòd conservatio est continuata productio. Et in ipso exemplo illustratur animalis genesis, in cujus materia priùs generatur forma Embryonis, & Anima vegetativa, & aliquo temporis successu media ipsiusmet generantis virtute corrumpitur prior illa forma vegetativa, & nova gignitur forma sensitiva præstans utrumque esse, nimirum vegetativum & sensitivum (juxta dicenda lib. 2. de Anima q. 2. art. 3. §. 3. sub num. 7. ad 2. arg.) cum hac duntaxat differentia, quòd ista est absolutè intenta, & non tantùm ex suppositione sicut illæ.

Alii autem Thomistæ communiùs respondent, quòd causa principalis productiva cadaveris est causa universalis, & præcipuè Deus, Cœlum, &c. aut elementum prædominans; gladius verò fulmen, &c. est causa instrumentalis tantummodo.

Oppugnabis. Quodcunque sit hoc generans producere illa nova accidentia non valet: ergo &c. Prob. ant. dupliciter. Primò. A generante producuntur duntaxat accidentia, quæ naturaliter consequuntur formam geniti; sed illo in cadavere cernuntur accidentia, quæ non consequuntur naturaliter ad cadaveris formam, imò sunt illi disconvenientia, cùm inter cadaveris viscera comperiatur calor, qui non est naturalis ipsi cadaveri, quod sibi relictum naturaliter frigescit: ergo &c.

Secundò. Si Canis sursum propellatur, medio in aere mortuus sursum adhuc cietur mediante impulsu in se recepto; qui tamen motus non est naturalis Canis cadaveri, quod ratione suæ gravitatis petit deorsum moveri: ergo impulsus ille non producitur consecutivè ad cadaveris formam.

Conf. Nonnulla cadaveris accidentia contrariantur ipsi generanti, ut conspicuum est dum animal deficit algore necatum. Etenim tum ejus intra viscera extat calor, qui nullatenus potest produci à generante physico, nec per se, nec per accidens, cùm omnis causa contineat effectum à se productum sive per se, sive per accidens.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. in primis dico, Maj. esse veram, quando forma non sit forma substituta, sed absolutè intenta, sin autem secùs. Palam namque est, quòd in liquoribus genitis ex herbis, & floribus vi ignis similia remanent accidentia, ut odor, sapor, &c. Præterea cum aliis dico, maj. illam veram esse de accidentibus, quæ per se fiunt à generante, ut supra ex necessitate, & exigentia materiæ &c.

Ad 2. dicatur, quòd statimatque mortuus est canis variatur numero motus, nec proinde est continuus, licèt talis appareat, ut dicemus in Meth. tutando, quòd accidens individuetur à subjecto. Nec obest, quòd sit tali formæ connaturalis ceu substitutæ, ut nuperrimè dictum est.

Ad Conf. jam liquet, non esse illud frigus quod formam cadavericam causat, & accidentia illa, sed vel illud generans, à quo genita fuerat forma, quæ tum corrumpitur, vel causas universales, & æquivocas.

Præterea dici cum Lerma posset, quòd quia omne agens in agendo repatitur, quamvis brevi id fiat (tum namque si brevior fiat est acrior pugna) actio agentia à resistentia formæ viventis, & qualitatum ejus determinatur, ut introducat formam cadaveris cum similibus accidentibus cicatricum, caloris, coloris, & motus in Cane ascendente, aut descendente. Et hoc quasi per accidens ex antiperistasi, & ex obsistentia passi. De quo videri Capreolus potest in 2. sent. dist. 15. q. 1. art. 3.

Dices. Quando Equus moritur, Anima Equi periens non relinquit materiam determinatam ad novam Animam equinam producendam: ergo similiter calor, qui desinit in moriente equo non relinquit materiam ad novum determinatam calorem.

Resp. nego conseq. & paritatem. Equina siquidem forma non est forma, quæ possit generari merè per accidens, nec forma aliqua substituta, nec tanta cum facilitate producibilis, quanta calor, vel cadaverica forma.

Solutio alia legi apud Guerinois potest.

Alia argumenta quædam, quæ & hic objicit Mastrius, dissolventur lib. 2. de Anima q. 2. art. 3 ad 3. num. 8. vestigando, num in vivente detur corporeitatis forma?

7. Arg. 3. Ab inconvenientibus. Si substantiva in corruptione fieret adusque materiam primam resolutio, sequeretur 1. Sanctorum reliquias majori non esse veneratione dignas, quàm cæterorum cadavera, quia in eis sola remaneret materia, quæ non est cultu digna. 2. Consultius non esse cibis uti pretiosis, puta carnibus perdicinis, ac vilibus, utputa asininis, eo quod cibus dum substantialiter corrumpitur, & in substantiam vertitur aliti, nullum perseverat ex præexistentibus accidens, sed materia duntaxat prima, quæ in omnibus ejusdem est rationis.

Resp. ad 1. nego ant. Ad prob. annexam dist. sola remanet materia physicè, concedo, moraliter, nego. Cùm etenim materia illa intimam habuerit unionem cum Anima, retinet per hoc quid singulare penes prudentum existimationem, ratione cujus fit obsequio adhuc digna sanè in omnium Theologorum sententia, dempto Valentia & Centino, Sanguis Christi, qui in terris mansit post resurrectionem, non est nunc Verbo hypostaticè unitus, & tamen adoratur adoratione latriæ; quia fuit unitus. Alii respondent, quòd remanet materia ut reunienda Sancti Viri Animæ ex ordinatione Divina: Idcircò est obsequio digna.

Ad 2. nego similiter ant. Quandoquidem licèt non sint eædem, sunt tamen similes qualitates corrupti, quæ in geniti remanent.

8. Arg. 4. Quemadmodum substantialis forma est actus primus, ita gratia habitualis sanctificans est primus actus, & dat primum esse in ordine supernaturali; sed remota gratia habituali per lethale peccatum adhuc nonnullæ remanent virtutes supernaturales, ut fides, & spes, quæ dant esse secundum supernaturale: ergo pariter &c.

Resp. Discrimen esse, quia gratia ita est actus primus in ordine supernaturali, quòd non facit unum per se cum subjecto. Præterea præfatæ virtutes sunt proprietates gratiæ ut vivæ vita spirituali morali, & gratia dat primum esse supernaturale vivificum, non verò absolutè, cùm etiam per peccatum homo elevetur ad esse supernaturale aversivè: Idcircò remanent mortuæ. Eam ob rem dixit Cajet. p. 2. q. 10. art. 3 quod supernaturales virtutes dependent à gratia habituali tanquam ab actu primo supernaturali, non quò ad substantiam, sed tantummodo quò ad statum perfectum virtutis. Ulteriùs Gratia ita est actus primus in ordine supernaturali, quod accidentis non exit confinia. Accidens autem licèt sit primum simpliciter in aliquo ordine, non tamen absolutè. Et quidem quòd paritas non teneat quò ad omnia quisque admittere compellitur, secùs sequeretur, quòd quemadmodum materia nequit saltem de potentia ordinaria

diuaria unam dimittere formam, quin aliam acquitat, Ita Anima nequiret unam amittere, quin aliam acquireret gratiam.

ARTICULUS TERTIUS.

Nam, & quomodo sint dispositiones ad substantialem formam, accidentia, quæ ab illa dimanant?

§. I.

1. Accidentia propria, quæ consequuntur ad formam nuncupantur in idiomate præsertim Thomisticu dimanantia à forma effectivè; & præterea appellantur dispositiones concomitantes, ut calor ut octo comitatur formam ignis. Ad differentiam accidentium, quæ præire habent ipsam formam, quæ appellantur dispositiones prævlæ, ut V. G. calor ut octo, qui ab igne alium generante ignem fuit productus in ligno corrumpendo, dicitur dispositio prævia ad formam ignis gignendam.

§. II.

CONCLUSIO.

Accidentia formam substantialem de novo genitam comitantia, & ab ea tanquam proprietates dimanantia, verè, & propriè ad illius receptionem disponunt materiam primam.

2. Unívocus est in hoc Thomistarum sensus, quamvis nonnulli in m. f. Clarissimi cujusdam ex nostris non patùm eum limitent, dicentes duntaxat, quòd accidentia, quæ consequuntur ad formam secundùm unum gradum disponunt ad eandem suscipiendam formam secundùm alium gradum. Et quia vident, esse impossibile aliqua mediare accidentia inter illos gradus virtualiter tantummodo distinctos, dicunt, accidentia illa stare veluti à latere. Ast hoc minimè difficultatem evacuat. Quandoquidem cum id certum sit ex D. Th. p. p. q. 76. art. 6. ad 1. dubium emergit, num ad illum etiam gradum disponere possint, ad quem sequuntur. Quod negat prælaudatus in m. f. secutus Cajetanum ibi, & Godoy in m. f.

Cæteri autem hoc quidem inficiantur; non tamen ex professo controversiam pertractant, sed universim adnuunt, posse mutuam extare causalitatem etiam in diversis genere causæ. Ita Cabero, & Suarez, quos citavi cum aliis 2. Phys. in appendice posita in fine totius libri illius.

3. Prob. ratiocinio ejusdem S. Thomæ p. 2. q. 13. art. 7. & 8. in corp. & ad 2. Si aliquam ob rationem accidentia consequentia ut proprietates ad formam introductam, non possent ad illam disponere, maximè quia sunt posteriora ad illam; sed stat optimè, quòd piam esse posterius aliquo effectivè, & simul esse illo prius in genere causæ materialis: ergo nullum suppetit motivum denegandi, quòd accidentia consequentia ut proprietates ad formam, de novo introductam, disponant ad illam. Prob. min. exemplo S. Th. de vento impellente fenestram, & subintrante aulam. Quandoquidem priùs in genere causæ veluti materialis est, fenestram pandi, quàm ventum introgredi; & tamen venti ingressus causat effectivè fenestræ aperitionem. Nisi namque fenestra aperiretur ventus non penetraret, & nisi ventus afflando introiret, non paoderetur fenestra. De quo diximus etiam in Logica Syntag. 1. prodromo art. 1. de necessitate Logicæ §. 6. num. 24. ad 4. arg. & exemplo gratiæ & actus contritionis comprobavi. Quæ mutua causalitas esto non valeret quòad actum contritionis ut vult Jo: à S. Th. cum aliis dicentes talem actum in peccatore esse ab aliquo speciali auxilio; eò quia gratia est causa efficiens simpliciter talis, valebit tamen hic ob oppositam rationem.

Si dicas, quòd tametsi mutua extare queat causalitas in diversis genere causæ; non tamen in eodem causæ genere. At sic esset in casu, quia talia accidentia præcederent in genere causæ materialis uti nos dicimus, & rursus præcederentur à forma pariter in genere causæ materialis; quia cùm subjectentur in forma, & toto composito dependent ab illa ut à subjecto, adeoque ut à materiali causa. Sed

Contra ex Lerma, & est alia principalis probatio. Quamquam repugnet, idem esse prius, & posterius in eodem genere causæ proximæ, non tamen in eodem genere causæ remotæ, & subalternæ; sed hic tametsi sit eodem in genere causæ remotæ, non tamen est in eodem genere causæ proximæ: ergo mutua stare poterit prioritas, & posterioritas. Maj. fit manifesta, Tum ratione, quia tunc prioritas mutua, & posterioritas est sub diversa ratione. Tum exemplis. Et Primò in causa finali. Rea namque est finis *cujus gratia* respectu subditorum, & subditi sunt finis *cui* respectu Regis in eodem causæ finalis genere. Secundò in causa efficienti, Quandoquidem Christus Dominus est causa instrumentalis & effectiva respectu suæ transubstantiationis, & simul effectus ejus. Min autem displicatur. Siquidem forma est prior in genere causæ materialis, quia substentare habet accidentia, talia verò accidentia cùm sint dispositiones, essent priores duntaxat in genere causæ materialis dispositivæ & forent causa materialis reductivè, quatenus se tenent ea parte causæ materialis, nimirum ea parte materiæ disponendo illam ad formam suscipiendam.

4. Prob. 2. Id, per quod forma habet uniri cum materia, nequit non esse ad minùs dispositio; sed accidentia illa tametsi effectivè sint ab ipsa forma, possunt esse id, per quod eadem forma unitur cum materia: ergo poterunt &c. Prob. min Species expressa est effectivè ab intellectu; & tamen est id, per quod intellectus ulteriùs suo cum objecto unitur: ergo pariter &c. Cum hac tamen differentia, quòd accidentia illa, cùm non contineant in se formaliter materiam sunt id, per quod forma unitur duntaxat dispositivè; species verò cùm in se formaliter contineat in esse intentionali objectum, est id, per quod intellectus unitur formaliter cum objecto.

Nec talia accidentia se habent præcisè ad congruentiam, sicut V G. ornatus, quo instructus Rex incedit, dicitur ad Regiam potestatem, & majestatem disponere. Non, inquam, sed necessaria penitùs sunt, quia semoto V. G. calore ut octo ab igne corrumpitur, & convellitur ignis forma.

Dices, quòd licèt possibile sit, superfluum tamen est, cum supponatur materia disposita per prævias dispositiones. Sed

Contra. Requiritur continuatio dispositionum in materia; sed hæc continuatio non fit, nisi per accidentia concomitantia: ergo & ista dispositivè concurrunt. Cùm itaque dispositiones debeant præcedere id, ad quod disponunt, quia disponere ad aliquid est præparare ad illud, jam &c. Maj. est palam, secùs materia tum evaderet indisposita. Min. prob. Tum quia non est aliud excogitabile. Tum quia videmus, quòd si igni deficiat calor ut octo perit ignis. Cæteræ autem solutiones, quas nos cum aliis in peracto 2. art. dedimus haud facilè sustinentur.

Nec dicas ex hoc sequi, quòd etiam postquam est introducta forma, præparent ad illam; quia etiam tum conservant materiam dispositam.

Non, inquam. Ideo namque dicuntur præparare, quatenus in aliquo priori *à quo* introductionis formæ adnniuntur, conservare materiam dispositam. Cùm enim dispositiones præviæ in aliquo priori *à quo* destruantur per accidens ad formæ corruptæ ruinam; Idcirco incipere tunc debent concomitantes dispositiones.

§. III.

Solvuntur adversæ partis argumenta.

5. Arg. 1. Impossibile est, aliquid esse prius in genere causæ efficientis, & simul esse posterius in alio genere: ergo si forma est dispositionibus concomitantibus prior ut causa efficiens, nequit posterior esse in genere causæ materialis. Prob. ant. Causa efficiens debet præsupponi simpliciter existens, qua ratione Gratia, quæ est causa effectiva meriti, nequit in aliquo priori etiam à *quo* præsupponere ipsum meritum ut dispositionem ad seipsam: ergo &c.

Resp. negn ant. Ad prob primitùs d'cn, ant. esse verum de causa efficienti simpliciter tali ut est gratia, &c. & non per puram resultantiam, ut est forma respectu proprietatum per quandam dimanationem: Ut etiam de resistentia dimanante à forma dixi 1. Phys. q 5. art. 4. præsertim ad 5 arg. & iterum ibi art. 5.

Præterea ex dictis n. 3 & 4. debet præsupponi simpliciter existens in genere causæ efficientis, concedo, materialis, nego. In gratia autem, & merito esse causalitas mutua in eodem genere; quia gratia est causa efficiens cum moralis, tùm

tùm physica meriti, & meritum est causa moralis efficiens præmii.

Contra ex prælaudato in m. f. doctrina hæc nequit non pugnare cum mente D. Thomæ. Quandoquidem q. de Anima art. 4. ad 5. explicat, accidentia dimanantia à forma non disponere, nisi secundùm diversos gradus, & p. 1. q. 76. art. 6. ad 1. inquit, quòd in materia prima intelliguntur dispositiones, non quantùm ad priorem ejus effectum, sed quantùm ad posteriorem. Præterea 3. p. q. 7. art. 13. docet, quòd gratia habitualis in Christo; quia consequitur ut proprietas ad gratiam personalem, non est dispositio ad illam: ergo si &c. Et, quod plùs est, ibidem ad 2. explicatè docet, non habere rationem dispositionis respectu unionis, sed habere rationem naturalis proprietatis, sicut calor consequitur ignis formam.

Secundò. Nequit aliquid esse causa efficiens suipsius; sed si accidentia à forma substantiali efficienter dimanantia essent dispositiones ad illam, jam forma esset suipsius efficiens causa: ergo &c. Prob. min. Qui producit ultimam dispositionem ad formam, dicitur formam producere, ut vel nos 1. Phys. q. 5. art. 3. § 2. de existentia; sed forma produceret ultimas dispositiones ad seipsam: ergo &c.

Resp. ad 1. quòd doctrinam illam ex p. p. q. de Anima jam præmiserat Lerma hìc q. 13. n. 2. dicens, mentem D. Th. esse, quòd materia, ut recipiat formam secundùm gradum entis nulla eget dispositione; quia secundùm hunc gradum prima potentia est proportionata cum primo actu entitativo. Eadem re dicit, dispositiones non præintelligi ad formam quantum ad primum ejus effectum, nimirum quantùm ad gradum entis. Postea autem, dicit, disponere proprietates unius gradus ad alium sequentem: non tamen negat, quòd possint disponere etiam ad illum gradum, ad quem sequuntur. Imò hoc affirmat, si non ibi, saltem aliis in locis, quæ videri possunt apud Cavinum, & loco à nobis relato n. 3. Ubi id exemplis illustrat. In doctrina autem illa ex 3 p. Resp. discrimen esse, quia gratia habitualis est proprietas duntaxat impropriè respectu unionis hypostaticæ, consequens ad illam congruentialiter tantùm. Et ita interpretandus est D. Th. qui proinde caloris exemplo non intendit omnimodam facere paritatem; Tum quia aliter sequeretur, unionem hypostaticam se habere ut formam dimanativam, & non ut purum terminum. Tum quia non posset gratia Unionis stare in suo esse connaturali sine gratia habituali, non secùs ac ignis nequit sine calore stare. Cujus oppositum factum est in triduo mortis respectu Christi Cadaveris, cui fuit Verbum unitum. Denique nec ipsa gratia posset cum debita sua perfectione stare sejuncta à gratia unionis, sicut nec calor sine igne.

Ad 2. inst. nego min. Ad prob. in primis dico, maximam illam esse intelligendam de eo, qui per efficientiam simpliciter talem, & non per puram dimanationem causat. Præterea dico cum Guerinois, esse intelligendam de producente ultimam dispositionem simpliciter prævlam præcedentem durationis prioritate.

Contra instat prælaudatus in m. f. Quod est causa causæ, est causa causati etiam in diverso genere, dummodo secundùm eandem rationem, secundùm quam causat, causetur. Pater namque filiæ est causa nepotis, estò filia diverso modo concurrat ad Nepotem, videlicet passivè, Thomisticis hærendo principiis. Similiter Deus dans vocationem dicitur causa operis in voluntate, licèt vocatio concurrat ad opus bonum moraliter, & objectivè, Deus verò sit causa vocationis physicè, & effectivè. Tandem quia non alia est excogitabilis ratio, cur causa causæ in eodem genere sit causa causati, nisi quia causat causam secundùm eam formalitatem, secundùm quam causat; ergo si hoc reperitur etiam in diverso genere, causa erit causa causati.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. dico, quòd tum fœmina, tum mas sunt causa effectivè. Estò namque formaliter loquendo fœmina concurrat duntaxat passivè; tamen antecedenter concurrit activè effectivè, producendo effectivè sanguinem ex quo fœtus formatur, & præparando materiam.

Ad 2. dico, quòd Deus dicitur causa operis, non præcisè quia det vocationem, sed quia ulteriùs mediante sua gratia sufficienti, & efficaci concurrit effectivè ad opus.

Ad 3. alia assignatur ratio, quia nimirum si esset in eodem genere causæ, causarent eodem modo. At si est in diverso genere causæ, jam diversimodè causant, & causantur, sicque omnis tollitur contradictio.

Dices ex eodem. Sequeretur, quòd totum posset esse causa effectiva suarum partium, à quibus dependet in genere causæ intrinsecæ constitutivæ; sed hoc nemo opinatus est: ergo nec in diverso genere potest mutua dari causalitas.

Resp. nego sequelam; quia licèt id minimè repugnet quantùm est ex capite mutuæ causalitatis; repugnat tamen aliunde, quia nempe constitutum nequit esse prius, nec etiam prioritate *à quo*, saltem secundùm se (quicquid sit secundùm nostrum concipiendi modum) constituente, cùm idem sit constitutivum, & constitutum, & nequeat idem seipso esse prius.

6. Arg. 2. Saltem in eodem genere causæ repugnat mutua prioritas, & posterioritas; sed si accidentia à forma substantiali dimanantia essent dispositiones ad illius introductionem, sequeretur, eam esse priorem, & posteriorem dictis accidentibus eodem in genere causæ materialis: ergo &c. Prob. min. Foret posterior in genere causæ materialis, uti nos dicimus; & esset prior in causæ materialis genere, quia in ea, & in composito subjectantur.

Ad hoc habes ex dictis n. 3. cum Lerma, quòd est mutua prioritas in eodem genere remoto. Vide ibi

Contra exurgit prælaudatus in m. f. Non magis sunt diversæ causæ in eodem genere remoto causæ materialis receptiva, & dispositiva, quàm sub eodem remoto genere causæ efficientis habeant diversum causæ modum causæ productiva simpliciter, & causa emanativa; sed dispositiones procedentes à forma dimanativè, nequeunt esse causa illius simpliciter productiva: ergo etiam in eodem remoto &c.

Resp. nego ly *non minus*. Discrimen est, quia causa simpliciter effectiva cùm præsupponatur simpliciter præexistere in aliquo priori *in quo*, & durationis, quia causa efficiens est illa, quæ dat effectui existere, & unumquodque operatur inquantum est in actu. At non sic materialis causa, Tum propter oppositam rationem, Tum quia unumquodque recipit inquantum est in potentia.

7. Arg. 3. Si accidentia à forma dimanantia præcederent dispositivè ipsam formam, deberent pro illo priori *à quo* immediatè recipi in materia; sed hoc impossibile diximus art. 1. ergo &c.

Resp. nego min. suppositum. Supponit namque, quòd prioritas *à quo* sit prioritas receptionis. Cùm etenim sic prioritas, non formalis, & existentiæ, sed virtualis duntaxat, & naturæ, non est prioritas receptionis formalis.

Dices. Accidentia dimanantia à forma supponunt illam jam in materia receptam ut illorum substentativam, adeoque etiam ut sui causam materialem (ut evasio præcludatur) ergo non disponunt ad ejus receptionem.

Resp. dist. ant. supponunt illam jam receptam imperfectè, & inchoativè, concedo, perfectè, ultimatè, ac completè, nego ant. & conseq. Ideircò disponunt ad recipiendam illam ultimatè, perfectè, &c. Vid. Joan. à S. Th. & Cav.

ARTICULUS QUARTUS.

Quodnam sit immediatum subjectum; & quinam sit Generationis terminus.

§. I.

1. POtior controversia est quò ad primam tituli partem. Et

Recola dicta art. 1. §. 1. n. 2. de subjecto denominationis & de subjecto inhæsionis. Exploratum namque est, non posse materiam respectu generationis esse subjectum denominationis, cùm ceu ingenerabilis, nequeat dici genita. Ob idque tota de inhæsionis subjecto lis est.

Recole etiam dicta quæst. 1. quòd Generatio sumi dupliciter potest, nimirum ut actio, aut passio, & ut mutatio est.

Pro secunda tituli parte prænoscere convenit, quòd duplex percensetur generationis terminus, nimirum *qui*, & *quo*. Terminum *qui* dicimus rem illam, quæ generatur *ut quod*, videlicet quæ se habet ut quoddam integrum, & totale simpliciter acquirens esse *ut quod* ex vi generationis.

Terminum *quo* appellamus, id ratione cujus conſtituitur terminus *qui* generationis eam ſpecificando, & aſſimilando genitum generanti Terminus *quo* iterum ſubdividitur in terminum formalem *quo* totalem, & terminum *qua* partialem.

2. Quò ad p. p. dubii duæ extant ſententiæ. Dicit prima, immediatum generationis ſubjectum eſſe materiam primam. Hanc tutantur Cajet 3 p q 35. art. 1. §. *Advertendum* Flandr. 8 Meth. q 5 & ut probabiliorem Compl. hic. Hos ſequuntur Exteri, ſed Scotiſtæ ſtando in non viventibus.

Secundæ placet, quòd ſit totum compoſitum. Hanc propugnant Bannez hic cap. 4. q. 5. Jo: à S. Th. q. 1. art. 5. Lerma q. 10 Cav. Guerinois, & alii.

Nonnulli verò in m. ſ. perſæpe citati clariſſimi cujuſdam ex noſtris, nimirum Emin Ferrari diſtinguunt de generatione, quæ eſt actio agens, quam dicunt, ſubiectari in generante; & de generatione, quæ eſt actio acta, & iſtam conſentiunt, ſubjectari in toto compoſito genito. Actionem autem actam nos 3 Phyſ. refutavimus. Nihilominùs iſti ſecundæ favent potiùs ſententiæ.

§ II.

PRIMA CONCLUSIO.

Generatio ut actio, vel paſſia eſt, ſubjectatur immediatè in toto compoſito; ut verò tranſmutatio eſt, poteſt immediatè eſſe etiam in ipſa materia prima.

3. QUò ad p. p. Prob. ratiocinio ſimul, & authoritate D. Th. Nullum accidens poteſt immediatè recipi in materia prima; ſed generatio ut actio, & paſſio eſt, eſt accidens: ergo &c.

Neque reponere juverit, quòd generatio eſt modus quidam ſubſtantialis.

Non, inquam. Quandoquidem vel generatio ſumitur ut mutatio eſt. Et ſic nec eſt accidens, nec modus aliquis ſubſtantialis, ſed communicatio materiæ cum forma, connotando, prius fuiſſe privationem. Vel ut actio &c. Et ſic ſunt de actionis prædicamento. Eò vel maximè quòd, ut q. 1. art. unico vidimus cum ipſiſmet Compl. generatio ſubſtantialis ut actio eſt, non diſtinguitur realiter ab alteratione. Nec ob aliud dicitur ſubſtantialis generatio, niſi quia ad ſubſtantiam terminatur. Ideſt dicitur ſubſtantialis extrinſecè terminativè.

4. Prob. quò ad 2. p. ex dictis q. 1. poſt art. unicum quæſito 1. Siquidem mutari eſt aliter ſe habere nunc, ac priùs; ſed iſta diverſa alietas habetur immediatè in materia, imò eſt ipſamet materia prima, ut aliter ſe habens, nimirum ſe habens ſub forma, ſub qua priùs non erat; ergo &c. De quo iterum num. 6. ad 3. arg.

§. III.

Solvantur adverſæ partis argumenta.

5. ARg. 1. Contra p. p pluribus D. Th. authoritatibus, quæ legi apud Jo: à S. Th. Lermam, & Cav. poſſunt. Quia namque haud difficulter de Generatione ut mutatio eſt, interpretantur, omitto.

Arg. 2. Adverſus eandem p. p. Si ſubjectum generationis ut actio, & paſſio eſt, foret totum compoſitum, utique illud totum eſſet compoſitum genitum; ſed propugnari hoc minimè poteſt; ergo &c. Min. eluceſcit. Quandoquidem ſubjectum debet eſſe antecedenter ad ſuum accidens; ſubjectum autem non habet eſſe antecedenter ad generationem ut actio, & paſſio eſt, quia vi illius ponitur in eſſe. Maj. autem prob. Hoc totum compoſitum nequit eſſe ipſum generans, nec compoſitum corrumpendum: ergo ſolum compoſitum genitum. Ant. quò ad p. p. eſt dubio procul, non ſolùm quia 3 Phyſ. diximus, actionem eſſe inhæſivè in paſſo, verùm etiam quia ſi generatio ut actio eſt, ſubjectaretur in generante, jam generans denominaretur genitum. Quò ad 2. etiam æqua certitudine pollet, quia compoſitum, quod corrumpitur, non eſt illud, quod tum denominatur genitum.

Reſp. primitèr permiſſa maj. nego min. Ad prob. dici poſſet, quòd generatio præcedit in genere cauſæ efficientis genitum, & ad illud ſubſequitur in genere cauſæ formalis. Præterea, nego maj. Ad prob. nego ant. quò ad 2. p. ad cujus prob. habes ex dictis q. 1. art. unico §. 3. ad 1. arg. quòd actio alterativa, quæ una, eademque actio eſt cum generatione ut actio eſt (ſicut ibi vidimus) recipitur in ſubjecto corrumpendo, ſed tamen tranſit ad ſubjectum genitum vel virtualiter, vel etiam formaliter in inſtanti duntaxat *ad quod* modo ibi dilucidato. Ea de re, qui opinantur generationem ut actio eſt, non diſtingui ab alteratione, adiguntur dicere, quòd generatio ut actio eſt, ſubjectetur in toto genito.

Adde, quòd, ut vidimus q. 1. in quæſito 2. poſito poſt art. unicum, generatio etiam ut actio eſt, non eſt alia actio à corruptione. Ob idque cum recipiatur in compoſito veteri ut impeditiva illius conſervationis in generatione novæ formæ, non dat illi denominationem geniti.

6 Arg. 3. Adverſus 2. p. ex M. Cav. qui ſentire videtur, quòd generatio etiam ut mutatio eſt, ſubjectetur in toto compoſito ſic. Generatio, etiam ut mutatio eſt, non eſt niſi actio, & paſſio; ſed actio, & paſſio ſunt accidens, quod immediatè in materia prima eſſe nequit: ergo generatio etiam ut mutatio eſt non habet locum immediatè in materia prima. Prob. min. Generatio etiam ut mutatio eſt, non eſt niſi de linea operativi, vel paſſivi: ergo &c Prob. ant Non eſt de linea eſſendi: ergo &c. Prob. ant. Eſt via ad eſſe: ergo non eſt ipſum eſſe, ſeu, quod idem eſt, de linea eſſendi.

Reſp. nego ant. Ad prob nego iterum ant. ad cujus prob. diſt. ant. non eſt de linea eſſendi conſumativè, concedo, Inchoativè, nego ant. & conſeq. Ad cujus prob. diſt. ant. eſt via ad eſſe ſumptum conſumativè, & completivè, concedo, ſumptum inchoativè, nego ant. & conſeq. Cùm enim ut mutatio eſt non ſit, niſi unio materiæ & formæ, eſt ipſummet eſſe geniti inchoativè.

Contra. Generatio ut mutatio eſt, non eſt, niſi ipſum fieri, ſeu, quod idem eſt, ipſum eſſe in fieri, nimirum inchoativè, & vialiter; ſed fieri eſt paſſio; ergo &c. Prob. min. Correlativum namque ipſius fieri eſt ipſum facere, ut activum paſſivi; ſed facere non eſt, niſi actio: ergo &c.

Reſp. nego min. vel illam diſtingno, ſumpto ly *fieri* pro alterari, concedo, pro mutari ſubſtantialiter, concedo. Quandoquidem, ut inquit Piny, mutatio non eſt aliqua paſſio, ſed indiviſio materiæ, & novæ formæ, connotando, præfuiſſe privationem.

Inſt. Mutatio activa non eſt, niſi actio, ideſt generatio activa non habet duplicem rationem mutationis nempe, & actionis: ergo pariter paſſiva mutatio, videlicet generatio paſſiva, non erit, niſi paſſio, nec erit duplex, ſcilicet paſſio, & mutatio. Ant. eſt concedendum, cùm haud explicabilis ſit hæc activa mutatio alia ab actione.

Reſp. Dato ant. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia agens non reſpicit, niſi paſſum extrinſecum. At paſſum ſaltem in rebus compoſitis generabilibus interdum reſpicit & ipſum agens extrinſecum, & etiam aliquid intrinſecum, quod in ſe recipit, nimirum materia recipit in ſe formam, per cujus receptionem aliter ſe habet nunc, ac prius. Idcircò ut recipit formam dicitur mutari, ut verò ſubditur agenti dicitur pati ab ipſo agente, cujus actio ad totum terminatur compoſitum.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Terminus qui *generationis eſt ſuppoſitum, ideſt ſubſiſtens, & exiſtens; Terminus verò formalis* quo *totalis eſt tota natura conſtituta ex materia, & forma, ut humanitas, equinitas, &c. Demum terminus* quo *partialis eſt forma ſubſtantialis.*

7. PRob. quò ad p. p. Illud eſt terminus *qui* generationis, quod habet fieri *ut qui*, ſeu *ut quod*; ſed quod habet fieri *ut quod* eſt ſuppoſitum: ergo terminus *qui* generationis eſt ſuppoſitum. Prob. min. Illud habet fieri *ut quod*, quod habet eſſe *ut quod*, quia fieri eſt via ad eſſe; ſed ſolum ſuppoſitum habet eſſe *ut quod*: ergo &c.

8. Prob. quò ad 2. p. Terminus *quo* formalis eſt id, quod per modum perfectivi conſtituit terminum *qui* in certa ſpecie, ratione cujus genitum eſt ſimile generanti, & una generatio diſtinguitur ab alia; ſed terminus *qui* generationis, nimirum ſuppoſitum conſtituitur in ſpecie per naturam,

V. G.

V.G. Homo per humanitatem tanquam per formam totalem, & per formam substaotialem tanquam per termioum partialem: ergo termiaus *quo* totalis generarionis est natura, quæ dicitur forma rotius, & terminus *quo* partialis est forma substantialis, quæ dicitur forma partis.

§. V.

Solvuntur obversæ partis argumenta.

9. ARg. 1. contra p. p. B. Virgo verè habuit actionem generativam Christi; & ramen per illam oon attigit persooam: ergo termious *qui* generarionis ooo est suppositum. Aor. quòd ad p. p. tam certum est, quàm certum est, quòd B. V. est verè, & propriè Mater Christi. Quò ad 2. prob. Non attigit entitatem personæ, quia ista est Divina; nec uniendo illam humanitati, quia B. V. oon potuir esse causa principalis Incarnationis, imò nec fuit iostrumentalia, licèt esse potuerit, ut Deo dante dicetur in tract. de Incarnatione.

Resp. ex ibi dicendis 3.p. quæstiuncula ponenda post quæstionem quintam quæsiro 2. ad 1. arg. quòd cùm in sententia D.Th. fœmina concurrat duntaxat passivè ad generationem formaliter, sat est ut B. V. dicatur Mater Christi, quòd præparaverit materiam. De quo iterum q. sequenti art. unico §.2. num. 4. & 5. &c.

10. Arg. 2. contra 2.p. Terminus formalis *quo* respectu actionis est id, quod se habet ut actus actuaos, & determinans, oon ut subjectum actuabile, & determinabile, ut vel ipsummet termini formalis nomen pandit; sed existentia, & subsistentia in toto composito subsistente se habent respectu oaturæ ut actus actuans, & determinaos, natura verò est subjectum actuabile, & determinabile: ergo subsisteotia, & existeotia, non verò natura erit terminus formalis *quo* generationis.

Resp. maj. esse veram si talis actus sit simpliciter perfectivus. At talis oon est existentia, quæ est simpliciter imperfectior ipsa essentia, ut 1. Phys. q. 5. art. 2. præcipuè §. 3. ad 2. ubi totum hoc solvi, legere potes, & debes.

Dices. In sententia probabili existentia est simpliciter perfectior: ergo &c.

Resp. primitùs, quòd & hæc, quam modò defendo, est duntaxat probabilis. Præterea dico, quòd in sententia illa ad terminum formalem *quo* non sufficit, quòd aliquod sit actuans, & perfectius, sed requiritur, quòd se habeat ut constitutivum. Existentia autem oon constituit naturam in specie, sed potiùs è contra. Quomodo autem id salvent, ipsi cogitent. Hoc namque ipse oppugnabo in tract. de Incarnatione.

Inst. Thomistarum plerique profitentur, quòd terminus formalis *quo* Iocarnationis Divinæ fuit Verbum Divioum, idest Divini Verbi subsistentia, non verò natura humana; ergo & idem impræsentiarum de Generationis termino dicendum.

Resp. concesso ant. (quod & ipse propugnabo ibi quæstiuncula, quam collocabo post quæstionem quiotam art. 2. ponendo post quæsitum secundum) nego conseq. & parit. Disparitas est, quam ibi assignabo, quia nimirum Verbi personalitas nullatenus est perfectibilis à rationalitate. At subsistentia, & existentia perficiuntur simpliciter à natura, ut satis loco ex 1. Phys. citato ostendi.

11. Arg. 3. contra ult. p. probaodo, quòd unio potiùs, & non forma sit terminus *quo* generarionis. Termious *quo* producitur ex vi generaoris; sed non semper in generatione forma producitur, semper tamen unio producitur, ut in Hominis genesi: ergo &c.

Resp. ex dictis 1. Phys. q. 4. art. 1. ubi explodebamus unionem superadditam, maj esse veram io generatione entitativa, at non io generatione purè unitiva, qualis est Hominis generatio. Io ista namque sat est, quod terminus *quo* sit communicatus, seu unitus ex vi generationis.

QUÆSTIO TERTIA.

De causa effectiva Generationis
Unica hic resolvenda dubitatio se exhibet.

ARTICULUS UNICUS.

Quatenus in Viventium genesi concurrat Mas, & Fœmina.

§. I.

1. SUpponenda res est quosdam adversus Philosophos, quos suppresso nomine Lerma hic lib. 1. q. 9. Philosophus ridiculos appellat, quibus adhærere etiam videtur P. Arriaga, quòd non Fœmina tantùm, verùm etiam Mas activè concurrat. Quandoquidem Mas perfectiùs, vel saltem non imperfectiùs, quàm Fœmina concurrit, sed si sola fœmina activè concurreret, & mas rantummodò passivè mas imperfectiùs concurreret: ergo & mas activè ad generationem concurrit. Min. tam certa est, quàm certum est, quod perfectiùs est agere, quàm pati. Maj. prob. Vir est perfectior, vel saltem non imperfectior muliere; sed operari seqoitur ad esse: ergo &c. Vid. de hoc fusiùs Ler. hic lib. 1. q. 9. citata. Lis autem est potiùs de ipsa fœmina, oum potius ipsa merè passivè concurrat, & solus mas activè. Pro quo

2. Exploratum est, fœminam aliquem activè concursum habere io generationem (ut docet S. Th. in 3. sent. dist. 3. q. 2. art. 1.) antecedenter. Ad quod

Scito, quòd in generatione triplex intervenit actio. Prima, principalis est prolis efformatio, sub qua actione formativa includitur orgaoizatio, & distinctio membrorom corporis, quæ est præcipua dispositio permaneus io genito; & similiter animatio illius ab Anima Vegetatrice usque ad rationalem. Secunda est aotecedens actionem formativam, nimirum actio præparans materiam, ut sit apta generationi. Unusquisque enim actus fit in potentia proxima, inquit Stagyrita 2. de Anima. Tertia est actio consequens actionem principalem, actio nimirom præbens conservationem proli jam genitæ.

Non agitur controversia de secunda, & tertia actione. Fœmina etenim materiam præparat, nimirum suum sanguinem, non solum illum corruptum, qui emittitur menstruali cursu, quia ex isto non formatur fœtus, verùm etiam alium purum defecatum, ac multa perfectione decoctum; illumque trahit ad locum generationi destinatum. Similiter postquam formata proles est, eam præservat à contrariis, fovet in matrice; Idcircò bona matricis dispositio conducit ad fœtus perfectionem, ut inquit Avicenna. Dissidium itaque est de prima, quæ potior est, actione efformativa.

3. Duarum sententiarum prima tenet, utrumque parentem ut duas partiales causas activè concurrere ad prolem cudendam, itaut fœmina suum habeat semen prolificum, idest prolifactivum, nimirum prolis factivum, quod est principium activum fœtus, permixtum tamen semini virili, quod est magis efficax, & vegetius. Sic Hipocrates, Galenus, &c. quos sequitur Scotus, Gabriel, Suarez, Lorca, D. Bonav. & alii.

Secunda censet, fœminam concurrere duntaxat passivè, loquendo tamen in illa tertia actione. Et hoc benè observetur, ac præ manibus habeatur.

§. II.

CONCLUSIO.

Fœmina in principali actione, quæ est prolis formativa, concurrit duntaxat passivè.

4. SIc Arist. lib. 1. de generat. animalium cap. 20. & ibi lib. 2. cap. 4. & 8. meth. & S. Th. plerisque in locis, sed præcipuè 3. p. q. 32. art. 4. & q. 67. art. 4. ad 3.

Prob. 1. Si Fœmina concurreret activè io principali actione, quæ est prolis formativa, maximè concurreret per semen prolificum; sed fœmina in generatione licèt suum emittat semen, non tamen semen prolificum; sed duntaxat datur ad conficiendas secundinas, quibus proles involuta foveatur: ergo fœmina non concurrit activè ad principalem actio-

nem generativam. Maj. docetur ab Adversariis, & meritò, quia hac ratione Mas activè concurrit. Min. prob. si Fœmina concurreret activè per suum semen prolifactivum in principali genesis actione, nulla fœmina dici posset Mater, quæ non concurreret per tale semen prolificum; sed oppositum docet Fides de B. Virgine, quæ illa caruit seminali, & sensibili resolutione (de quo videri potest S. Thom. 3. p. q. 31. art. 5. ad 3. & ibi q. 35. art. 3. ad 3.) & tamen verè dicitur Christi Mater: ergo &c. De quo iterum §. sequenti 3. n. 8. ad 3. arg. Maj. prob. Nulla dici potest Mater, quæ illum non habeat concursum maternum, quem magis principaliter habent Matres; sed si fœmina concurreret sic per prolificum semen in principaliori actione generationis, hujuscemodi concursus esset magis principalis concursus: ergo &c. De quo nonnihil dixi quæst. antegressa 2. art. 4. §. 5. ad 2. arg. sub n. 51.

5. Prob. 2. ratione, quam sic format Lerma ex Arist. & D. Th. locis citatis, & in 3. sent. dist. 3. q. 2. art. 1. Sexus Maris, & fœminæ ubi ambo concurrunt, dati sunt à natura ad præstanda officia requisita à natura in opere generationis, sed muliebris sexus secundùm sua organa dispositus est à natura, ut recipiat, non verò ut agat, sexus verò virilis ut agat, & efficiat: ergo cùm recipere sit quoddam pati, Fœmina concurret duntaxat passivè. Prob. min. ex formatione, & figura sexus muliebris ad modum receptaculi cujusdam. Consequentia autem est exacta, Tum quia recipere est quoddam pati, Tum ab opposito in his, in quibus non concurrit Mas, & fœmina. Siquidem Arbores, V. G. malus quia est principium activum simul, & passivum, idest virtutem activam, & materiam ministrant ad propagationem, non habentur sexus distincti in illis: ergo si in fœmina est distinctus &c. hoc ideo est quia merè passivè se habet, materiam ministrando. Pro quo Lerma dicit, esse videndum nostrum Carretium *de regal. Juris* disputat. 3. cap. 4.

Conf. Si Fœmina simul ministrando materiam concurreret activè ad generationem, posset se sola naturaliter generare filium, quamquam non ita perfectè, ac in Viri consortio, sicut hac ratione possunt Anguillæ se solis generare, quia virtutem habent activam, & passivam; sed vanissimum hoc est, quamvis possit frusta carnis, aut bolas matrices producere, ut probat Valles lib. 2. controvers. cap. 7. ergo &c. Maj. prob. tum exemplo allato Anguillarum, & Plantarum, Tum in nutritione, ubi quia animal habet virtutem activam, & in alimento potest disponere ipsum, se solo potest se nutrire: ergo etiam &c. Min. elucescit, quia ex opposito sequeretur, non esse tam grande miraculum, quòd B. Virgo genuerit sine consortio Viri.

Qua ex re inferas, poeticam rem esse illam, quam ferunt nonnulli medicorum apud Gabrielem à S. Vincentio, nimirum mulierem quandam concepisse ex se sola tempore Pauli III. Vel si id veritatis quidpiam habet, dicendum est, illam non fuisse tantùm fœminam, sed hermophroditam, & ita ex se sola concipere potuisse, modo, quo explicat Fortunatus Affajatus, qui tum Medicus erat Pontificis, in opere de hac re edito: Secùs frequentiùs in fœminis id contingeret, quemadmodum in Anguillis evenit, & Plantis.

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

6. ARg. 1. Mas per nos activè concurrit: ergo etiam fœmina. Prob. conseq. Generativa potentia in Mare, & in fœmina est ejusdem speciei: ergo si &c. Prob. ant. Ad formam ejusdem speciei sequuntur potentiæ ejusdem speciei; sed Mas, & fœmina habent formam ejusdem speciei, ut probat Arist. 10. Meth. ergo &c.

Resp. concesso ant. nego conseq. Ad prob. Resp. dupliciter. Primò permisso ant. dist. consequens: per se loquendo concedo, per accidens, nego conseq. Illa itaque potentia quantùm est ex sui specifica ratione potest ad sobolis formationem se extendere, sed per accidens ex ratione status in tali individuo imperfecto suæ speciei nequit suum ad totum pertingere effectum, sed sistit in materiæ præparatione. Sanè Generativa potentia ejusdem est speciei in puero, ac in viro; & tamen in puero ratione status non generat. Ob idque ut lib. 5. de Generatione animalium habetur, fœmina est sicut Homo puer impotens generare, idcircò pariter caret barba.

Qua ex re infertur; quare ars inferior activè præparans materiam, specie distinguitur ab arte superiori attingente ultimam formam, sicut ars pharmacopolæ præparans pharmaca est specie distincta ab arte medicinæ eis utente ad sanitatem: non verò potentia generativa præparans activè materiam, ut est in fœmina, distinguitur specie à potentia generativa in Mare, quæ ultimam attingit formam. Discrimen namque est, Tum quia illa, non solùm per accidens, sed & per se, & suapte natura est impotens ad attingendum ultimam formam. Tum quia artes sunt habitus; potentiæ autem majorem, quàm habitus obtinent amplitudinem. Tum demum quia qualitates undequaque vitales sunt superiores qualitatibus non ita vitalibus. Quæ autem in inferioribus sunt dispersa, sunt unita in superioribus.

Resp. 2. dist. ant. sunt ejusdem speciei inadæquatæ, concedo, adæquatæ, nego ant. & conseq. Quamquam etenim non sint diversæ speciei adæquatæ, & disparatæ, sunt tamen diversarum specierum inadæquatarum, ac subordinatarum, quas ab eadem specifica forma provenire minimè pugnat, cùm & ab eadem numero haberi queant. Palam namque est, quòd ab ejusdem animalis forma emanant eodem etiam in individuo plures specie distincti sensus, ut exponemus lib. 2. de Anima q. 2. art. 4. §. 3. n. 5. ad 2. arg. Et insuper virtus digestiva, quæ alimentum præparat; & virtus nutritiva, quæ alimentum præparatum convertit in substantiam aliti. Et sic est intelligendus S. Th. quando 3. p. q. 35. art. 5. ad 3. dicit, quòd Paternitas, & maternitas sunt relationes diversæ speciei.

Resp. 3. maj. illam veram esse de eadem in eodem statu, & sub iisdem circumstantiis, ac conditionibus. Quandoquidem eadem gratia habitualis in statu viæ radicat fidem, & spem, in statu verò Patriæ radicat lumen gloriæ. Item ab eadem natura gravis emanat motus dum est extra centrum, quies verò dum est in centro.

Contra. Intra eandem speciem saltem adæquatam vis generativa in fœmina est perfectior: ergo per se perfectiùs quàm Mas concurret. Prob. ant. Nonnullæ fœminarum sunt masculis vegetiores, & calidiores; ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. calore, & vigore adventitio, concedo, vivifico sufficiente ad sic concoquendum sanguinem, ut ex eo prolificum formetur semen, nego, nisi in masculis interdum habetur per accidens indispositio aliqua, ratione cujus, nec ipsi gignere queant.

Contra. Sunt interdum calidiores calore etiam vivifico, & radicali: ergo &c. Prob. ant. Ferunt siquidem nonnulli Medici apud Gabrielem à S. Vinc. mulieres quasdam concepisse ex congressu cum alia muliere; sed id nusquam potuit vir ullus ex congressu cum alio viro: ergo signum est, &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dicimus eodem cum Gabriele, res poeticas esse. Vel si vera aliqua extat, dicere fas est, earum alteram Hermophroditam, & non puram fœminam fuisse.

7. Arg. 2. ex Scoto. Effectus assimilatur principio agendi; sed filius non infrequenter assimilatur Patri, magis quàm Matri: ergo activè mater concurrit.

Conf. ex eodem. Mater diligit naturaliter suum filium plusquam Pater; sed naturalis dilectio fundatur in ipsa causalitate, & origine: ergo à Matre magis, quàm à Patre filius ortum ducit, proindeque si activè Pater concurrit, quoque Mater.

Resp. ad arg. dist. maj. assimilatur per se, concedo, duntaxat per accidens, nego maj. & dist. min. assimilatur Matri per accidens, concedo, per se, nego min. & conseq. Itaque Fœmina semper præparat materiam, & alteratam exhibet, ut suscipiat formam similem Matri, etiam quò ad accidentia; Mas verò media sua virtute activa perficit illam, ut sibipsi similem reddat: at quia interdum non est ita potentissima; idcircò permittit, ut similis evadat Matri, cui tunc assimilatur per accidens, nimirum per hoc, quòd virtus activa Masculi est deficiens, secùs fœmina esset principium principalius; quod nec Scotus prætendit.

Vel dicas, assimilari per accidens in colore, effigie, &c. nimirum occasione Imaginativæ ipsorum Parentum, Præsertim ipsius fœminæ in ipso conceptu. Ea de re nonnunquam albis ex parentibus Æthiops natus est, cujus speciei fœminæ imaginatio in cubiculo dum concipiebat affi-

cieba-

ciebatur. Et hoc pacto in statu innocentiæ docet S. Th. p. 1. q. 79. art. 2. fuisse gignendas fœminas, nimirum ex conceptione, & imaginatione fœminæ generantis. Vid. Conimbr. exponentes, quatenus tantam vim imaginativa possideat.

Demum provenire id potest ex aliqua tum peculiari corporum cœlestium influxu.

Dices. Hermophroditæ evadunt similes & Patri, & Matri etiam in ipso sexu. Et similiter hydibrides, nimirum, quæ ex parentibus diversæ speciei procreantur; ut Muli evadunt tertia in specie dissimili à specie masculi: ergo signum est, quod etiam fœmina activè concurrit.

Resp. quantùm ad Hermophroditas, id etiam esse per accidens, quia nempe viri semen fuit quidem quasi potens ut sibi similem redderet, sed non fuit perfectè potens. pro quo scito, quod tunc semper gignitur masculus quando semen est perfectè decoctum, fœmina verò quando est quasi perfectè decoctum, ut dixi num. præcedenti in 2. resp.

Ad id, quod de hydibridibus dicitur, Resp. id quoque per accidens evenire, quia nimirum virtus activa Maris est improportionata virtuti dispositivæ, & præparativæ ipsius fœminæ, quæ præparat materiam ad agens suæ speciei; Idcirco fœtus evadit similis utriusque in generica, & dissimilis in specifica natura.

Ad Conf. d'st. min. in ipsa causalitate præparativa, concedo, formali, nego min. & conseq. Mater namque plùs diligit filium, tum propter majores perpessos labores pro filio, & majorem ob convictum, tum quia magis est certa, quod hic sit filius suus.

8. Arg. 3. Semen est principium activum in formatione prolis; sed fœmina verum habet semen ordinatum ad generationem: ergo etiam fœmina activè concurrit. Min. constat ex anatomia, qua deprehenditur, quòd fœmina habet intùs testes, & reliqua seminalia vasa, quæ foris habet Vir. Hæc autem non in cassum eis natura suppeditavit. Unde qnia Mares non producunt lac nutritivum infantium, illis non dedit natura vasa lactis, nimirum tumentes mammillas, & ubera.

Resp. ex dictis num. 4. dist. maj. Semen forte, & veges, ut est semen masculi, concedo, semen debile, & prorsus imperfectum, quale est fœminæ semen, nego maj. & concessa min. nego conseq. Non tamen est penitùs inutile, quia deservit ad meliùs præparandam materiam. Ob idque analogicè tantùm est eum semine masculi semen.

Circa hoc semen, in quo consistat, & quomodo ad generationem concurrat, non omnes conveniunt, ut videre est apud Cajet. 2. 2. q. 110. art. 12. Probabilior tamen, & B. Virginis integritati conformior sententia est illa, quam tenet Avicenna, qui cum Arist. dicit, fœminæ semen non requiri de necessitate, sed duntaxat ad meliùs esse in generatione, ut fert Javellus. Et hoc ipsum docet S. Th. 3. p. q. 31. art. 5. Quòd probat Avicenna, eo quòd tale semen non resolvitur, idest non emittitur à fœmina, nisi quando sensualem percipit delectationem, & aliàs mulier quædam concepit in Balneo, matrice attrahente semen virile ibi effusum. Et licèt factum audire detrectent Adversarii, nisi tanquam fabulam; Tamen saltem B. Virgo omnis prorsus sensualis delectationis expers fuit, proindeque nec semen emisit, quo non obstante vera extitit Christi Mater.

Inquit etiam idem Avicenna, quòd testes ab intrinseco deserviunt fœminæ, non ad formandum semen prolificum, sed ad excitandum in matrice desiderium recipiendi semen virile. Vel (ut inquit Lerma, & nos eum ipso supra §. 2.) deserviunt ad formandum semen, quod juvat pro conficiendis fecundis, vulgò *secundinis*, quibus involuta proles in ventre fovetur.

9. Arg. 4. Quemadmodum fœmina in generatione ordinatur ad patiendum, ita Mas ad agendum; sed probabiliori Thomistarum in sententia Mas mediante semine à se reciso estò concurrat simpliciter activè, tamen quodammodo concurrit etiam passivè: ergo etiam estò simpliciter, idest magis passivè concurrat, tamen quodammodo etiam activè concurret. Min docetur à Flandria, Soncinate, Joan. à S Th. & aliis, volentibus, quòd etiam in Masculi semine sint partes quædam crassiores, quæ etiam ipsæ cum sanguine Matris sint prolis materia, præsertim, ut verum sit, filium etiam Patri consanguineum esse, ultra partes alias subtiliores, in quibus est tantùm virtus activa prolis formativa, quæ durant usque ad instans generationis perfectæ prolis inclusivè, qua completa hujuscemodi partes spirituosæ suam amittunt virtutem, pereunt, & transmutantur in aliquid aliud, eo quod obtento fine non ultra deserviunt. Alii autem asseverant, quod tota materia à Matre ministretur, quibus favere Aristoteles videtur.

Resp. nego min. Ad prob. concedo, quòd Thomistæ illi id conscribant, sed nego argumentis suppositum. Supponit namque, quòd ministrare materiam sit concurrere passivè; Quod tamen est falsum. Unde etiam nos diximus, fœminam concurrere antecedenter activè præparando materiam, licèt non activè formaliter. Itaque ministrare materiam est concurrere activè, licèt aliàs materia illa passivè se habeat.

10. Arg. postremò. Relatio maternitatis in Matre ad filium est ad ipsum ut filium: ergo ut genitum; sed nequit esse ad ipsum ut genitum, nisi concurrat activè: ergo &c. Prob. min. Talis relatio fundari debet in actione, & non in passione: ergo si &c. Prob. ant. Si fundaretur in ipso pati, nimirum in passione, talis relatio esset ad Patrem, à quo ipsa patitur, & non ad filium, respectu cujus non patitur.

Resp. dato ant. Et primo consequenti, nego min. subs. Ad prob. dist. ant. fundatur in actione generandi præparativa, nimirum præparando materiam, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Responsum ex dictis elucescit, & hauritur ex D. Th. in 3. sent. dist. 3. q. 2. art. 1. ad 3.

Addo, quod ad hujuscemodi relationem fundandam sufficit latenus est necesse, quòd activè Mater concurrat ratione suæ virtutis, & ratione sui, sed sat est, concurrere activè ratione virtutis viri, quam intra se suscipit; non quidem agendo in virtute viri, secùs foret causa purè instrumentalis, sed complendo ut terminus intrinsecus virtutem Viri; eo proportionali quodam modo, quo cum forma concurrit materia ad totius suppositi actiones.

QUÆSTIO QUARTA.

De Alteratione.

Ethymologicè alteratio *alteractio*, sive alterfactio dicitur, eo quod sit mutatio quædam accidentalis faciens *alterum*, & *alterum* per deperditionem, vel acquisitionem formæ accidentalis. Quemadmodum enim forma omnis, aut differentia essentialis facit *aliud*, & *aliud*, sic forma omnis, aut differentia accidentalis facit alterum. Hinc triformiter sumi alteratio potest. Primò latissimè pro mutatione, quæ quamcunque etiam insensibilem, sive etiam spiritualem formæ per acquisitionem fit. Et hoc pacto etiam scientiæ acquisitio, aut jactura dici alteratio potest. Secundò presè pro mutatione, quæ fit per acquisitionem, vel amissionem alicujus sensibilis formæ etiam purè perfectivæ, & non habentis contrarium. Et hoc modo aeris illuminatio potest alteratio nuncupari. Tertiò presèsiùs, & pressissimè pro mutatione ad sensibilem terminata qualitatem, quæ alteram contrariam habeat, cujusmodi sunt calefactio, dealbatio, &c. Albedini namque contrariatur nigredo, calori frigus contrariatur. Et hoc tertio modo impræsentiarum sumitur, quia hoc duntaxat modo ad generationem conducit, & corruptionem, quæ hic specialiter consideratur, ut clariùs sequenti præloquio palam erit.

Ex ex re habes, quòd alteratio fit per hoc, quòd agens producit in passo qualitatem aliquam, non verò per corpusculorum immissionem, ut Atomista contendit, volens, quòd ignis V. G. calefaciat lignum per hoc, quòd atomos igneas intra ligni poros immittat. Contra hoc dixi in Logica Syntag. 4. q. 3. quæ fuit de substantia art. 2. §. 2. sub num. 3.

Alteratio tertio modo sumpta, nimirum ut est motus ad formam accidentalem sensibilem habentem contrarium definitur sic: *est motus physicus successivus substantiæ ab una ad aliam qualitatem contrariam*. Qua definitione habita pro quidditate, reliquum est, ut ejus pandamus multiplicitatem. Ast quia innotescere haud potest, nisi priùs innotuerit, quænam sint qualitatis species, ad quas datur per se primò alterationis motus. Idcircò

PRÆ-

PRÆLOQUIUM.

De Speciebus qualitatis, ad quas terminatur per ſe alterationis motus, & de ipſius alterationis ſpeciebus.

1. QUatuor percenſeri qualitatis ſpecies dixi in Logica Syntag. 4. quæſtiuncula poſita poſt totam q. 4. Illò adeas.

Quòad primam tituli partem dicitur, quòd ſolas ad qualitates tertiæ ſpeciei datur per ſe motus alterationis, nimirum ad qualitates ſenſibiles habentes contrarium, quæ in tertia collocantur ſpecie, uti ſunt calor, frigus, &c.

Prob. Ad id duntaxat datur per ſe motus, quod primariò, & ratione ſui fit per motum; ſed hoc ſolis competit qualitatibus tertiæ ſpeciei: ergo &c. Prob. min. Reliquæ qualitatis ſpecies non fiunt per motum, ſed conſequenter ad aliud V. G. valetudo, & ægritudo, quæ ad tertiam ſpectant qualitatis ſpeciem dictam *habitus*, & *diſpoſitio*, non fiunt primariò per motum, ſed conſecutivè tantummodo, ideſt conſequenter ad aliud, nimirum reſultant in animali ex eo, quod iſtud immutatur ſecundùm calorem, ſecundùm algorem, & cæteras qualitates, quarum librato in temperamento valetudo conſiſtit. Virtutum autem habitus, & vitiorum eſtò per ſe primò terminent actum ſui productivum, tamen non fiunt per motum ſenſibilem, de quo præcipuè ſermo hic eſt. Naturalis potentia ſunt naturales proprietates conſequentes naturam talibus affectam diſpoſitionibus, proindeque fiunt de ſecundariò per motum terminatum ad naturam. Demum figura cùm reſultet ex terminatione quantitatis fit per actionem per ſe primò terminatam ad quantitatem, loquendo de figura naturali; figura verò artificialis reſultat ex motu locali corporum per artem diſpoſitorum.

Leviculæ quædam objectiones videri apud alios Scriptores ſolutæ poſſunt.

Vide etiam 5. Phyſ. quæſtiuncula prima, ubi conditiones ad modum requiſitas dinumeravi.

2. Quantùm ad 2. tituli partem, dicitur, tres eſſe alterationis ſpecies, nimirum alterationem ſpecialiter dictam intenſiones, & remiſſionem.

Dilucidatur. Alteratio eſt motus ſecundùm qualitatem, ut vidimus: ergo exſtare tot debent qualitatis ſpecies, quot modis aliquid moveri ſecundùm qualitatem poteſt, ſed tribus duntaxat modis poteſt quidpiam ſecundùm qualitatem moveri: ergo &c. Prob. min. Vel etenim ſubjectum movetur à contraria ad contrariam qualitatem, priùs nullatenus habitam, V. G. de calore ad frigus, aut è contra. Et tunc fit alteratio abſolutè dicta propter vocabulorum inopiam, non ſecùs ac de prima qualitatis ſpecie, nimirum diſpoſitione in Logica dictum eſt. Vel ſubjectum, quod ſecundùm qualitatem movetur, proficit in eadem qualitate, V. G. lignum ex minùs calido fit magis calidum. Et tum fit intenſio: Vel demum ſubjectum, quod ſecundùm qualitatem movetur amittit de qualitate illa, ut dum lignum ex magis calido fit minùs calidum. Et tum fit remiſſio: ergo &c.

ARTICULUS UNICUS.

Num alteratio ſit motus continuus.

§. I.

1. ALterationem non eſſe motum continuum placuit ex noſtris Soncinati, Javello, & Aquario in additionibus ad Ferrarienſem. Idque recenter arridet clariſſimo cuidam ex noſtris in m. ſ. dicenti, quòd Ignis V. G. dum admovetur ligno producit in primo inſtanti minimum gradum caloris, deinde imperceptibilem per moralam quieſcit nihil qualitatis tempore intermedio producendo, ſed poſtea in alio inſtanti alium producit gradum, & ſic alios gradus finitos producit in inſtantibus finitis, adeoque alterationis motus ſit diſcretè.

Cæteri Thomiſtæ omnes docent, alterationem eſſe motum continuum, quibus & ipſe probabiliter ſubſcribo.

§ II.

CONCLUSIO.

Alteratio eſt motus Continuus.

2. S. Th. hic 5. de Gener. lect. 24. *motus*, inquit, *continuus non eſt niſi in tribus generibus, ſcilicet quantitate, qualitate, & Ubi* & in 3. ſent. diſt. 5. art. 5. *alteratio*, ait, *eſt motus continuus*. Idem redintegrat aliis in locis, ſicut etiam Ariſtoteles ibi. Et

Prob. 1. Oppoſita in ſententia ſalvari nequit alia communis, quam ſtatuemus infra q. 7. art. 2. quòd nimirum agens agendo repatiatur. Si namque alteratio non eſt motus continuus, & qualitas introducitur in minimo, peto, vel eo in inſtanti, in quo ignis minimum introducit gradum caloris in aquam, iſta in ipſum ignem producat minimum frigoris gradum, vel minùs minimo, vel nihil. Si hoc tertium dicatur, habetur, quòd agens agendo non repatiatur; Eò quòd ſi ignis in primo inſtanti, in quo agit in aquam non repatitur, à fortiori non repatietur in inſtantibus ſubſequentibus, in quibus debilior eſt virtus aquæ per caloris actionem delumbatæ. Secundum eſt impoſſibile, quia minus minimo non eſt poſſibile. Si denique primum dicas, ſequitur, quod æquè aqua in ignem, ac ignis in aquam, & è converſo agat, ſicque neuter unquam victoriam reportaret.

3. Prob. 2. communi ratione. Agens debitè applicatum paſſo, agit in illud; ſed ignis V. G. poteſt per tempus continuum eſſe paſſo applicatus, V. G. ligno: ergo aget per alterationem continuam, introducendo calorem, & depellendo frigus.

Conſ. Ignis quia eſt applicatus paſſo in inſtanti, agit in eo inſtanti, introducendo minimum caloris gradum: ergo pariter quia eſt applicatus per tempus continuum agit continuò, adeoque alteratio eſt continua.

Reſpondet prælaudatus in m. ſ. maj. eſſe veram, niſi repugnet ex parte termini. In caſu autem noſtro repugnat ex parte termini, quia unum indiviſibile qualitatis additum alteri poteſt facere intenſionem, ut dicetur num. 5. Et dant exempla. Quemadmodum namque eſtò virtus moventis ſit applicata in inſtanti, tamen motus nequit fieri in inſtanti ratione ſuæ diviſibilitatis. Similiter eſtò ignis ſit applicatus candefactibili in tempore, tamen ſubſtantia ignis fit, non in tempore, quia fit modo indiviſibili per ſuum minimum: ita calor non producitur in tempore, quia non eſt diviſibilis in infinitum (cùm unum indiviſibile additum alteri poſſit facere intenſum) & petit fieri per ſuum minimum. Sed

Contra. Iſtu in reſponſo nullum aſſignatur poſſibilitatis impedimentum. Dicere namque, quòd unum indiviſibile alteri additum poteſt facere intenſum, duntaxat concludit, quòd non ſit neceſsè procedere modo diviſibili quantùm eſt ex parte termini, at non quòd adſit impoſſibilitas aliqua ex parte termini. Cùm ergo aliàs, ut vidimus, agens naturale continuè applicatum incunctanter agat, niſi repugnantia adſit ex parte termini, jam continuò alterabit, eò quòd nulla extat ex parte termini repugnantia, uti jam dictum eſt, & fusiùs num. ſequenti 4. dicetur.

4. Prob. 3. Nulla eſt repugnantia, quòd qualitas ſit diviſibilis in infinitum ſecundùm intenſionem: ergo nulla prorſus eſt repugnantia, quòd continuum per motum fiat. Conſequentia eſt exacta. Hac namque ratione augmentatio eſt motus continuus, quia nimirum quantitas eſt diviſibilis in infinitum ſecundùm extenſionem. Ant. autem eadem paritate. Prob. Nulla prorſus eſt repugnantia, quòd quantitas ſit diviſibilis in infinitum ſecundùm extenſionem: ergo pariter &c.

Reſpondet pars adverſa negando ant. Ad prob. in aſſignando diſparitatem non eſt concors. Nonnulli ſiquidem aſſignare conantur, eò quòd ex oppoſito ſequeretur, ex uno quali intenſo finitè V. G. ut quatuor poſſe fieri qualitatem extenſam infinitè. Suppoſito ſiquidem, gradus intenſionis eſſe realiter diſtinctos, & infinitos, poſſent explicari in diverſis infinitis partibus ſubjecti per extenſionem, ſicut per intenſionem in eadem ſubjecti parte explicantur.

Quod reſponſum improbat etiam prælaudatus in m. ſ. nulliuſque momenti eſſe dicit; quia non eſt majus inconveniens, quòd ex infinitè intenſo extrahantur partes, quæ explicatæ in diverſis ſubjecti partibus faciant infinitè extenſum, quàm quòd ex finitè extenſo poſſint tot extrahi partes,

tes, quæ explicatæ faciant infinitè extensum; sed suppositis partibus infinitis secundùm extensionem, sequitur secundum: ergo etiam potest admitti primum. Consequentia est exacta semper à pari. Min. prob. Secùs non foret divisibile in infinitum. Vel si ex finitè extenso divisibili in infinitum non sequitur quòd tot extrahi partes possint, quæ secundùm quantitatem faciant infinitè extensum; nec sequitur, quòd ex finitè intenso divisibili in infinitum tot extrahi partes possint, quæ faciant infinitè extensum secundùm qualitatem. Insuper ex una Muscæ ala nullo absque incommodo admittitur à Peripateticis, quòd tot extrahi partes possint, quæ totum operiant mundum. Quod quidem videtur incredibile, sed tamen est verum.

Alii rationem adducunt ex eo, quòd si qualitas foret in infinitum divisibilis, & fieret extensio continuò, taliter ut quolibet in instanti temporis esset perfectior, & perfectior intensivè, in fine horæ elapsis infinitis instantibus, qualitas esset infinitè intensa. Si namque aliqua per instantia finita est finitè intensa, etiam dum magis, ac magis perficitur per instantia infinita, evadit infinitè intensa.

Sed & hoc oppugnat idem prælaudatus in m. s. quia ratio ista non minorem ingerit difficultatem, quàm communes difficultates de divisibilitate continui in infinitum. Etiam namque per motum localem mobile semper quolibet in instanti fit magis distans à termino *à quo*, & similiter magis percurrit de spatio, nec tamen sequitur, per infinita horæ instantia per motum localem fuisse præteritum infinitum spatium, & esse infinitam acquisitam distantiam à termino *à quo*. Ita dicendum de motu alterationis, quòd estò quolibet in instanti qualitas esset magis, & magis intensa, non tamen in infinitis instantibus foret intensa infinitè. Et rationem assignat, quia nempe infinitum fit ex partibus non communicantibus æqualibus uni certæ determinatæ quantitati sive intensivè, sive extensivè. In illis autem infinitis partibus motus, & mutati esse acquireret qualitas infinitas partes, vel reales, vel virtuales, vel modales non æquales uni certæ determinatæ quantitati intensivè, sed quæ semper sunt minores, & minores in infinitum inclusæ in quantitate intensiva determinata, & finita; Idcircò non sequitur, esse infinitè intensam.

Respondet demum ipse, his missis rationibus, sistendum esse in ratione negativa supra ab ipso assignata, quia nimirum nulla cogit necessitas ponere hanc partium in infinitum divisibilitatem intensionis, sicut eam ponere adigimur in partibus extensionis. Tum quia si suapte natura qualitas foret divisibilis in infinitum intensivè, sicut quantitas extensivè, sequeretur quòd suapte natura non haberet minimum secundùm intensionem, quemadmodum quantitas non habet minimum secundùm extensionem; proindeque posset in infinitum diffundi semper minor, & minor. De quo statim §. sequenti 3. in 5. arg. n. 5. Sed

Contra. Hoc liquidem refutatum jam est num. antegresso 3. refutando ejusdem responsum, quia licèt non adsit necessitas quantum est ex hoc capite; adest tamen necessitas ex alio capite, nimirum quia necessè est, agens naturale debitè applicatum incunctanter agere, nisi repugnantia adsit ex parte facti, ut ipse adstrictus est fateri, adeoque necessitas aderit, talem divisibilitatem habendi. De quo iterum §. sequenti 3. n. 5.

§. III.

Solvuntur Obversariorum argumenta.

5. ARg. 1. ex prælaudato illo in m. s. Latitudo intensiva qualitatis non est divisibilis in gradus minores, & minores in infinitum; sed omne, quod fit per motum continuum debet esse divisibile in infinitum: ergo qualitas secundùm latitudinem intensivam nequit fieri per motum continuum. Prob. maj. Ideo quantitas extensiva ponitur divisibilis in infinitum, in partes minores & minores, quia secùs non salvaretur quantum extensum, eò quòd indivisibile additum indivisibili non facit extensum; at indivisibile additum indivisibili intensivè facit magis intensum: ergo &c. Prob. min. Intantum indivisibilia non faciunt extensum, quia se totis sese contingunt, & sic penetrantur; sed penetratio non obstat intensioni: ergo &c. Nitet min. quia intensio fit in eadem subjecti parte.

Resp. nego maj. Ad prob. data maj. & min. dist. consequens, nisi adesset necessitas ex alio capite, concedo, secùs, nego conseq. Responsum patescit ex dictis retroacto §. 2. in fine, quòd nimirum licèt non adsit necessitas ex hoc capite, adest tamen talis ex alio, nempe ex parte agentis, ut ibi vidimus, ibique videas.

Contra. Ex parte agentis adest impossibilitas, & non necessitas: ergo &c. Prob. ant. Impossibile est, quòd agens uniformiter difformiter non habeat suæ activitatis sphæram; sed nisi extaret calor V. G. omnino indivisibilis, quo minor impossibilis sit, sequeretur, quòd agens uniformiter difformiter non haberet determinatam suæ activitatis sphæram: ergo &c. Prob. min. Posset calorem quacumque in distantia diffundere; ergo &c. Prob. ant. Eatenus certa determinatur activitatis sphæra, quatenus agit, minuendo incunctanter virtutem, nimirum producendo in propriori magis, in remotiori minùs intensum V. G. calorem; sed si non esset ad minimum devenire calorem, non ultra divisibilem, posset perenniter in alio, & in alio remotiori usque in infinitum producere: ergo &c. Prob. min. Ille calor, in quo ultimò quiesceret agens, vel esset intensus, vel non. Si non, ergo esset minimus. Si sic, ergo dividi adhuc posset, & ulteriùs diffundi, sicque in sibi propinquo calorem producere, ac sic in infinitum.

Resp. nego ant. Ad prob. nego min. cujus ad prob. nego ant. & ejus ad prob. dist. min. nisi esset devenire minimum ad calorem non ulteriùs divisibilem naturaliter, concedo, duntaxat supernaturaliter, nego min. & conseq. Quemadmodum namq; continuum quantitatis est divisibile in infinitum, & tamen ad aliquam adeo exiguam devenitur partem, quæ non ampliùs est ab agente naturali divibilis, licèt sit divibilis per agens supernaturale. Ita cum proportione dicas de qualitate secundùm intensionem.

Dices. Juxta hujusce placiti fautores latitudo intensiva qualitatis consistit in gradibus, vel modis, quorum unus adveniente alio destruitur: ergo nec supernaturaliter erit divisibilis. Prob. conseq. Hac in sententia latitudo intensiva qualitatis non facit spatium pertransibile; ergo &c. Consequentia est exacta. Motus namque continuitas, & divisio ex spatii sumitur continuitate. Ant. prob. omnes siquidem præfati gradus sunt indivisibiles essentialiter: ergo &c.

Resp. primodùm, nego ant. Quandoquidem licèt nonnulli, quos inter Guerinois, id teneant, at non omnes. Lerma namque hanc propugnat sententiam; & tamen postea art. 28. ad 4. istos respuit modos, ac dicit; qualitatem esse indivisibilem. De quo ipse dicam q. sequenti art. 2. hosque respuam modos.

Præterea nego conseq. Ad prob. primitèr permisso ant. nego conseq. cujus ad prob. dici posset, id verum esse de motu continuo; qui est ad quantitatem. Præterea, nego illud idem ant. Et ad ejus prob. dicatur, quòd licèt non sit divisibilis formaliter, est tamen divisibilis virtualiter. Eapropter dici potest, qualitatem intendi per gradus, sive modos, sive partes, vel reales, vel (diversitas juxta sententias) virtuales in infinitum, vel formaliter, vel virtualiter divisibiles, & succedaneè acquisibiles explicativè; non verò per gradus, aut modos, aut per partes, quarum quælibet sit tota simul indivisibiliter.

Vel demum ad totum arg. Resp. quòd tametsi latitudo non extaret, nec divisibilitas etiam virtualis, salvari adhuc potest, alterationem esse motum continuum per hoc, quòd indivisibilis unus gradus, sive modus, sive una indivisibilis pars immediatè alteri statim nullo absque intervallo succedat hoc modo, videlicet. Qualitas in eo primo instanti, in quo agens applicatur passo, introducit in parte minima qualificabili gradum minimum qualitatis secundùm intensionem; in tempore verò immediatè ad instans subsequenti, incipit intrinsecè motus intrinsecus alterationis tùm secundùm extensionem, tùm secundùm intensionem secundùm partes minores, & minores in infinitum, quæ cùm superaddantur minimo præexistenti qualitatis intensivè, & extensivè, faciunt majus, & majus. Et sic eo in instanti talis motus inciperet per ultimum sui non esse, sicut à puncto initiativo incipit linea, sicut etiam qualitas illum terminans motum.

Argumentum aliud ejusdem prælaudati in m. s. ad probandum, alterationem secundùm extensionem, nimirum in diversis partibus non esse motum continuum, procedit ex falso assumpto, nimirum quòd alteratio secundùm intensionem, idest in eadem parte subjecti non sit motus continuus. Ex quo postea infert, quòd neque secundùm exten-

fionem fit motus continuus. Undè cum argumentum, quod ad id probandum adducebat, jam fit à nobis hoc in primo arg. diffolutum, idcircò eo miffo.

6. Arg. 2. Arift. qui hic lib. 2. cap. 3. tex. 32. *dicere*, inquit, *alterationem fieri continuè eft adverfari valdè manifeftis*. Et S Th in 1. fent. dift. 8. q 3. art. 3. ad 3. *ficut*, inquit, *commentator probat in 8. Phyf. nullus alius motus eft continuus fimpliciter, nifi motus localis*.

Refp. utrumque Magiftrum tantummodo negare, quòd alteratio nunquam compleatur, & terminetur, quofdam adverfus Prifcos, qui omnia in perpetuo alterationis motu verfari dicebant. Quia verò localis, atque circularis Cœlorum motus folus nunquam ceffat; idcircò S. Th. dixit, nullum alium motum effe fimpliciter continuum, ideft perpetuum præter localem Cœlorum motum.

7. Arg. 3. Si alterationis motus continuus foret, sequeretur, qualitatem per hujufcemodi motum acquifitam evadere in fine talis motus infinitè intenfam; fed hoc &c. ergo &c. Prob maj. ut fupra § 2. fub num 4. oppugnando refponfum ab Adverfariis datum ad noftram 2. prob.

Refp. ad hoc ex ibidem dictis, maj. fore veram, fi partes non effent invicem communicantes. Vid. ibi.

8. Arg. 4. Licèt alterationis motus fecundùm intenfionem, aut remiffionem terminetur ad gradus, aut modos, vel partes divifibiles, aut fucceffivè indivifibiles, fecùs tamen motus alterationis fimpliciter dictæ: ergo faltem ifte non erit motus continuus. Prob ant. Motus alterationis fimpliciter dictæ terminatur ad entitatem qualitatis fecundùm effentiam, fecùs non diftingueretur à motu intenfionis; fed effentia eft una omnino indivifibilis: ergo &c.

Refp. nego ant. quò ad 2. p. Ad prob. dift. maj. de primariò, concedo, de fecundariò, nego ant. & confeq Cùm etenim nulla detur qualitas, quæ gradum aliquem virtualem non habeat. Idcircò alterationis motus etiam fimpliciter, & fpecialiter dictæ, licèt de primariò ad fuam terminetur qualitatis entitatem, tamen de fecundariò terminatur etiam ad illum gradum. Intenfio autem terminatur de primariò ad gradum. Idcircò diftinguitur à motu alterationis fimpliciter dictæ.

QUÆSTIO QUINTA.

De Intenfione, & Remiffione.

POftremæ duæ alterationis fpecies ab alteratione fimpliciter dicta funt iftæ, circa quas

PRÆLOQUIUM.

De Formis, quæ capaces, vel incapaces intenfionis, & remiffionis funt.

§. I.

DICO PRIMO.

Forma fubftantialis non eft intenfionis, & remiffionis capax.

1. PRob. 1. Ex D. Th p. 1. q. 32. art. 1. Forma fubftantialis unitur materiæ, ut conftituat illam certa in fpecie; fed fpecies, nimirum effentiæ ftant in indivifibili: ergo &c.

Objicies hanc adverfus ratiocinationem. Quemadmodum forma fubftantialis conftituit materiam in fpecie fubftantiali, ita forma accidentalis conftituit fubjectum in fpecie accidentali; fed forma accidentalis eft intenfibilis, & remiffibilis accidentaliter; ergo &c.

Refp. difcrimen effe, quia accidens conftituit fubjectum in fpecie duntaxat fecundùm quid.

Nec inde fequitur, quòd accidens fit fecundùm quid intenfibile, & forma fubftantialis fimpliciter. Non, inquam. Siquidem cùm fpecies fit indivifibilis, quod conftituit fimpliciter in fpecie unitur indivifibiliter. Ob idque intenfibilitas crefcit ad decrementum fpeciei, nifi aliud obftet ut mox de quantitate dicam.

2. Prob 2. A poft. ex dictis in Logica dinumerando fubftantiæ proprietates. Si forma fubftantialis fufciperet magis, & minùs, compofitum fubftantiale diceretur modò magis, modò minùs tale; fed hoc falfum extat: ergo &c. Prænitet min. Non enim idem Homo dicitur modò magis, modò minùs Homo.

§. II.

DICO SECUNDO.

Quantitas five continua, five difcreta non eft intenfionis, & remiffionis capax.

3. THeorema hoc, ficut & præcedens eft ferè commune apud Philofophos.

Prob. 1. Unum quantum non dicitur modò magis modò minùs quantum fecundùm eandem quantitatem, five continuam, five difcretam. Non enim palmus poteft effe modò magis, modò minùs palmus, nec duo modò magis, modò minùs duo. Licèt aliàs quantitas poffit effe modò major, modò minor, & fubjectum modò minorem, modò majorem quantitatem habere queat. Cujus difcriminis ratio erit fequens probatio. Undè

4. Prob 2. Quantitas five continua, five difcreta dicit, unam partem effe extra aliam; fed intenfio dicit unam partem alteri penetratam: ergo intenfio repugnat quantitati. Intenfio namque fit in eadem parte fubjecti. Item numerus importat neceffariò indivifibilitatem in fua ratione formali; eò quia ab ultima conftituitur unitate, quæ confiftit in indivifibili, taliter quòd quolibet addito, vel fublato, five realiter, five virtualiter fecundùm eam rationem, & modum, quo additur, variatur numeri fpecies. Etiam namque in ipfa Intenfione qualitatis variatur numerus fecundùm fpeciem, quia priùs erit qualitas ut duo, poftea fiet ut quatuor. Sic ergo intenfio variat fpeciem numeri. Et quia etiam quantitas continua menfuratur ad modum numeri ut tricubitum, quadricubitum, &c. Idcircò etiam hujufcemodi non fufcipit magis, & minùs.

Qua ex re fequitur, quòd neque figura, neque Ubi, neque fitus fufcipiunt magis, & minùs; quia nimirum omnia ifta fequuntur naturam quantitatis, cujus funt determinationes, & modificationes.

§. III.

DICO TERTIO.

Relatio pro formali non eft intenfionis, & remiffionis capax.

5. DIxi *pro formali*, quia (ut dixi in Logica Relationis dinumerando proprietates) ratione fundamenti proximi interdum fufcipit magis, & minùs, præfertim loquendo de relationibus fundatis in qualitate. Quo in fenfu ibi Ariftotelem interpretavi.

§. IV.

DICO QUARTO.

Qualitates quartæ fpeciei non funt intenfionis, & remiffionis capaces, benè verò qualitates primæ, & tertiæ fpeciei; ficut etiam aliquæ, licèt non omnes de fecunda fpecie.

6. QUò ad p. p. nimirum de quarta fpecie qualitatis, in qua funt forma & figura, conftat ex dictis §. 2. num. 4.

Quò ad 2. p. nimirum quò ad qualitates primæ fpeciei; quæ funt habitus, & difpofitio, exploratum eft, fufcipere magis, & minus, ut de virtutibus, ac vitiis palam eft. Idem de qualitatibus tertiæ fpeciei, quæ funt paffio, & paffibilis qualitas, ut de calore, frigore, &c perfpicuum eft. De quibus fufiùs Guerinois hic q 2. art. 2. § 6.

7. Demum quò ad qualitates fecundæ fpeciei, quæ funt naturalis potentia, & impotentia, dico cum Cajet. quòd in duplici funt differentia. Quædam confequuntur immutabiliter, ut Intellectus, & voluntas Et hujufmodi non fufcipiunt magis, & minùs Quædam confequuntur naturam mutabiliter, ideft dependenter à difpofitionibus alterabilibus, ficut potentia vifiva dependet à difpofitionibus organi. Et hujufmodi poffunt intendi, & remitti, ut confpicuum

ſpicuum eſt eadem in viſiva potentia, quæ modò perfectior, modò imperfectior eſt ex diverſa organi diſpoſitione.
His præmiſſis

ARTICULUS PRIMUS.

Num Qualitatis intenſio fiat per additionem unius partis qualitatis ad aliam præexiſtentem in eadem ſubjecti parte.

§. I.

1. ANtequam controverſiæ punctum attingamus duæ jam hiſce temporibus exſoletæ opiniones ſunt refutandæ.

Una fuit Durandi, cui placuit, qualitatem intendi per hoc, quòd prior qualitas imperfecta depellitur, & corrumpitur, & alia perfectior inducitur ab intendente agente V.G. aqua de tepente fit fervens per hoc, quod prior ille calor imperfectus abjicitur novuſque vegetior gignitur. Et novum per calorem vult priorem deſtrui, non ratione alicujus oppoſitionis, ſed ratione ſuperfluitatis; quia calor perfectior continet eminenter illum priorem. Ob idque convincens minimè videtur ratio, quam ei opponit Guerinois hic q. 2. art. 2. §. 1.

Quæ opinio haud difficulter reſpuitur. Si namque vera hæc foret opinio, ſequeretur, quòd non ejuſdem fieret qualitatis intenſio; ſed debet ejuſdem fieri qualitatis intenſio: ergo &c. Probantur præmiſſæ, ſecùs non fieret intenſio. Siquidem non intenderetur qualitas prior, quia non ampliùs adeſſet, nec poſterior, quia tum iſta producitur, ſecùs eſſet idem produci, & intendi.

Adverſus Durandum faciunt etiam nonnulla, quæ §. ſequenti dicemus ad probandum, non fieri intenſionem per productionem alterius partis qualitatis num. 6.

Objectio quædam videri poteſt ſoluta apud Guerinois ubi ſupra.

2. Opinio alia fuit Ægidii, dicentis, qualitatis intenſionem fieri per depurationem à contrario.

Quæ etiam nullo refellitur labore. Primò. Siquidem licèt ad intenſionem major ſequatur à contrario depuratio, ſaltem dum qualitas habet contrarium, non tamen ipſa in depuratione conſiſtit intenſio; quia natura perſe intendit qualitatis intenſionem, deſtructionem verò per accidens, cùm actio perſe tendat ſemper ad eſſe, per accidens verò, & de conſequenti ad non eſſe: ergo priùs eſt, unam intendi, quàm aliam minorari qualitatem, adeoque &c.

Secundò. Extant qualitates, quæ intenduntur, & tamen non habent contrarium, Tum naturales, ut lux; Tum ſupernaturales, ut fides, ſpes & Charitas, quarum augmentum Eccleſia petit in collecta *da nobis, Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*; & tamen nequit earum explicari intenſio per depurationem à contrario, quia minima Charitas eſt inconcilliabilis cum lethali peccato, & minima fides omnem adimit infidelitatem, ſicut minima ſpes omnem deſperationem. Ob idque nunquam fides infidelitati, ſpes deſperationi, Charitas odio Dei permiſcetur.

Objectio quædam ſoluta videri apud Guerinois hic q. 2. art. 2. §. 5. ſub finem. His præmiſſis

3. Deveniendo ad difficultatis calcem.

Sententia, quam promovent Scotus, & frequentiùs exteri, eſt, quòd intenſio qualitatis fiat per additionem gradus ad gradum, non quidem gradus eſſentialis, & quidditativi, ſecundùm quem dici conſuevit gradus entis, gradus corporis, &c. Sed gradus materialis, entitativi, integralis, hoc eſt per additionem partialis qualitatis in eadem parte ſubjecti: ad differentiam extenſionis (ajunt ipſi) quantitatis, quæ fit per additionem partialis quantitatis in diverſa parte ſubjecti; & etiam extenſionis, quæ item diverſa fit in ſubjecti parte.

Sententia autem communis Thomiſtarum eſt, intenſionem qualitatis fieri per majorem radicationem in ſubjecto, ſumpta metaphora ab Arbore, quæ quò magis radices figit in terra, magis terræ adhæret, ac meliùs unitur. Diſſidium tamen emergit inter eos, num hujuſcemodi major radicatio fiat per productionem novi modi, ſive novi gradus modalis, de quo art. ſequenti. Interim

§. II.

CONCLUSIO.

Qualitatis intenſio fit per majorem in ſubjecto radicationem, & non per additionem novæ partialis qualitatis.

4. NEmo non cœcus erit, qui non dilucidè deprehendat, qualiter Hurtadus, Arriaga, & (quod majus eſt) P. Maurus, aliàs non ſemel Thomiſtica de doctrina bene-meritus cœco modo pro oppoſita citaverint ſententiam S. Th. cùm explicatè noſtram doceat innumeris propemodum in locis, ſed præſertim in 1. ſent. diſt 17. q. 2. art. 2. & p. 2. q. 52. art. 2. cujus verba legi apud Cav. poſſunt, & Guerinois.

5. Prob. 1. quò ad p. & 2 p. cum Lerma. In caſſum fit per plura, quod fieri per unum poteſt; ſed unicam per qualitatem jam præexiſtentem magis radicatam abſque novæ partialis qualitatis additione poteſt qualitatis intenſio fieri: ergo &c. Prob. min. Ad hoc, ut intenſior qualitas fiat, ſat eſt, quòd magis actuet ſubjectum; ſed poteſt magis ſubjectum per ſeipſam abſque novæ partialis qualitatis additione actuare: ergo &c. Conſequentia eſt exacta. Nec aliud intelligit Thomiſta per majorem radicationem in ſubjecto, niſi majorem ejuſdem ſubjecti actuationem. Præmiſſæ verò ſunt probandæ. Itaque

Prob. primitùs maj. Qualitas dum fit intenſior, magis afficit, & perficit ſubjectum, ſed magis afficit, & perficit inquantum magis actuat: ergo &c. Prob min. Magis afficit, & perficit inquantum magis unitur; ſed formam magis uniri ſubjecto eſt eum magis actuare: ergo &c Prob. utraque præmiſſa ſimul. Eatenus afficit, perficit, actuat quatenus unitur: ergo eatenus magis afficit, perficit, & actuat, quatenus magis unitur. Quemadmodum namque ſe habet abſolutè ad abſolutè, ita taliter ad taliter.

Prob. modò illa min. quæ mihi quondam inter arguendum negabatur, ac dicebatur, non poſſe formam modò magis, modò minùs actuare, & uniri poteſt magis fieri diſpoſitum ſubjectum; ſed quando ſubjectum eſt magis diſpoſitum forma eadem ſe ſola magis actuat, & unitur: ergo &c. Iterum præmiſſæ ſunt probandæ. Prob. itaque primitùs maj. Si ſubjectum non poſſet fieri magis diſpoſitum, nec novas partiales qualitates, quas adverſarius aſtruit, ſuſcipere poſſet; ergo &c. Prob. ant. Major ad illas requiritur diſpoſitio: ergo &c. Prob. ant. Tum à pari. Ad qualitatem requiritur diſpoſitio: ergo & ad majorem qualitatem major diſpoſitio. Tum experimento. V. G. quemadmodum intellectus acumen, memoriæque robur vel à natura datum, vel labore & ſtudium comparatum requiritur ad ſcientiam; ita majorem ad ſcientiam, majus exigitur intellectus acumen & memoriæ robur plerumque labore, & ſtudio potiùs auctum, quàm natura inditum. Deinde prob min Forma actuat ſubjectum, ſeu unitur ſubjecto ut diſpoſito: ergo ſubjectum magis diſpoſitum magis actuat, ſeu, quod idem eſt, ſubjecto magis diſpoſito magis unitur. Prob. conſeq. ſicut ſe habet abſolutè ad abſolutè, ita taliter ad taliter.

Objectio quædam ſolvetur §. ſequenti 3. ad 1. arg. num. 7.

6. Prob. 2. Explodendo partiales illas qualitates ſic. Si nova adveniret qualitas, vel eſſet eadem cum prima, vel alia à prima; ſed propugnari neutrum poteſt: ergo qualitatis intenſio non fit per additionem partialis qualitatis. Min. quò ad p. p. nitet, Tum quia ut ſeſtinè videbimus eſt ſeparabilis. Tum quia quod additur alteri realiter, eſt realiter ab eo diſtinctum, cùm nihil addatur ſibi ipſi. Quò ad 2. verò prob. Ad hoc, ut intenſior fiat qualitas, debet major fieri; ſed per qualitatem, quæ fit alia à prima non fit major: ergo &c. Explicatur min. V. G. ſi per impoſſibile uni intellectui alius adderetur intellectus tametſi perſpicacior non faceret intellectum illum perſpicaciorem, ſed plures faceret intellectus, licèt Anima perſpicaciùs per ſecundùm intelligeret.

Non me præterit, Adverſarios velle, quòd intellectus ſit realiter indiſtinctus, & multò magis inſeparabilis ab anima. At nos modò hanc facimus hypotheſim, & hac in hypotheſi conſequentiam fundamus: non ſecùs ac in hypotheſi eſſet exacta iſta *Homo volat: ergo habet alas*.

Nec reponere cum Mauro juverit, argumentum procedere falſa ex imaginatione, quia imaginamur, quòd in-

tensio ista fiat per hoc, quòd qualitas nova addatur qualitati præexistenti. Quod tamen est falsum, cùm fiat additio per hoc, quod qualitas illa meliùs educatur.

Non, inquam Ratio siquidem, ob quam intellectus additus alteri non facit eum majorem, est quia est alius ab illo, non verò quia fuerit præexistens: ergo ratnetsi qualitas illa, quæ additur præexistens &c. Prob. ant. Si per impossibile ille præexistens intellectus fieri unus, atque idem posset intellectus cum præexistenti, cui adderetur, ita quòd non esset alius ab illo, faceret ipsum majorem, & perspicaciorem: ergo ratio &c.

Dices præterea cum aliis, quòd qualitas illa est alia, non quidem totalis, sicut sunt totales duo nummi, sed partialis cum alia partiali unam conflans totalem. Sed

Contra. Si forent partiales, deberent invicem uniri ad unam conflandam totalem; sed nequeunt sic uniri; ergo &c. Prob. min. Si unirentur vel deberent uniri per continuationem, sicut partes integrales, vel per identitatem, vel per informationem, idest per modum formæ cum subjecto; sed nullo ex his modis possunt invicem uniri: ergo &c Prob. min. Et 1. quò ad p. p. in qua major sita est difficultas. Unisi per continuationem cùm sit uniri divisibiliter, soli competit quantitati, cujus propria est divisibilitas, & aliis formis accidentalibus ratione illius; sed impossibile est, qualitatem in sui intensione esse capacem talis unionis ratione quantitatis: ergo &c. Prob min. Intensio debet esse circa eandem subjecti partem, secùs extensio, & non intensio qualitatis foret; sed repugnat, quod præfata unio fiat circa eandem subjecti partem, cùm pars quantitatis continuata cum præexistenti non sit in eadem subjecti parte; ergo &c. Insuper præfata continuitas non omnibus competit qualitatibus. Non enim convenit qualitati spirituali, cùm continuum sit divisibile.

Prob. modò illa min. quò ad 2. p. Quæ realiter distinguuntur non uniuntur per identitatem, cùm distinctio sit identitatis carentia; sed qualitas illa, quæ recenter uniretur præexistenti distingueretur realiter ab illa: ergo non uniretur cum illa per identitatem. Prob min. Nullum majus realis distinctionis signum, quàm realis separatio; sed qualitas illa superveniens esset realiter separabilis, ut niter dum postea qualitas fit denuò remissa, imò prior illa qualitas antequam intenderetur existebat sejuncta ab illa, quæ supervenit: ergo &c.

Prob. demum quò ad 3. p. Si uniretur cum priori per informationem ut forma cum subjecto *quo* (subjectum enim *quod* est substantia, V. G subjectum *quod* Charitatis est Anima, & non alia Charitas) vel uniretur ut forma totalis, vel ut forma partialis; sed propugnari neutrum potest; ergo non unitur ut forma informans aliam. Prob. min. & 1. quò ad p. p. Si esset forma totalis esset alia à prima, sicque non posset reddere illam perfectiorem, ut nuper de intellectu dicebam. Prob 2. quò ad 2. p. Si uniretur ut forma partialis, tum peto, vel prior illa qualitas se habet ut subjectum totale, vel partiale respectu alterius advenientis. Si se habet ut subjectum totale, ergo & qualitas superveniens se habet ut forma totalis, cùm subjectum, & forma aptari debeant. Si ut subjectum partiale. Tum peto, quomodo istud partiale subjectum uniatur cum alio partiali ad faciendum unum totale, & quomodo partialis hæc forma uniatur cum alia partiali ad unam faciendam totalem, num nimirum per continuationem, vel per identitatem, vel per informationem. Sicque eadem redit difficultas.

Adde, quòd oppositæ sententiæ Patroni sunt invicem diffidentes, num partiales istæ qualitates sint ejusdem, vel diversæ speciei; num sint æqualis, vel inæqualis perfectionis, sive homogeneæ, vel heterogeneæ. De quo art. sequenti.

§. III.

Solvuntur oppugnantium argumenta.

7. ARg. 1. ex Scoto. Extant qualitates magis intensæ, quæ sunt minùs in subjecto radicatæ: ergo qualitas non intenditur per majorem in subjecto radicationem. Prob. ant. Rubor ex verecundia causatus est magis intensus, quàm rubor ex naturali causatus temperamento, & Febris efimera est magis intensa, quàm febris Ectica; sed febris efimera est minùs radicata quam febris Ectica; & rubor ex verecundia minùs radicatus, quàm rubor ex naturali temperamento: ergo &c. Prob. min. Qualitas magis radicata difficiliùs removetur quàm minùs radicata, ut liquet ex metaphora, qua utitur Thomista de arbore magis radicata, quæ sanè difficiliùs evellitur quàm minus radicata; sed efimera faciliùs depellitur, quàm Ectica, & rubor ex verecundia faciliùs evanescit, quàm rubor ex naturali temperamento: ergo &c

Conf. Lux quantumcunque intensa sit eadem semper facilitate removetur ex corporis luminosi absentia, ac lux parùm intensa.

Urg. Veritas stat in indivisibili; & tamen est amovibilis à propositione in materia contingenti, inamovibilis verò à propositione in materia necessaria.

Resp. nego ant. Ad prob. nego min. cujus ad prob. nego maj. si universaliter loquatur. Ad annexam prob. dico, metaphoram illam valere, non quantùm ad omnia, sed quò ad aliqua duntaxat, nimirum quò ad hoc, quòd quemadmodum arbor magis radicata majorem obtinet virtutem ad V. G. producendos fructus, &c. ita qualitas magis intensa quia magis radicata majorem obtinet virtutem, & efficaciam ad operationes exercendas. Non autem quasi quod radices mittat, nisi metaphoricè, idcirco dicitur metaphora. Itaque per ly *magis radicari* non intelligitur firmiùs, seu tenaciùs uniri, ac difficiliori cum removibilitate, sed intelligitur meliùs uniri, quatenus qualitas meliùs, magisque communicatur, inquantùm quòd ab initio communicatur ipsa qualitas tota, sed non totaliter. Idcircò potest successivè magis, ac magis se illi communicare in majorem se explicando virtutem.

Contra. Formam meliùs uniri, magisque subjecto communicari est illi communicari difficiliori cum amissibilitate: ergo cum difficiliori removilitate. Prob. Ant. Qualitatem magis uniri, & meliùs subjecto communicari est magis, & meliùs ipsum informare, sed magis informare est informare cum difficiliori amissibilitate: ergo &c. Min. prob. Forma magis, & meliùs informans est perfectior in esse formæ; sed forma perfectior in esse formæ est quæ difficiliùs cum amissibilitate informat: ergo &c. Prob. min. Hac siquidem ratione Thomista 2. Phys. propugnat, sicut & nos ibi q. 3. propugnavimus, materiam primam sublunarem æqualiter omnes, perfectiores, & imperfectiores appetere formas, quia istarum una non est alia perfectior in esse formæ, eo quod amissibiliter cunctæ informant.

Resp. nego ant. si universaliter loquatur. Ad prob. nego eodem modo min. cujus ad prob. data maj. dist. min. si sit forma perfectior perfectione consistente in indivisibili etiam virtualiter divisibilitate intensionis, & remissionis, hoc est incapaci intensionis, & remissionis, ut est formæ substantialis perfectio, concedo, secùs, nego min. & conseq. Cùm etenim ut in præloquio §. 1. vidimus substantialis forma non sit intensionis, & remissionis capax, tota, & totaliter confestim à principio communicatur, adeoque perfectio ejus major, vel minor in esse formæ minimè pensatur per hoc, quod modò minùs, modò magis communicetur subjecto: Idcircò duntaxat consideratur ex eo, quod amissibiliter vel inamissibiliter informat. Oppositum autem evenit in qualitate oppositam propter rationem.

Ea ex re nitet, quòd ibi perfectiùs, & magis uniri in alio sumebatur sensu, ac modò sumatur. Imprælentiarum namque sumitur prout idem est, ac forma tota, sed non totaliter communicata subjecto, quæ proindè succedaneè magis, & magis ei communicatur, magis, ac magis se explicando in sui virtutem.

Dices. Haud perceptibile videtur, quòd forma communicetur tota, & non totaliter: ergo chimærica hæc est doctrina. Prob. ant. Siquidem non videtur, nisi nominis mutatio.

Resp. nego ant. Ad prob. dicatur, verum id esse grammaticaliter, secùs verò philosophicè. Idque dilucido ex dictis in Logica Syntag. 1. prodromo §. 1. & ibi §. 6. ad 3. arg. exemplo scientiæ perfectæ extensivè, & non intensivè. Quandoquidem ponas, quòd totam quis obtineat Philosophiam, cum rationibus demonstrativis omnium conclusionum, sed aliàs non cum tota illa possideat perfectione, qua possit à cunctis oppugnationibus, & sophismatibus se tutari. Iste totam obtinet Philosophiam, sed non totaliter, & omni cum intensione. Ob idque cum forma dicitur tota communicata totalitate ex parte formæ, sed non totalitate ex parte subjecti.

Imò idem proportionali quodam modo dic de extensione qua-

qualitatis. Eapropter in Logica Syntag. 5. qui fuit ad libros Post. q. 3. art. 2. scripsimus, quòd postquam per unum actum quis comparavit scientiæ habitum quòad substantiam, dum postmodum reliquas acquirit conclusiones, non acquirit novum habitum, sed majorem duntaxat extensionem, majoremque ejusdem habitus explicationem.

Oppugnabis. Quòd forma non communicet subjecto omnem effectum formalem, quem potest, explicando omnem imperfectionem, oritur ex indispositione subjecti, ejusque ineptitudine ad omnem recipiendam perfectionem; sed interdum subjectum est capax, & æqualiter dispositum ad recipiendam qualitatem intensam, & tamen suscipit remissè: ergo non est quia forma communicetur tota, & non totaliter. Maj. patet inductivè. Ideo namque species sensibilis non recipitur in aere secundùm rationem formalem principii sentiendi, quia aer est sensus incapax: Ideo Anima non præstat gradum sensitivum capillis, quia isti non gaudent dispositionibus requisitis ad sentiendum; & sic de reliquis. Et ratio est, quia causa naturalis causat quantùm potest, nisi fuerit impedita. Forma autem est sui effectus causa naturalis. Min. etiam est palam. Aer namque purgatus, & limpidus est dispositus ad recipiendum lumen intensum, sicut remissum; & tamen si ei apponatur luminosum remissè, recipit lumen remissum: Et universim forma nullum habens contrarium in subjecto, ex nulla parte videtur impedita ad omnem suum formalem communicandum effectum.

Resp. dist. maj. semper, nego, secùs, concedo. Nonnunquam etenim provenit ex defectu agentis effectivi, vel quia ceu debile est impotens ad producendam qualitatem intensam, ut in casu de luminoso corpore remisso; vel quia interdum prolixius requiritur tempus, & parùm ipsum agens est applicatum cum exigua mora: vel etiam aliquando quia si agens est liberum, non vult. Sicut quòd objectum imperfectè cognoscatur esse potest ex defectu potentiæ impotentis taliter cognoscere, vel voluntatis nolentis perfectiorem ad actum applicare.

8. Arg. 2. Ideo in qualitatis intensione non additur nova partialis qualitas, quia duo accidentia solo numero distincta nequeunt in eodem numero subjecto contubernium habere; sed hoc vanum est: ergo &c. Prob. min. variis modis in Meth. ab exteris, ubi per Nostrates solvuntur, & nos ibi q. 12. art. 6. soluta faciemus.

Resp. dist. maj. & hæc est ratio, qua nos utimur impræsentiarum, nego, secùs, concedo maj. & omissa min. nego conseq. Interim ab illa præscindimus controversia, adeoque repugnantia, quam producimus non est quia subjectum recipere eas non queat, sed Tum quia, uti vidimus num. 5. essent superfluæ; Tum quia ut scripsimus num. 6. non est excogitabilis modus, quo invicem unirentur.

9. Arg. 3. Quantitas augetur extensivè per additionem partialis quantitatis in diversa subjecti parte: ergo pariter qualitas augetur intensivè per additionem partialis qualitatis in eadem subjecti parte.

Resp. primodùm, nego conseq. & paritatem, quæ potiùs stat pro nobis. Diverso siquidem modo fieri debent. Præterea discrimen assignabitur infra q. 6. art. unico §. 7. ad 5. arg. sub num. 25 & aliud fuit assignatum in Logica Syntag. 4. q. 5. art. 4. ad 4. arg. & iterum ibi tract. 5. q. 3. art. 2. § 3. sub num. 11.

10. Arg. 4. Idem manens idem semper facit idem: ergo si calor remissus, & intensus est idem realiter calor indivisibilis, sequitur, esse impossibile, quod remissus faciat minus, & intensus faciat magis calidum.

Resp. dist. ant. Si maneat idem, & in eodem statu, concedo, in diverso statu, nego. Calor namque intensus obtinet statum majoris, & perfectioris communicationis sui ipsius subjecto, ut explicui num. 7. Planum autem est, magis radicatam majorem obtinere vim.

Dices. Calor intensus alios habet effectus reales, & non tantùm effectus diversi status: ergo nedum se habet diverso in statu, sed aliam entitatem superadditam continet. Prob. ant. Calor intensus est principium perfectioris actionis: ergo &c.

Resp. dato ant. loquendo de effectibus provenientibus in genere duntaxat causæ efficientis, nego conseq. Cùm etenim non tanta requiratur distinctio in principiis, quanta in principiatis, eò quòd palam est, ab una, eademque causa plures realiter distinctos provenire effectus: Inde est, quòd etsi in diverso duntaxat virtualiter statu, potest effectus realiter distinctos ipse calor habere.

11. Arg. 5. Homo per actum Charitatis meretur gratiæ augmentum, & gloriæ; sed novam meretur entitatem gratiæ, & gloriæ: ergo intensio fit per additionem novæ entitatis. Prob. min. Tum quia actus Charitatis constituitur meritorius ab ipsa entitate gratiæ: ergo præmium illi correspondens non est tantùm nova major explicatio, & major communicatio, secùs præmium esset merito inferius, quia explicatio est inferior re, cujus est explicatio. Tum quia ex opposito sequeretur, plùs mereri actum remissum ut unum, quàm intensum ut octo. Siquidem si puer baptizatus ad usum rationis perveniens eliciat actum Charitatis ut unum, per illum meretur entitatem ipsam gloriæ, quam non supponit antecedenter præmeritam: Si verò postmodum eliciat actum intensum ut octo, meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, quod augmentum fit per novum modum explicationis, & radicationis in subjecto; sed modus semper est imperfectior re, cujus est modus: ergo plùs meretur actus ut unum, quàm actus ut octo.

Resp. ad hoc, quod fusiùs proponitur in Tractatu de Gratia, nego min. Ad 1. prob. nego conseq. ad cujus prob. annexam, nego sequelam. Quandoquidem licèt seorsim inspecta major illa explicatio sit minor, secùs tamen simul cum illa entitate, quæ sic magis explicatur. At per Charitatis actum meretur totam Gratiæ entitatem, non quidem absolutè (quia hoc modo cùm sit principium meriti non cadit sub merito) sed reduplicativè ut illud importat augmentum, seu, quod idem est, majorem radicationem, & explicationem; ita quòd nisi meruisset, & aliàs cadere sub merito posset, mereretur ejus entitatem, & etiam majorem illam explicationem. Vel dico, quòd licèt esset inferius veluti materialiter, & in esse entis, secùs verò formaliter, & in esse præmii, ac in esse gloriæ, quia hoc modo major explicatio illa se habet ut pretiosior.

Per quod habes ad 2. Quandoquidem per actum intensum ut octo meretur novum modum illum, non seorsim, sed unà cum ejus entitate; & meretur talem entitatem, non quidem absolutè inspectam, quia prout sic eam præmeritam supponit, sed reduplicativè ut dicit modum illum: non secùs ad dictum illud, quòd *finis operantis est operata* interpretari per Nostrates consuevit, quòd finis est ipsa operatio in concreto, nimirum quòd finis operantis sit ipsum operans, non quidem absolutè, quia hoc modo est principium operationis, sed reduplicativè ut operans. Vel dicas ut supra, duntaxat sequi, quòd per actum intensum ut octo mereretur minùs minoritate in esse entis, & materialiter; at non minùs minoritate formali; & in esse gloriæ. Dici demum posset, quòd licèt modus modaliter distinctus sit inferior re, cujus est modus, secùs tamen modus virtualiter tantummodo distinctus, ut in casu nostro.

12. Arg. 6. Potest divinitùs separari à nive, papyro, &c. albedo; sed nivis albedo sic separata esset magis intensa, quam papyri albedo itidem separata: ergo intensio fit major sine subjecto.

Conf. Forma per hoc, quòd recipitur in materia limitatur; ob idque forma omnino irrecepta est penitùs illimitata secundùm D. Th. ergo quò magis radicatur magis limitatur; sed qualitas intensa non est magis limitata, quàm remissa, secùs imperfectior foret: ergo &c.

Ad arg. Compl. Lerma, Mazziotta & alii negant min. ac dicunt, qualitatem à subjecto sejunctam nec intensam, nec remissam esse, quia licèt qualitatis essentia consistat in aptitudine ad inhærendam, non tamen qualitatis intensio in aptitudine ad magis inhærendum, quia aptitudo hæc stat in indivisibili, & æqualiter competit qualitati, & ex natura ipsius qualitatis, cujus est proprietas posse magis, & minùs à subjecto participari. Ob idque intensio sita est ipsa in actuali explicatione formæ ad subjectum. Quibus favet S. Th. p. 2. q. 53 art. 2. ad 3. ubi docet, quòd intensio, & remissio attribuitur accidenti ex parte subjecti: Idcircò non dicitur de illo in abstracto, sed in concreto. Eapropter non dicitur, quòd hæc est magis albedo, sed quòd hoc est magis album.

Jo: autem à S. Th. Ferre, Guerinois hic §. 5. ad 6. arg. & alii faciliùs respondent concedendo min. & distinguendo consequens, non fit per majorem radicationem actualem, concedo, aptitudinalem, nego conseq. Tripliciter considerari qualitas potest respectu radicationis in subjecto. Primò ut in actu secundo radicata. Et hoc pacto qualitas constituitur intensa connaturaliter, & de potentia ordinaria: Intensio siquidem per nos in eo consistit, quòd qualitas

explicatur, & radicatur secundùm novam virtualitatem, quod non habetur, nisi subjecto uniatur. Secundò, ut radicabilis potentia remota, & indifferenti ad omnem tantitatem explicationis graduum. Et hoc pacto nullam dicit intensionem, sed duntaxat intensibilitatem, quæ est proprietas qualitatis intensibilis. Tertiò, ut radicabilis potentia proxima, quæ consistit in eo, quòd qualitas insit in actu exercito secundùm plures virtuales gradus, taliter quod alia absque intensiva actione si simpliciter uniatur subjecto sint exercitè communicabiles illi tot, & non plures gradus.

Et hoc haud ægrè intelligitur. Quemadmodum enim qualitas naturaliter non subsistit *ut quod*, sed intensio est in actu per illam, propterea connaturalis intensio illius in majori consistit explicatione in ordine ad subjectum magis reductum in actum ipsius secundùm plures gradus: Ita quia divinitùs separata à subjecto supernaturaliter existit in seipsa *ut quod* potest dici intensa, vel remissa per hoc, quod in sa exercitè est reducta in actu secundùm hos, & non alios gradus, semper tamen cum habitudine ad subjectum.

13. Arg. 7. ex Arriaga. Sensus percipit qualitatis intensionem; sed non percipit majorem qualitatis in subjecto radicationem: ergo &c. Prob. min. Percipi nequit radicatio in subjecto, nisi percipiatur subjectum, in quo fit radicatio; sed sensus non percipit qualitatis subjectum: ergo &c. Prob. min. Subjectum qualitatis est substantia; sed substantia non est sensibilis: ergo &c.

Resp. nego min. Cum namque intensio sit ipsamet major radicatio nequit percipi intensio, quin major percipiatur radicatio. Ad prob. dist. maj. nisi perse, vel per accidens percipiatur subjectum, concedo, perse, nego maj. & distincta min. nego conseq. Substantia autem estò non perse, benè tamen ratione qualitatis est sensibilis. Quemadmodum autem percipi potest unio qualitatis cum substantia, estò perse substantia sensibilis non sit, ita & major unio, quæ idem est, ac major radicatio.

14. Arg. postremò S. Th. q. de virtutibus in communi art. 11. in corp. *ponere*, inquit, *quod aliqua qualitas non augeatur secundùm essentiam, sed augeatur secundùm radicationem in subjecto, & secundùm intensionem actus, est ponere contradictoria esse simul vera*. Similia habet 2. 2. q. 24. art. 4 ad 3. ubi *quidam*, inquit, *dixerunt Charitatem non augeri secundùm suam essentiam, sed secundùm radicationem in subjecto, sed hi propriam vocem ignoraverunt*.

Resp. quòd licèt quid magni præseferat authoritas illa solis in allatis sistendo verbis; tamen si reliqua, quæ ibi S. D. habet legeris deprehendes, explicatè ibi nostram docere sententiam. Itaque Angelicus nonnullos ibi reprehendit, qui asseverabant, quòd augeretur secundùm radicationem in subjecto, & non secundùm essentiam, cùm impossibile sit, qualitatem, cujus essentia est in ordine ad subjectum, augeri secundum radicationem in subjecto, & non augeri secundùm essentiam.

Dices. S. Th. Dum reprehendit eos, qui nolebant augeri secundùm essentiam, vult quòd augeatur per additionem partis ad partem: ergo ista est Aquinatis mens. Prob. ant. Secundùm essentiam nequit augeri quò ad essentialia, quia essentiæ sunt sicut numeri, in divisibili: ergo &c. Sanè nequit ei aliquod essentiale addi prædicatum.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. sumpta essentia formaliter, concedo, subjectivè, idest ex parte subjecti, nego. Hoc namque modo potest augeri, hoc est meliùs uniri.

15. Aliud objici argumentum posset, videlicet quòd calor ignis V. G. quolibet in instanti est ejusdem speciei: ergo sicut in primo instanti producit entitatem caloris, ita & in secundo.

Verùm ad hoc habes ex dictis in Logica Syntag. 5. quod fuit ad libros Post. q. 3. art. 2. §. 3. ad 3. arg. sub num. 8. verum fore consequens, nisi impedimentum obesset. Obstat autem, quia in secundo instanti cùm supponat entitatem qualitatis jam productam nequit iterum eam producere. De quo iterum art. sequenti §. 3. ad 1. arg. Undè fit

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo ista major qualitatis radicatio in subjecto fiat.

§. I.

1. PLacuit Capreolo, & Astadillo in 1. sent. dist. 17. fieri per hoc, quòd perfectiorem qualitas existentiam acquirat amissa priori imperfectiori. Qualitas namque per illam perfectiorem existentiam perfectiùs operatur, quia unumquodque operatur inquantum est in actu.

Quod tamen placitum obsoletum jam extat, & meritò. Perfectior namque existentia perfectiorem supponit essentiam, cùm omnis existentia sive adæquata, sive inadæquata ad essentiam sequatur.

Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum, cujus ad annexam prob. Resp. quòd dictum illud *unumquodque operatur inquantum est in actu* vel intelligitur de actu formæ. Vel ly *inquantum* solam reduplicat conditionem, non secùs, ac dum dicitur, quod ignis inquantum approximatus candefacit.

2. Secunda vult, fieri ratione unionis, quam dicit, esse modum superadditum inter formam, & subjectum, ita quod dum intenditur novam acquirat unionem. Sic Gregor. Martinez apud Jo: à S. Th.

Tertia asseverat, fieri per acquisitionem novi modi, qui reductivè duntaxat ad qualitatis illius speciem attineat. Stare pro hac videtur Jo: à S. Th. & novissimè Guerinois post Goudin.

3. Quarta, & ultima etiam novi modi realem superadditionem respuit, ac docet, quòd eadem qualitas constituit seipsa quale intensum connotans majorem applicationem agentis, & juxta diversam applicationem diversimodè magis, vel minùs constituit intensam. Istam propugnant Lerma, & novissimè Magister Ferre in Theol. tom. 2. tract. 3 qui est de Charitate quæst. 15. §. 5. ubi citat Cajet. & alios, Cavinua & alii, quos sequitur clarissimus ex nostris quidam in m. s. Cum quibus

§. II.

CONCLUSIO.

Major ista qualitatis radicatio, non per modum aliquem, aut gradum realiter superadditum, sed virtualiter duntaxat distinctum, fit.

4. PRob. 1. Si per modum, aut gradum realiter superadditum intensio qualitatis fieret, etiam qualitatis extensio deberet per modum aliquem realiter superadditum fieri; sed hoc secundum respuendum venit: ergo & primum. Maj. enitescit. Quemadmodum namque per intensionem qualitas mutatur, & aliquid acquirit, quod priùs non obtinebat intensivè, ita per extensionem mutatur extensivè, & aliquid acquirit, quod priùs extensivè non habebat. Min. autem prob. Tum quia nemo Thomistarum (inter quos duntaxat lis hæc intentatur) in extensione, puta habitus scientiæ mentionem facit modi alicujus, aut unionis, aut novæ existentiæ recenter advenientis, ut vidimus in Logica Syntag. 5. quod fuit ad libros Post. q. 3. art. 2. Tum quia sequeretur, quòd etiam dum extenditur relatio ad plures terminos, sicut scientia ad plura objecta ejusdem rationis, adderetur etiam ipsi relationi novus modus, nova unio, aut existentia realiter superveniens. Hoc Thomistarum nemo scripsit. Imò adduci exemplum ibi consuevit de visiva potentia, quæ dum ad novum extenditur objectum non acquirit novum modum, aut novam unionem, aut novam existentiam realiter superadditam, ut exploratum apud omnes est.

5. Prob. 2. ratione consimili, ei, quam indigitavi antegresso art. §. 2. num. 6. in fine. Modus iste realiter superadditus vel est æquè perfectus, vel perfectior ipsa entitate qualitatis; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Min. quò ad p.p. luce ipsa clarior extat; si namque perfectior non est, jam dum intenditur qualitas non perficitur. Quò ad 2. prob. Tum quia nequit modus esse perfectior re, cujus est modus. Tum quia cum modus sequatur ad rem cujus est modus, perfectior modus rem perfectiorem supponit.

6. Prob. 3. Guerinois, Goudin, Jo: à S. Th. & alii, qui nobiscum in 1. Phys. respuerunt modum unionis inter materiam,

teriam, & formam, pariformiter inter qualitatem, & subjectum tenentur unionis modum respuere. Videatur Lerma de hoc.

7. Prob ultimò. Isti, qui superadderentur modi vel forent ejusdem, vel diversæ speciei; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Prob. min. & 1. quò ad p. p. quia ex opposito sequeretur, plura numero accidentia contubernalia eodem in subjecto esse. Quod absit Thomistico ab ore. Secundò, quo ad 2. p. Omnes hujuscemodi modi ejusdem forent speciei cum entitate qualitatis; sed qualitatis entitas est unius speciei: ergo & omnes illi modi. Min. non revocatur in dubium. Maj. prob. Uno ore universi Thomistæ profitentur, quòd modus reducitur ad speciem rei, cujus est modus, ut de motu, existentia, &c.

Hanc prævidit molestiam Guerinois, qui utramque tentat partem tutari. Et primò dicit, esse diversæ speciei modalis, licèt non entitativæ, ut est entitatis qualitatis species. Secundò quòd sint ejusdem speciei, sed quòd posteriori perfectiori adveniente prior imperfectior destruitur. Sed

Contra primam. Deberent ejusdem esse speciei etiam modalis; ergo ruit responsum. Prob. ant. Ab entitate rei nequeunt sumere speciem, nisi modalem; sed ab entitate qualitatis sumerent speciem, quæ est una, atque eadem; ergo &c. Min. innotescit, quia qualitatis entitas, quæ intenditur, est una specie, imò & numero. Maj. prob Nequeunt sumere, nisi speciem, quæ competere eis potest; sed talibus modis nequiret competere species, nisi modalis: ergo &c.

Contra secundam. Si adveniente posteriori destrueretur prior, jam ille prior non ampliùs remanet, ceu destructus. Tum peto. Dum calor intensus ut septem remittitur, & fit remissus, remanetque intensus duntaxat ut sex, per quid remanet intensus ut sex. Non per modum ut sex, quia destructus iste fuit adveniente modo ut septem; ergo non dantur isti modi.

Respondet idem Guerinois, quòd tunc de novo quandam per resultantiam novus producitur modus ut sex; & producitur virtute illius agentis, à quo productus priùs fuerat modus ille ut sex postea destructus, quia illud agens reliquit calorem illum dispositum ad modum ut sex. Et licèt agens illud sit nonnunquam absens formaliter; est tamen præsens per suam virtutem ibi relictam. Sed

Contra. Plerumque illud idem est agens, quod produxerat modum ut sex, & ut septem; sed nequit ab illo novus produci modus ut sex dum calor V. G. Aquæ desinit esse intensus ut septem: ergo nequit tum novus produci modus ut sex illo eodem ab agente, à quo fuerat priùs productus modus ille ut sex postea destructus. Prob. min. Illud agens absens non minùs habet virtutem producendi modum ut sex, quam conservandi modum ut septem; sed cum nequit conservare modum ut septem, secus non fieret remissus ut sex: ergo neque &c.

Reliquum igitur est à sufficienti divisione, quòd talis major radicatio fiat per gradum, sive modum duntaxat virtualiter distinctum.

§. III.

Oppugnantium argumentationes dissolvuntur.

8. ARg. 1. Subjectum media qualitate mutatur formaliter realiter, sed realis mutatio fit per acquisitionem, vel deperditionem alicujus realis: ergo cùm aliàs hoc reale non sit nova qualitatis pars, erit nova unio, aut novus modus, sive gradus realis. Min. dubio non est obnoxia. Maj. Prob. Mutari realiter est aliter se habere realiter nunc, ac priùs; sed subjectum dum de minùs albo V. G. fit magis album, aliter realiter se habet dum est magis, ac quando erat minùs album: ergo &c.

Resp. dist maj. mutatur duntaxat unitivè, concedo, entitativè, nego maj. & distincta min. nego conseq Mutatur namque unitivè, non quia aliquid de novo uniatur, sed per hoc, quod eadem magis unitur forma, ut scripsi retroacto art. §. 3. ad 1. arg.

Contra. Intensio est realis motus alterativus, realisque alterativa actio; sed realis motus debet realem suum obtinere terminum, realisque actio debet realem suum sortiri effectum: ergo in intensione debet reale quidquam acquiri.

Resp. dist. maj. est realis motus purè unitivus, realisque actio purè unitiva, concedo, effectiva novæ realitatis, nego maj. & distincta min. nego conseq. Sicut namque conscripsi 1. Phys. q. 3. art. 3. §. 3. ad 1. arg. quòd generatio, seu actio generativa extat purè unitiva, & nullatenus effectiva entitatum. Ita dico impræsentiarum, alterationem, motumque extare alterativum purè unitivum, idest actionem magis unitivam, & nullatenus novæ realitatis effectivam.

Contra. Alterativus motus, seu alterativa actio est ejusdem speciei, nimirum alterativæ cùm in principio faciendi quale subjectum, tum in intensione qualitatis; sed in productione primæ qualitatis est motus, non purè unitivus, nec actio purè unitiva, benè verò effectiva qualitatis, secùs nunquam entitativè efficeretur ipsa qualitas: ergo & in intensione non erit purè unitivus, &c.

Resp. ex dictis antegresso art. §. 3. sub n. 15. concessa maj. & min. concedo etiam consequens, per se loquendo, nisi per accidens, & ab extrinseco impediatur, ut in casu nostro.

Inst. Repugnat, quòd motus impediatur ab acquisitione sui termini, cùm sit ipsa termini acquisitio; & quòd actio à suo impediatur effectu, cùm sit ipsa causalitas: ergo solutio nulla.

Resp. nego conseq. & suppositum consequenti. Supponit namque quòd impediatur à sui termini acquisitione, & à suo effectu, & termino. Terminus motus purè unitivi, & effectus actionis purè unitivæ non est nova realitas, sed est major unio ejusdem qualitatis unitæ. Ab ista autem majoritate unitiva, quæ est quid majus duntaxat unitivè, ac explicativè, sivè terminativè, non verò entitativè, neutiquam impeditur, sed illam obtinet.

Repl. Alterationis motus (uti dictum jam est) ejusdem est speciei tùm in principio reddendi quale subjectum, tum in intensione qualitatis; sed tunc non est purè unitivus: ergo neque in intensione.

Resp. dist. min. permissivè ex sui essentia, concedo, positivè, nego min. & conseq Quemadmodum namque scripsi in Logica in Posterioristicis q. 3. art. 2. §. 3 ad 3 arg. sub n. 8. quòd actus primus, aut secundus in scientia non est per se essentialiter positivè aut primus, aut secundus, sed duntaxat permissivè: ita primus motus, & prima actio alterativa reddens primò subjectum quale, poterat esse secundus intendens. Eam ob rem quemadmodum motus intensivus, & actio intensiva permissivè duntaxat per se est productiva novæ realitatis, nisi nimirum ab extrinseco impediretur; ita & primus. Idcircò non est necessè, quòd in primo sui statu, etiam intensivo sit novæ realitatis productivus.

Ex re te infertur, quòd subjectum in intensione qualitatis acquirit quidem aliquid reale de novo; non tamen entitativè, sed purè unitivè, purè terminativè, purè explicativè.

Infertur etiam qualiter virtualis distinctio sufficiat ad id hoc modo recenter acquirendum. Distinctio namque virtualis licèt non sufficiat ad salvanda prædicata illa contradictoria, produci unum, & non produci aliud entitativè: benè verò sufficit ad verificanda produci unum, & non produci aliud purè unitivè, purè terminativè, purè explicativè. Sic etiam separari unum ab alio, non entitativè, sed purè unitivè quo ad minùs uniri, aut purè explicativè, &c.

9. Arg 2. Quemadmodum qualitas magis perficit subjectum dum intenditur, ita Anima præbendo ordine quodam materiæ diversos gradus, magis perficit materiam dum post corporis gradum præbet illi gradum vitæ, gradum sensitivi, &c. Sed hoc non obstante Anima, quæ prout sic dicitur se explicare in diversos gradus virtualiter duntaxat distinctos, non dicitur intendi, aut remitti: ergo & qualitas si tantummodo se explicaret in diversos gradus, non diceretur intendi, aut remitti.

Resp. nego conseq. & par. Discrimen est, quia alterationis motus, per quem fit etiam intensio, ceu motus continuus, ut scripsimus antegressa q. 4. art. unico, non fit in instanti, nec tenemur oppositam probabilem conciliare sententiam, cùm & ea quam modò tutamur, non sit communis. Anima autem eodem in instanti reali temporis, & in quo tribuit materiæ capaci gradus omnes quadam cum prioritate, & posterioritate instantium naturæ, & *à quo*.

Adde aliud discrimen, quia omnes illi diversi gradus, quos

quos Anima tribuit, sunt singuli differentiæ quædam essentiales, diversam constituentes speciem. At gradus qualitatis, V. G. caloris, sunt duntaxat quid magis perfectivum ejusdem speciei perfectio unitiva, terminativa, &c

10. Arg. 3. Objectio à nobis formata antegresso §. n. 5. urget etiam contra gradus virtualiter distinctos: ergo vel negare etiam gradus virtualiter distinctos, vel admittere etiam realiter distinctos adigimur. Prob ant. Isti gradus vel distinguuntur virtualiter numericè, vel virtualiter specificè; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Prob. min. Et quidem quò ad p. p. certa videtur, secùs qualitas intensa, & remissa non ejusdem forent speciei. Quò ad p. verò p. Prob. Distinctio numerica est distinctio materialis; sed nequeunt gradus illi distingui materialiter: ergo &c. Prob. min. Latitudo intensiva est propria latitudo formæ in linea formæ: ergo &c.

Conf. Gradus isti vel sont homogenei, nimirum ejusdem rationis, & æquè perfecti, vel heterogenei, hoc est diversæ rationis, & unus est alio perfectior; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Min. prob & primò quò ad p. p. Si sunt æquè perfecti, ergo jam qualitas dum intenditur non magis perficeretur. Secundò quò ad 2. p. Si unus est alio perfectior, eminenter illum continet, ergo alius est superfluus.

Resp ad arg. nego ant. Ad prob nego min. quò ad p. p. cujus ad prob. dist. ant. est propria latitudo formæ in linea formæ absolutè, nego, ut magis, vel minùs participatæ à subjecto, concedo ant. & nego conseq. Ob idque à subjecto talis habetur materialitas.

Ad Conf. nego min. quò ad 2. p. cujus Ad prob. dato ant. nego suppositum consequentis. Supponit, quòd aliud sit distingui virtualiter, & aliud contineri eminenter. Ipsum namque contineri eminenter in alio est virtualiter ab illo distingui, cùm distinctio virtualis nil aliud sit, quàm eminentia, & æquivalentia distinctionis.

11. Arg. 4 Virtutes supernaturales, ut Charitas, in Thomistarum plausibili sententia sunt intensibiles in infinitum; sed non per solam explicationem gradus virtualis ejusdem entitatis: ergo &c. Prob min. Si Charitas posset intendi in infinitum per solam novi gradus explicationem modo prædeclararo, Charitas esset Cathegorematicè infinita; sed id est impossibile: ergo &c. Prob. maj. Tum quia in actu deberent in eadem Charitatis entitate adesse infinitæ formalitates, sive virtualitates explicandæ, seu gradus virtualiter distincti explicandi per intensionem in ordine ad subjectum. Tum etiam quia causa efficiens potens producere effectum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum est virtutis infinitæ effectivæ actu cathegorematicè, ut de Dei potentia palam est: ergo pariter forma potens communicare subjecto perfectiorem, & perfectiorem effectum formalem in infinitum habebit virtutem cathegorematicè infinitam informativè.

Resp primitèr, quod sententia, quam impræsentiarum tutamur, est duntaxat probabilis, adeoque non tenemur eam alia probabili conciliare.

Præterea, nego min. Ad prob. nego maj. Ad prob. dist. ant. deberent contineri initiativè, concedo, formaliter completivè, nego. Siquidem non complentur gradus illi, nisi dum penitùs explicantur. Per quod liquet discrimen ad id, quod efficienti de causa dicitur, cùm nullatenus hæc perficiatur sui in effectus productione, nullamve in se majorem suscipiat perfectionem, idcirco antecedenter ad illos totam obtinet perfectionem completivè tum suipsius, tum ipsorum effectuum eminenter, tametsi non formaliter quò ad effectuum perfectionem. At qualitas per intensionem magis, ac magis perficitur majoritate unitiva prædeclarata.

Vel quodam cum Nupero in m. f. quòd deberent præcontineri duntaxat signatè, seu in actu primo. Per quod item respondet ad paritatem de causa efficienti, quia ista in actu etiam exercitio præcontinet suos effectus, eò quòd efficiens causa non dependet à subjecto, benè verò qualitas dependet naturaliter ab exercita unione cum subjecto, adeoque etiam à majori unione cum subjecto.

12. Arg. 5. In intensione debet desinere terminus *à quo* adveniente termino *ad quem*; sed si major illa radicatio non fieret saltem per gradus, & modos realiter distinctos non desineret terminus *à quo*: ergo &c. Maj. neminem præterit, quem non prætereat, quòd intensio est motus alterationis; motus autem non accedit ad terminum *ad quem*, nisi recedendo à termino *à quo*. Min. prob. Si posset desinere jam foret separabilis: ergo realiter distinctus.

Resp. dist. maj. debet desinere vel entitativè, vel terminativè, concedo, semper entitativè, nego maj. & distincta min. nego conseq. Dum namque ex calido ut tria V. G. fit calidum ut quatuor, præcedentes explicationes graduum ut tria non destruuntur absolutè, sed ipse tertius gradus desinit in ratione ultimi, & terminationis intensivæ qualitatis; quia quatto adveniente gradu non est ampliùs sicut erat ultimus: non secùs, ac dum ex quantitate tricubitali fit quadricubitalis, tertia pars cubitalis desinit esse ultima.

Contra. Terminus *à quo* motus debet esse quid positivum, ad differentiam simplicis mutationis; sed si gradus ille desineret duntaxat esse ultimus, nimirum solùm fieret non ultimus, terminus motus intensionis non esset quid positivum: ergo &c. Prob. min. Siquidem ly *non ultimus* est negatio ultimi.

Resp. nego min. Ad prob. dico, quòd licèt dum est completus motus sit non ultimus, tamen quando incepit motus erat ultimus, adeoque quid positivum.

13. Arg. postremò S. Th. p. 2. q. 52. art. 2. ad 3. docet, quòd id, quod est minùs calidum non est in potentia ad formam, cùm eam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum: ergo novus acquiritur participationis modus.

Conf. Idem S. D. quodl. 9. art. 3. scribit, Charitatem augeri secundùm essentiam, quia essentia Charitatis est subjectum augmenti, & Charitas est subjectum tantùm augmentationis; sed nequit esse subjectum, nisi alicujus modi: ergo &c.

Resp. quòd S. D. loquitur de potentia virtuali: item de subjecto ex nostro concipiendi modo, cùm planum sit de ejus mente, non posse contubernalia esse eodem in subjecto plura accidentia solo numero distincta, qualia forent modi illi, ut vidimus num. 7.

QUÆSTIO SEXTA.

De Rarefactione, & Condensatione.

EXacta postulat Methodus, ut expediti de alteratione, de istis adoriamur; quoniam in Rarefactione, & Condensatione intervenire saltem complurimum alterationem vel prævie, vel formaliter apud universos habetur, imò semper, si principiis hæreas Thomisticis, quamquam alii contendat, non universaliter intervenire, & aliquando posse sine alteratione contingere, ut quando mobile aliquod motu recto agitur, tunc ajunt ipsi, pars aeris insequens mobile rarefit, pars verò mobili cedens condensatur, cùm non ultra illum occupet locum, quem priùs occupabat, & occupatur à mobili illo. Ubi Thomista, seu sentiens, ut videbimus, omni in condensatione, & rarefactione qualitatem acquiri, ac proinde formalem intervenire alterationem, imò pro formali condensationem, & rarefactionem esse alterationem, respondet ad productum exemplum, quòd tunc non contingit rarefactio, aut condensatio; quia pars aeris proximior illi loco, quem mobile occupabat, pergit ad occupandum locum illum; pars verò cedens corpori mobili pergit ad occupandum locum, quem occupabat pars aeris, quæ perrexit ad occupandum locum, quem priùs occupabat mobile illud. De quo iterùm infra art. sequenti §. 7 num. 27. ad 2. arg. ubi insuper dicemus, omni in motu locali intervenire alterationem.

Rarum, & densum dari quotidiana probat experientia. Aquam namque rarefieri omnis cernit non cæcus dum fervet in cacabo, in quo fit major, majorem petens locum, quàm prius occupabat; & vapores spissari dum in nubem concrescunt.

Definitur rarum, & densum ex Arist. 4. Phys. tex. 84. sic. *Rarum est quod parum habet de materia sub magnis dimensionibus*. Densum è contra, *quod multum habet materiæ sub parvis dimensionibus*. Contra quas definitiones aliqua objicit Durandus, quæ solvit Lerma.

Ea ex re habes, quòd rarefactio est motus, & transitus à parvis ad magnas dimensiones, & densificatio est motus, & transitus à magnis ad parvas dimensiones.

ARTICULUS UNICUS.

Quid acquiratur per rarefactionem, & condensationem.

§. I.

1. EXploratum apud universos est Philosophos, rarefactionem non fieri per acquisitionem majoris materiæ, idest substantiæ. Quandoquidem aqua in lebete rarefit; & tamen tum non producitur aliquid substantiæ aquæ, cùm rarefiat virtute ignis, nimirum per calorem, qui non potest aquam producere. Hoc ex professo pertractat Mastrius hic disp.4. q.2.

Exploratum quoque est, non posse condensationem fieri per hoc, quòd corporis partes penetrentur, cum viderimus 4. Phys. non posse naturaliter fieri corporum penetrationem. De quo fusiùs legi potest Mastrius hic disp.4. q.1.n.2.

2. Hac in re opiniones ad septem reducemus, licèt plures sint.

Prima tenet, rarefactionem fieri per ingressum corpusculorum subtilium intra poros corporis, quod rarefit; condensationem verò per depulsionem, & egressum talium corporum subtilium. Hanc tuentur, non solùm Maignanus, & alii ex Atomistis, verùm etiam Ocham, Arriaga, & Pontius Scotista, qui contendit, Scotum circa hanc materiam nihil determinatè dixisse; Pontio tamen se opponit Mastrius ex Scoto.

Ad hanc sententiam reducitur Cartesii placitum, docentis rarefactionem fieri per intromissionem subtilis cujusdam substantiæ intra crassiorum corporum poros. Quæ subtilior substantia, inquit Cartesius, dilatat corpora, & cogit ad majora occupanda spatia.

Secunda sententia est Epicuræorum, quos sequitur Petrus Gassendus, qui sicuti profitentur, plenum & vacuum esse entis naturalis principia, ut vidimus, ita sustinent, rarefactionem fieri per hoc, quod pori vacui dilatantur; condensationem verò per hoc, quòd illi pori comprimuntur. Dicunt namque, dari vacuitates in corporibus, quæ vacuitates per partium corporis compressionem minuuntur, vel per dilatationem earundem partium magis ampliantur.

Tertia sententia est Joannis Cardinalis de Lugo qui, ut fert Guerinois, asseverat, rarefactionem fieri per majorem inflationem punctorum inflatorum; condensationem verò per minorem eorundem inflationem.

Quarta sententia autumat, rarefactionem fieri per hoc, quòd tota quantitas destruatur, & alia major totalis quantitas acquiratur; condensationem verò per hoc, quòd prior quantitas totalis destruatur, & alia minor totalis acquiratur. Sic Gottifredus, Pomponacius, & alii veteres.

Quinta arbitratur, rarefactionem fieri per hoc, quod acquiratur quantitas nova partialis; condensationem verò per hoc, quod deperdatur pars alia quantitatis. Ita non pauci Scotistæ, Scotum pro se citantes, quos citat, & refutat Mastrius hìc disp.4. q.3.

Sexta sentit, fieri rarefactionem per hoc, quòd eadem substantia acquirat cum eadem quantitate majorem extensionem localem, pertinentem (ait Mastrius) ad prædicamentum *Situs*, & *Ubi*, minorem verò in intensione. Undè velle ista videtur, quod rarefactio fiat acquirendo majorem ubicationem; condensatio verò minorem acquirendo ubicationem, seu præsentiam localem. Sic Mastrius hic disp.4. q.5. & alii apud ipsum.

Septima sententia censet, per rarefactionem, & condensationem novas acquiri qualitates, eamque esse alterationis motum ad qualitates, ita quòd raritas, & densitas sint qualitates, mediis quibus major, vel minor acquiritur localis extensio, sive qualitates modificantes quantitatem, eamque disponentes ad majorem extensionem localem. Sic universi Thomistæ, quibus adstipulantur fere jam omnes Philosophi cum Arist. ut Peterius hic lib.5. c.8. Conimbr. hic cap.5. quæst.17. Ruvius in hoc tract. q.2. Hurtad. sect.3. Funsec. in Meth. cap.3. q.3. Suarez in Meth. disp.40. sect.5. n.57. Morisan. hic disp.3. in dub.7. Zabarella de accretione c.10. Aversa q.38. sect.5. (licèt iste judicet probabilem etiam sententiam de partiali quantitate) Amicus tom.1. Log. tract. 16. quæst. 3. art.2. & ex Scotistis Aretinus in 4. sent. dist.12. q.4. art.9. Iribarnes eadem lect.2. & Birag. 1. de Gen. q.15.

§ II.

PRIMA CONCLUSIO.

Rarefactio, & condensatio non fiunt per intrusionem, aut depulsionem corpusculorum, aut substantiæ subtilioris; nec per dilatationem, & compressionem Epicuræorum vacuitatum; nec per majorem, aut minorem inflationem punctorum inflatorum.

3. HAuritur ex D. Th. 4. phys. lect.14. tex.84. *ubi non ergo*, inquit, *condensatio fit per hoc, quòd aliquæ aliæ partes subintrò adveniant materiæ; vel rarefactio per hoc, quod partes inhærentes extrahantur, sed per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc majorem, nunc minorem quantitatem*, idest extensionem localem, ut infra videbis ex eodem. Idem sentit Arist apud eundem S. Th. ibidem, & alibi, nec unquam ad talia recursit corpuscula.

4. Prob. Si corpora rarefierent per corpusculorum intrusionem foret abire in infinitum; sed &c. ergo &c. Prob. maj. subtiliora illa corpuscula forent & ipsa rarefactibilia, sicque per ingressum corpusculorum, & ista per alia, & sic in infinitum. V.G. Si corpus aliquod rarefit per aeris ingressum, aer rarefieret per ingressum alterius corporis subtilioris, &c. ergo &c. Ant. probo. Corpus quò est subtilius eò faciliùs rarefieri potest, V. G. aer faciliùs rarefit, quàm aqua, aqua faciliùs quàm terra, &c. sed omnia corpora illa, quæ subintrarent essent subtiliora: ergo &c.

Adde, non esse designabile corpus aere, & ignè subtilius eorum ingrediens poros, vel saltem non est assignabile corpus subtilius, eo, quod ingrederetur poros aeris, & ignis ad illud iterum rarefaciendum corpus.

Et per hoc jugulatur etiam Cartesii opinio. Quandoquidem subtilior illa substantia cùm non sit spiritus, erit & ipsa corpus, & quidem rarefactibile, imò faciliùs, seu subtilius.

5. Prob 2. experientiis. Siquidem nitidè cernitur in cucurbitulis medicis, quæ ad vacuum impediendum attrahunt ad se carnem Hominis quando ignis intra illas accensus extinguitur, & in aerem vertitur, qui, seu densior igne, minorem petit locum: Ob idque ne detur vacuum interim elevatur caro intra ampullam: Tum verò sic. Sed si aer poros haberet hujusmodi corpusculis repletos, non esset opus, carnem in hoc casu intra ampullam elevari, quia talia corpuscula ab eo egressa per condensationem possent illam vasis cavitatem replere: ergo condensatio non fit per corpusculorum depulsionem.

Respondet Arriaga negando, quòd ad hoc caro elevetur, ut vacuum impediat, secùs elevaretur in instanti, vel confestim comminueretur ampulla, cùm nec per unum instans natura patiatur vacuum; cùm tamen conspiciamus ferè intra medium quadrantem non elevari penitùs carnem, quapropter ibi relinquuntur cucurbitæ. Eam ob rem dicit, elevari, quia per calorem aperti sunt pori carnis, intra quos intromittitur paulatim aer, & caro ascendit ad replendum locum relictum ab aere. Imò quasi stupidos miratur Scriptores cunctos, quòd hactenus id non consideraverint. Sed

Contra. Hoc Arriagæ inventum evertit finem, ob quem cucurbitæ sunt inventæ, cùm institutæ istæ sint ad evocandum, & extrahendum sanguinem ad cutem, non ad intromittendum aerem, adeo ut pori calore aperti depleantur sanguine attracto potiùs, quàm aere.

Ulteriùs. Ad replendum locum, quem relinquit aer, poros ingrediens, sufficeret solus carnis tumor absque ulla sanguinis evacuatione; quod experientia respuit. Sequela prob. Siquidem si caro aere turgescit quantùm sufficit ad evitandum vacuum, utquid opus est concursu Sanguinis?

Præterea mendacium est, quod ait Arriaga, carnem fore elevandam in instanti si ascenderet ad implendum vacuum ex aeris densitate ortum. Quemadmodum namque aeris condensatio fit succedaneè, & non in instanti, sic & caro paulatim elevatur, non secùs, ac ipse dicit, elevari ad replendum locum relictum ab aere poros carnis subeunte; eo quia ingressus fit in instanti. Mendacium est etiam, quod ait, per medium quadrantem non elevari penitùs carnem. Nam elevatur ab initio applicationis ampullarum, secùs non affigerentur carni.

Eâ ex re manifestè sequitur, carnem non ascendere ad replendum locum relictum ab aere poros carnis ingrediente (ab initio siquidem pori non fuit aperti) sed ad evitandum vacuum, quod aeris densitate relinquitur.

Responsum aliud refutavi 4. Phys. q. 3. art. unico §. 2. num. 2. cùm aer nequeat esse gravior carne.

Prob. aliis experimentis videndis tum apud P. Maurum, tum apud P. Honoratum Fabrum hic, tum apud Aref. pariter hic 1. de Gen. q. 36. sect. 1.

6. Adversus verò Atomistas, volentes, omnia ex corpusculis componi indivisibilibus, sive atomis, militat, ultra jam dicta, quod illæ atomi, ceu adeo exiguæ entitatis, non habent tantam entitatem, quæ admittat poros, intra quos alia ingredi corpuscula queant.

Quæ omnes ratiocinationes evertunt Cartesii doctrinam de substantiæ subtilioris ingressu.

Sententia autem Epicuræorum, volentium, rarefactionem fieri per illas vacuitates, nemine impellente corruit ex dictis tum hic, tum in Physicorum 4. q 3. art. unico, ubi ostendimus, minimè posse naturaliter extare vacuum.

Demum corpuscula inflata abjecimus 1. Phys. Præterea dum magis inflarentur illa puncta, major locus intra illa patesceret. Quærimus itaque quo corpore locus ille depleretur, cùm uti vidimus, vacuum nequaquam possit extare.

§. III.

Solvuntur istorum adversariorum argumenta.

7. ARg. 1. Ex Arriaga sub sect. 2. Condensatio non dicit, nisi majorem unionem partium; sed major unio nequit fieri, nisi quatenus depulsis corporibus extraneis partes ejusdem corporis magis uniuntur: ergo condensatio fit per corpusculorum depulsionem. Maj. ex eo innotescit, quòd res condensata solet esse durior, & fortior. Min. etiam constat. Nan quandò minùs uniebantur, aliqualiter invicem distabant, secùs non fuissent minùs unitæ, & approximatæ; locus autem illius distantiæ cùm non potuerit esse vacuus, eò quòd vacuum per nos extare naturaliter nequit, debuit esse corpusculis plenus.

Conf. ex Pontio. Partes quantitatis rarefactæ magis distant, quàm ante ad invicem: ergo opus est, aliquod aliud corpus, vel quantitatem interjacere, quia concipi haud potest qua alia ratione magis invicem distarent, nisi admittendo vacuum.

Resp. ad arg. dist. maj. non dicit, nisi majorem unionem approximativam, nego inextensivam, concedo maj. & distinguo min. major unio approximativa, concedo, purè inextensiva, idest non extensiva, nego min. & conseq. Itaque condensatio majorem dicit unionem, non ad hunc sensum, quòd pars una ad aliam propiùs approximetur, sed per unionem purè inextensivam localem, quatenus, cùm majorem extensionem localem habeant dum sunt rarefactæ, fit inde, quòd locus, qui priùs sufficiebat uni parti, postea sufficiat pluribus.

Contra. In condensatione res evadunt duriores, & fortiores; sed durities hæc, & fortitudo habetur majorem per unionem, non purè inextensivam, benè verò approximativam: ergo &c. Prob. Min. Virtus unita fortior, sed fit fortior per aliam virtutem sibi intimiùs approximatam: ergo &c.

Resp. dist. maj. sunt duriores, & fortiores per majorem unionem partium, nego, per qualitatem supervenientem condensativam, concedo maj & distinguo min. benè verò approximativam illius qualitatis, concedo, partium, nego min. & conseq. Ut namque videbimus §. 6. & 7. durities est qualitas.

Dices. Qualitas hæc non est operativa, secùs daretur per modum habitus, sicque foret vel Ars, vel scientia, aut daretur per modum potentiæ: ergo non per istam fit fortior.

Resp. primodùm posse dici, quòd sit operativa, & ad id, quod subditur dici, quòd datur per modum passionis, aut passibilis qualitatis, ut videbimus denuò §. 6. sub n. 20. quæ etiam sunt operativæ, ut palam est de calore, & frigore. Præterea dici potest, quòd major illa fortitudo, quam præbet non est positiva, sed purè negativa, nimirum ad magis resistendum.

Ad Conf. Resp. eodem modo, quòd per rarefactionem partes distant in invicem distantia, non intermediativa, & discontinuativa, sed purè extensiva localiter, idest magis distant inter se in ordine ad locum, at non in ordine ad se. Quæ major extensio fit beneficio qualitatis cujusdam, ut videbimus §. 6. & 7.

8. Arg. 2. Experientiis: Primum experimentum est de aqua, quæ dum fervet habet quasdam bullas, & quò magis fervet, eò majores sunt. Secundum est de carne humana, quæ omnium in sententia fit rara cùm ejus pori replentur humoribus, condensatur verò dum desiccatur ad eorum humorum è poris egressum. Tertium de luto, quod condensatur evaporatione aquæ. Quartum de ligno, quod quò plures habet poros, eò est magis rarum. Quintum de vitro, quod dicitur valdè densum, non alia ratione, nisi quia non habet poros.

Resp. ad 1. quam magnificant Adversarii, triformiter. Primò cum Guerinois dist. ant & aliàs aer deplena supponit jam rarefactionem factam, transeat, secùs. nego. Permisso namque, & non concesso, bullas in aqua bulliente impleri, seu inflari corpusculis aeris, negandum est, hujusmodi bullas efficere rarefactionem in aqua fervente. Tantùm enim abest, ut illæ bullæ sint rarefactionis causa, quòd potiùs esse illius effectus necesse est. Siquidem ideo ejusmodi bullæ formantur, quia incalescit aqua, tumescit, & rarefit. Idem dicatur dum tumescit caro ex accessu humorum; folles ex ingressu aquæ, & sic de aliis.

Resp. 2. cum eodem, negando, bullas illas impleri aere, idest aeris corpusculis. Siquidem implentur aqua subtiliori, quæ in fervore sursùm ascendit. Ut namque scripsimus 7. Phys. tuendo, quòd nullum agens possit agere in distans, & assignando rationem, quare dum aqua fervet, remanet frigida cacabi extremitas in fundo, partes aquæ magis defecatæ, magisque calidæ, atque adeo subtiliores per bullas ascendunt.

Resp. 3. cum Goudin, & Mastrio tum ad istam, tum ad alias adducibiles experientias, negando, quòd in hujusmodi casibus vera interveniat rarefactio. Pro quo

Adnotat Goudin, quòd rarefactio, & condensatio duplex est. Altera propriè talis, & altera impropriè talis, & apparens. Rarefactio, & condensatio impropriè est, quæ fit per dilatationem partium corporis, & pororum ipsius, subintrantibus pluribus corpusculis: Sicut cùm spongia dilatatur aqua illius poros ingrediente; similiter caro cùm intumescit per receptionem humorum intra ipsam; aqua calefacta, & alii liquores dum augentur in bullas plenas spiritibus igneis, vel aere. Utres etiam, & folles dum inflantur. Quæ sanè dilatationes sunt, non propriè, sed duntaxat impropriè, & apparenter rarefactiones, sicut oppositæ constrictiones sunt impropriè condensationes. Cujus evidens ratio mihi ea esse videtur, quia vera condensatio, & rarefactio tunc contingit, quando eadem ipsa substantia corporis modò minorem, modò majorem occupat locum, aut è contra. Dum autem aqua V. G. aeris ingressu intumescit in bullas, & egressu decrescit, & lutum ex ingressu, & egressu aquæ; manus V. G. ex accessu humorum tumescit, & ex eorum recessu cùm desiccatur condensatur; & sic de similibus: in tali casu non eadem est substantia modò major, modò minor, sed diversa substantia, nimirum aggregatum ex aqua, & aere; manu, & humoribus; luto, & aqua.

Condensatio, & rarefactio propriè dicta fit nulla subintrante materia; quia tum eadem est substantia, quæ est modò major, modò minor. Extare autem hujusmodi condensationes, & rarefactiones, ultra experientias allatas, affert P. Maurus experientiam de pulvere tormentario, qui ignitus rarescit intra bombardam, & maximè undique dilatatur. Non est autem credibile, penetrare tot corpuscula per æs densissimum ad implendos poros ignis rarefacti dilatatos.

Et quidem quò ad illud præcipuum experimentum, cui adeo fidit Arriaga, animadvertas velim, quòd ipse Arriaga concedit num. 202. quòd dum aqua magnas habet bullas, non dicitur rarescere, quia est nimia separatio partium: ergo idem dicendum, quando sunt minores. Quid enim interest, quòd sint majores, aut minores? alioquin si in hoc sita est raritas, quantò grandiores habet bullas, tantò magis rarescere dici debet, ut ipse arguebat num. 198.

Ad ult. de ligno, & vitro, dicimus etiam, quòd lignum dicitur magis rarum, quia plures habet poros; vitrum verò densum, quia pauciores habet poros, sumendo rarum, & densum minùs propriè. Pro quo

Scito

Scito ex Angest. lib. 2. de Form. prop. 55. dub. 2. quòd rarum, & densum sumi multiformiter solet, quæ sola fuit causa deceptionis multorum. Interdum sumitur rarum pro corpore poroso, ut sumpsit Arriaga in exemplo de ligno, & vitro. Interdum pro corpore non spissè contexto. In quo sensu pannus solet dici in filis rarus. Interdum pro corpore simoso, qualiter ædificium semoto cemento temporis injuria dicitur rarum. Quartò pro corpore laxo, & fluido, ac veluti inconstanti. Quintò demum propriè, & in rigore philosophico, ut accipit Arist. 4. Phys. tex. 83. pro eo, quod parum habet materiæ sub magna dimensione, ut nuperrimè diximus in exemplo pulveris tormentarii; sicut densum è contra illud est, quod multùm habet materiæ sub parva dimensione. Et hæc est propria acceptio hujus termini, at non quando accipitur pro poroso, quia porosum non dicitur habere parùm materiæ, sed multum materiæ; quia ultra propriam, habet etiam extraneam, & peregrinam.

9. Arg. 3. In sententia asseverante, quòd condensatio, & rarefactio fiat per ingressum, & egressum corpusculorum faciliùs exponitur, quomodo eveniant. Primò namque facilè intelligitur, quomodo unum corpus rarefiat independenter ab eo, quod alterum condensetur. Siquidem quando intra cubiculum benè clausum accenditur stupa, & rarescit aer, ubinam est corpus, quod condensetur? Hoc autem defendi in aliis minimè potest sententiis, quia nequit stupæ materia majorem occupare locum, quàm antea, nisi vel penetret alia corpora, vel ei illa locum cedant, se contrahendo, quod debet fieri per condensationem illorum: at in sententia ista optimè defenditur. Nam V. G. stupa rarescit attrahendo ad se aliquas aeris partes, tum cætera corpora suam retinent extensionem. Etenim ab aere esse aliquid sublatum, quod intret poros, non facit aerem remanentem rariorem, nec densiorem, sed paulò minorem, quàm antea. Sic etiam dum aqua condensatur, & ab ejus poris excluduntur particulæ aeris, istæ adduntur toti aeri, & illum in eadem raritate relinquunt, licèt per additionem fiat paulò major.

Secundò. Intelligitur, cur corpora dura ut ferrum, lapides &c. etiamsi ferè ardeant non rarescant; ratio est quia rarefactio non fit nisi dissoluta inter aliquas partes unione, & intrantibus corpusculis; corpora autem dura unionem amittere nequeunt, nisi priùs nimia vi caloris reddantur fluida: tunc enim, quia facilè partes possunt separari, sunt rarefactionis capaces.

Tertiò. Demum intelligitur cur caloris sit rarefacere, frigoris condensare; quia nimirum calor sejungit, & discontinuat partes, ut intret aer; frigus verò unit depellendo extranea corpuscula.

Resp. ad 1. negando, quòd extare possit rarefactio unius corporis sine eo, quod alterius fiat condensatio. Quemadmodum namque corruptio unius est generatio alterius, & è contra; diminutio unius est augmentatio alterius, & è converso: ita rarefactio unius est alterius condensatio. Ad casum adductum dicas, quòd tunc condensatur aliquid aeris in angulis, ad quos per antiperistasim clauditur aliquid frigoris. Quòd si magnum esset incendium, foras violenter erumperet, ut palam est in bombarda cùm pulvis rarefit.

Ad 2. Resp. verum esse, quòd durities in corporibus impedit rarefactionem, & fluiditas ad eam conducit, non tamen ob adductam ab arguente rationem, quia nimirum sit necessaria partium discontinuatio, sed quia ad rarefactionem, & condensationem ut effectus consequitur motus primò partium ad partes loci, & deinde totius: Undè partes ita debent invicem esse dispositæ, ut una possit alteri cedere; quod impeditur à duritie, & consistentia corporis.

Ad 3. Resp. quòd causalis producta ab arguente, quare calor rarefacit, & frigus condensat, non est vera; sed causalis est, quia caloris est, per suam alterationem producere qualitatem moventem partes à centro ad circumferentiam, eas levificando; frigiditatis verò à circumferentia ad centrum, eas quodammodo aggravando, & comprimendo.

Præterea ad 2. & 3. Resp. cum Guerinois, etiam permisso, & non concesso, intervenire hujuscemodi discontinuationem, & disjunctionem, adhuc non sequitur, condensationem, & rarefactionem fieri per egressum, aut ingressum corpusculorum, saltem formaliter, sed duntaxat consecutivè, quia hujusmodi corpuscula, ut ingrediantur supponunt illam discontinuationem, & sejunctionem, adeoque supponunt rarefactionem, aut condensationem.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Rarefactio, & condensatio non fiunt per acquisitionem, aut deperditionem quantitatis totalis, aut partialis.

10. Est quòd ad utramque p. Arist. & D. Th. quorum verba lege apud Guerinois hic §. 1. & apud Cav.

Prob. quòd ad p. p. primò. Si hisce in mutationibus tota destrueretur quantitas præcedens, & nova produceretur, rarefactio, fieret in instanti; sed hoc falsitatem redolet: ergo &c. Min. certa habetur, cùm rarefactio sit motus continuus. Maj prob. Si in tempore fieret, jam quantitas nova esset compossibilis, saltem secundùm aliquam partem cum quantitate veteri secundùm aliam partem. Quod est contra istam sententiam, quam refutamus; quia hac in sententia tota quantitas præcedens est terminus *a quo*, & quantitas recens est terminus *ad quem*; isti autem termini sunt penitùs incompossibiles secundùm totum, & secundùm partes, ut in cujuscunque mutationis terminis palam est.

11. Prob. 2. Alio communi ratiocinio, quod ad hanc formam reducit Guerinois. Nullo ex capite potest oriri quantitatis antiquæ in corpore rarefacto, vel condensato ruina: ergo ista non perit. Prob. ant. Non perit ullum accidens, nisi quia vel advenit subjecto accidens contrarium (quo pacto irruente calore perit frigus) vel quia perit accidentis subjectum (quo pacto pereunte ligno perit calor, qui erat in ligno) vel denique quia amovetur, aut interiit causa, quæ accidens conservabat (quo pacto perit calor in aqua amoto igne, qui calorem in aqua fovebat) nec alius est assignabilis modus destructionis accidentium; sed in rarefactione, & condensatione non advenit accidens veteri quantitati contrarium; quia una ex quantitatis proprietatibus est non habere contrarium; non perit substantia, quæ rarefit, vel condensatur; nec denique perit causa, quæ antiquam conservabat quantitatem; quia ista erat Deus aliis cum causis universalibus, quæ non deficiunt: ergo &c.

12. Prob. 3. Quò ad eandem p. Vel una, eademque materia, sive substantia est capax majoris, & minoris quantitatis, vel non. Si secundum: ergo nequit advenire major, vel minor totalis quantitatis sine additione, vel subtractione materiæ, nimirum substantiæ. Si primum, frustra additur nova quantitas totalis destructa ipsa præexistenti. Siquidem quantitas potest fieri major præexistenti per solam additionem novæ partis quantitatis, & minor per partis subtractionem.

13. Prob. Demum quò ad eandem p. Cùm in quantitate recipiantur omnes quantitates sensibiles, si in rarefactione, & condensatione foret alia numero quantitas totalis, essent aliæ numero qualitates sensibiles, sicque in vino V. G. rarefacto non idem esset color, non idem sapor, qui in illo præerat.

Pro hac etiam comprobanda parte valere potest, & quidem efficaciter ratio, quam num. sequenti 14. pro 2. p. adducemus. Undè

14. Prob. jam quò ad 2. p. primò. Inconveniens, imò impossibile saltem naturaliter est, fieri penetrationem, vel accidens stare sine subjecto; sed alterum ex his inconvenientibus sequeretur, si in rarefactione partialis acquireretur quantitas: ergo in rarefactione non acquisitur partialis quantitas. Prob. min. Ubi nova acquiritur quantitatis pars, sine eo, quod nova acquiratur materiæ, idest substantiæ, pars, necesse est, quòd nova illa pars sit absque subjecto, vel penetretur cum priori quantitate; sed in rarefactione non acquiritur nova substantiæ pars: ergo &c. Min. nitet ex dictis §. 1. num. 1. & conceditur ab istis Adversariis. Maj. autem dilucidatur. Quandoquidem substantia illa jam suam habet quantitatem, adeoque si nova quantitatis pars in eadem subjectaretur substantia, jam eadem numero in substantia duæ extarent quantitates, & quidem penetratæ, ceu eodem in loco cum subjecto existentes: ergo cùm non aliud sit excogitabile subjectum, vel manebit absque subjecto, vel cum alia penetrabitur quantitate.

Quæ ratiocinatio iterum evincit, nec quantitatem totalem majorem produci destructa priori minori. Siquidem secundùm illum excessum deberet manere sine subjecto, vel penetrari cum aliqua sui parte.

Conf. Quantitas est proprietas substantiæ materialis; sed in rarefactione non acquiritur nova substantiæ pars, ut vidimus §. 1. num. 1. ergo neque nova pars quantitatis. Prob. conseq. Etenim quia quantitas est proprietas substantiæ, non acquiritur nova totalis quantitas ubi nova totalis non acquiritur substantia; ergo propter eandem rationem ubi nova partialis non acquiritur substantia, nec nova partialis acquiritur quantitas.

Mirum quàm molesta Hostibus hæc fuerit ratiocinatio, qui propterea varias ingressi sunt vias, ut fugam arriperent. Igitur

Primò respondet Faber Scotista, quòd substantia præexistens fit major per rarefactionem; idcircò quantitas subjectatur in majori substantia. Sed

Contra. Substantia licèt fiat major quantitativè, non tamen fit major substantiativè, hoc est non acquiritur aliquid plùs de substantia: ergo non acquiritur aliquid, quod possit esse subjectum illius partialis quantitatis. Ob idque responsum hoc mera videtur principii petitio. Siquidem hoc illud est, quod probamus, nimirum quòd nequeat fieri major per majorem novam quantitatem, quia non acquiritur nova substantiæ pars, secùs aggeneratio esset, & non rarefactio.

Secundo. Respondet Pontius, novam quantitatis partem non recipi in substantia corporis rarefacti, sed in corpusculis, intra poros intromissis. Sed

Responsum hoc licèt jam labens ex dictis §. 2. & 3. n. 4. ubi hujuscemodi corpusculorum intromissionem oppugnavimus, ulteriùs illud impellit Guerinois. Siquidem quodlibet ex corpusculis illis suam propriam habet quantitatem (neque enim naturaliter dari potest corpus quantumvis minimum sine quantitate, si istius sit capax, secùs nec ut intra poros intromissum poterit esse quantitatis subjectum) ergo si in illo nova reciperetur quantitas, vel quantitatis pars, essent simul eodem in corpusculo duæ quantitates, quæ proinde penetrarentur.

Tertiò. Respondet Basolius Scotista & Birag. quòd quantitas superveniens facit unam quantitatem totalem cum præexistenti, licèt majorem, propterea idem habet subjectum, sicut cum Charitas augetur in anima. Sed

Contra alius Nuperus Scotista Mastrius exurgit, eos contemnens tanquam non assequentes vim argumenti; quia quantitas adveniens licèt sit homogenea, & unum cum priori constituat unitate integritatis; adhuc tamen est realiter distincta à priori, quæ præextitit, & iterum separari posset, quæque proinde distinctum petit subjectum, ne cum alia penetretur: sicut una aqua alteri superinfusa, utique cum ea unam constituit aquam unitate integritatis, sed quia est realiter ab illa distincta locum quoque distinctum postulat; & sicut hæc aqua illi addita non posset sine penetratione in eodem poni loco; ita dicendum de posteriori quantitate addita priori, quod nimirum nequeat sine penetratione idem informare subjectum.

Quartò. Respondet Tataretus Scotista, quòd quantitas præcedens rarefactionem inhæret post rarefactionem ipsi toti sicut priùs, sed cum alia acquisita est una nova magnitudo, quæ duæ sufficiunt denominare simul subjectum tantum, & neutra illarum se sola sufficeret. Sed

Contra idem insurgit Mastrius, dicens, quòd neque Tatar. vult vim nostri percipere ratiocinii. Quandoquidem tametsi verum foret, quòd quantitas non sufficiat dare subjecto tantitatis denominationem, & quòd quantitas præcedens adhuc post rarefactionem inhæreat toti; sed difficultas est de subjecto, cui inhæret quantitas adveniens. Nam si est idem totum, vel aliqua ipsius pars, jam cùm ante rarefactionem nulla pars ejus esset sine quantitate, tunc duæ quantitates in eodem erunt subjecto, proindeque penetratæ.

Quintò. Respondent alii, quòd ratiocinatio nostra supponit falsum, nimirum supponit, quòd quantitas illa, quæ additur priori, addatur vel per superpositionem, itaut adæquatè sese penetrent in eadem materiæ, sive substantiæ parte; vel per juxta positionem, itaut quantitas adveniens per se subsistat sine subjecto. Hæc autem suppositio veritatem non redolet, quia neutro modo quantitatis pars nova additur priori, sed additur per quandam veluti mixtionem, & confusionem cum partibus quantitatis præcedentis, itaut fieri nullatenus queat distributio illa partium quantitatis novæ, & veteris in nostra probatione facta; quia nulla pars substantiæ assignari potest, quæ non utramque possideat quantitatem. Sed

Contra idem exurgit Mastrius, & ostendit, quòd velint, nolint, altero illorum modorum fieri additio debet. Etenim quantitas nova, vel continuatur veteri per totum subjectum ulla absque interruptione, itaut nulla sit substantiæ pars, quæ utramque non possideat quantitatem. Et sic additio fiet veluti per superpositionem. Vel neutra est alteri continuata per totum, ita, quòd quantitas præcedens se retrahat quibusdam à partibus substantiæ, quas priùs informabat, ut locum subsequenti faciat. Et sic additio fiet per juxtapositionem. Si fiat primo modo sequitur penetratio. Si secundo modo sequitur transmigratio quantitatis de subjecto in subjectum naturaliter, & ulteriùs etiam hic penetratio, quia quantitas quantùm se retrahit occupat locum, quem priùs non occupabat, quique ab alia occupabatur, & adhuc occupatur, parte.

Demum respondet Camerar. penetrationem attendi in ordine ad locum, non in ordine ad subjectum. Sed

Contra idem insurgit Mastrius, dicens, frivolum hoc esse. Nam si duæ quantitates eidem coincubant subjectu: ergo eisdem correspondent partibus loci, adeoque penetrantur.

15. Alio etiam ratiocinio Prob. concl. Si in rarefactione acquireretur, & in condensatione partialis deperderetur quantitas, rarefactio non distingueretur ab augmentatione, nec condensatio à diminutione.

§. V.

Istorum Adversariorum argumentationes solvuntur.

16. ARg. 1. contra 2. p. concl. oppugnando nostram ratiocinationem, in qua dicebamus, quòd nequit nova quantitatis acquiri pars, nisi & materiæ pars nova acquiratur, nimirum substantiæ. Potest major acquiri localis extensio, saltem de secundariò sine majori quantitate in rarefactione: ergo etiam major quantitas partialis absque nova partiali substantia. Prob. conseq. Sicut quantitas sequitur ad substantiam, ita extensio localis ad quantitatem; ergo si &c.

Resp. nego conseq. discrimen est, quia quantitas ad majoris localis extensionis acquisitionem aptatur per qualitatem, quæ acquiritur in rarefactione, ut dicetur §. sequenti. Non sic verò substantia ad susceptionem majoris quantitatis partialis, quia nullum accidens, adeoque nulla qualitas potest naturaliter recipi in substantia antecedenter ad quantitatem, quæ est primum accidens prædicamentale.

Contra. Tota ratio nostra, quare nova nequeat acquiri partialis quantitas, absque eo, quòd nova acquiratur pars substantiæ erat, quia fieret penetratio; sed hoc idem inconveniens sequitur, nisi nova acquiratur partialis quantitas: ergo in eundem semper impingimus scopulum. Prob. min. Si per rarefactionem nova additur ubicatio, vel hæc est in eadem parte quantitatis cum præexistentibus, vel in alia. Si secundum, ergo additur nova pars quantitatis. Si primum, ergo penetratur in eodem subjecto cum ubicationibus præexistentibus, & sic non majorem constituent extensionem; & insuper duo accidentia solo numero distincta eidem coincubabunt subjecto.

Conf. 1. Qualitas non habet vim impediendi penetrationem: ergo daretur adhuc penetratio. Prob. ant. Non est qualitatis extendere, & ordinare partes in ordine ad locum: ergo &c.

Secundò. Si per rarefactionem non acquireretur nova quantitatis pars, sequeretur, vel quòd ante rarefactionem plures partes erant naturaliter penetratæ in eadem loci parte, vel quod post rarefactionem una pars replicaretur in pluribus locis; sed utrumlibet est inconveniens: ergo &c. Prob. maj. Ante rarefactionem vel singulæ partes quantitatis erant locatæ in distinctis loci partibus, vel aliquæ erant in eadem loci parte. Si secundum sequitur, fuisse tunc naturaliter penetratas. Si primum: ergo antè rarefactionem tot erant partes quantitatis locati, quot partes loci: ergo cùm post rarefactionem novæ acquirantur loci partes sine partibus locati, datur replicatio. Conseq. est exacta, quia

secun-

secundùm nos tot sunt partes corporis priùs densi, & postea rari: ergo si postea partes loci augentur non auctis partibus locati, sequitur pauciores esse partes corporis rari, quàm loci: ergo ut omnes occupentur loci partes à talibus locati partibus, oportet, ut una illius pars sit in pluribus locis, & sic sequitur naturaliter replicatio.

Resp. ad inst. nego min. Ad prob. dico, quod in eadem est quantitatis parte. Ad id, quod subinfertur dist. consequens, si foret nova ubicatio, & extensio localis entitativè, concedo, si duntaxat explicativè, nego conseq. Non enim est nova ubicatio entitativè, sed solummodo explicativè virtualiter, nimirum est eadem ubicatio, & extensio, ut recenter magis explicata. Ob idque non est necesse, quòd penetretur cum priori ubicatione, cùm nihil penetretur cum seipso; nec sunt duo accidentia.

Ad 1. Conf. permisso ant. nego conseq. Cùm namque, uti dixi, nulla eveniat penetratio, non est opus aliquo penetrationem impediente.

Ad 2. nego sequelam maj. Ad oppugn. dici primodùm cum Cav. posset, quòd aliquæ erant in eadem loci parte, non quidem penetratæ, sed compressæ, & complicatæ. Præterea dico, quòd erant in loci partibus distinctis, & nego id, quod inde infertur, nimirum fore dandam penetrationem. Ad prob. dico, quòd partes locati licèt non augeantur entitativè, augentur tamen explicativè virtualiter. Et licèt sint pauciores entitativè; sunt tamen æquales explicativè, terminativè, occupativè, & virtualiter.

Dices. Corpus per quantitatem est in loco entitativè, & formaliter, & non solùm explicativè, & virtualiter, secùs non distingueretur esse in loco circumscriptivè ab esse in loco definitivè, cùm vel Angelus occupet locum virtualiter: ergo partes corporis debent commensurari loco, non tantùm explicativè virtualiter, verùm etiam entitativè, & formaliter.

Resp. dist. ant. absolutè, concedo, quòad novum modum, nego ant. & conseq Licèt namque absolutè sit in loco entitativè, tamen quò ad novum modum est in loco duntaxat explicativè, terminativè virtualiter, ut contentum saltem explicativè à loco. Angelus autem continet locum, & non continetur à loco.

17. Arg. 2. ex Pontio, volente, quòd in rarefactione acquiratur nova partialis quantitas, quam dicit recipi in corpusculis intromissis. Nequit major acquiri localis extensio, nisi major acquiratur quantitas; sed in rarefactione acquiritur saltem de secundariò major extensio localis: ergo & major quantitas. Prob. maj. Non est possibilis novus effectus formalis absque nova forma; sed major extensio localis est novus quantitatis effectus: ergo &c. Min. enitescit. Nam extensio localis est effectus quantitatis: ergo major extensio erit novus quantitatis effectus.

Resp. nego maj. Ad prob. nego min. Est namque solùm major, & nova explicatio ejusdem effectus. Ad prob nego conseq quæ ut valeret, debuisset sic inferri: *ergo nova extensio localis est novus effectus quantitatis*. Non est autem nova, saltem novitate entitativa, sed duntaxat major explicatio extensionis localis, quæ acquiritur de novo novitate explicativa.

Contra. Nova extensio localis supponit novam quantitatem: ergo pariter major extensio localis majorem supponit quantitatem. Conseq. est exacta, quia quemadmodum se habet novum ad novum, ita majus ad majus. Ant. prob. tum ex dictis, quia non stat novus effectus formalis absque nova forma. Tum quia ex eo Thomista probat, idem corpus eadem cum quantitate non posse esse duplici in loco simul, quia duplicem sortiretur extensionem localem, quæ duplicem necessariò petit quantitatem.

Resp. dato ant. nego conseq. & parit. Discrimen est, quia nova nequit esse extensio localis, quin sit nova entitativè, si opponens velit, quòd ista recens, & illa prior extensio localis sint duæ extensiones locales, secùs si eadem sint localis extensio, erit solummodo noviter major, sicque erit duntaxat major explicatio, ut vel nos impræsentiarum dicimus.

Inst. Nequeunt esse duæ locales extensiones, nisi sint entitativè duæ: ergo pariter nequit major localis extensio, nisi major sint entitativè, & non modò explicativè.

Resp. nego conseq. disparitas est, quia rei explicatio non ponit in numero cum ipsa re, cùm rei explicatio haud aliud sit, quàm res explicata, & ita debeat esse de una re, quòd non de alia. Si verò duæ sint locales extensiones una poneret in numero cum alia, secùs non essent duæ. Major autem localis extensio in casu nostro non ponit in numero cum illa minori, secùs essent duæ saltem partiales.

Et ut pleniùs fiat palam infirmitas hujusce argumenti, cui adeo fidit Pontius, scito, quòd arg. hoc solvendum est etiam ab admittentibus, acquiri novam partem quantitatis, & non substantiæ novam partem; quia licèt duplex quantitas necessariò duplicem supponat substantiam, adhuc tamen major quantitas, & plures portiones quantitatis non supponunt plures materiæ, sive substantiæ portiones; eò vel maximè quòd hæc nova partialis quantitas nequit recipi in corpusculis intromissis, tametsi ea admitteremus; quia ista ceu corporea suam habent quantitatem: ergo pariter esto duplex extensio localis necessariò supponat duplicem quantitatem; non tamen major extensio localis majorem quantitatem.

Dices ex eodem Pontio. Unicum medium inferendi majorem quantitatem formaliter alicujus corporis est ex majori ejus extensione locali: ergo major extensio localis necessariò supponit majorem quantitatem. Prob ant. Non alia ratione judicamus, unum corpus esse alio majus quantitativè, nisi quia majorem occupat locum.

Resp. quodam cum Nupero dist. ant. cæteris paribus, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Itaque colligimus, unum corpus esse alio majus quantitativè si cætera sint paria, hoc est cum æquali raritate, aut densitate, quas sensu tangimus. Eam ob rem si videmus palmum aeris, & palmum aquæ, judicamus, majorem quantitatem esse in aqua in ordine ad se, quàm in aere. Et similiter si corpus æqualiter densum conspicimus majorem occupare locum, inferimus, majorem possidere quantitatem.

Et iterum adnota, quòd hæc oppugnatio militat etiam contra ponentes, quòd absque nova substantiæ parte novam acquirat quantitatis partem; quia non inferimus, corpus esse majus entitativè secundùm substantiam, nisi quia est majus alio secundùm quantitatem. Nec dicere cum Pontio juverit, quòd tunc acquiritur aliquo modo etiam nova substantiæ pars, nimirum acquiruntur illa corpuscula intromissa poris. Non, inquam. Etenim si unicum medium colligendi majorem quantitatem est occupatio majoris loci, opus esset discernere quantùm loci occupent corpuscula, & quantùm dilatentur pori; hæc autem sunt insensibilia secundùm Pontium.

18. Arg. 3. Corpus rarefactum, per rarefactionem acquirit nova puncta: ergo & novas acquirit quantitatis partes. Conseq. est exacta, quia puncta cùm sint terminus partium nequeunt stare sine partibus. Ant. prob Cera V.G. coagulata correspondet paucioribus indivisibilibus, liquefacta verò pluribus indivisibilibus loci; hoc est in cera coagulata sunt puncta duntaxat correspondentia punctis dimidiæ partis vasis, in liquefacta verò sunt puncta correspondentia punctis totius, vel saltem plusquam medietatis vasis. Quod idem prænitet in aqua, in qua congelata sunt puncta correspondentia duntaxat punctis medietatis vasis; in eadem verò rarefacta bulliente sunt puncta correspondentia omnibus punctis totius vasis; sed idem indivisibile locati nequit correspondere pluribus indivisibilibus loci: ergo &c. Min. prob. Tum quia secùs extarent puncta inflata, quæ nimirum correspondent pluribus indivisibilibus spatii. Tum quia si unum indivisibile locati correspondet pluribus indivisibilibus loci, jam corresponderet etiam parti mediæ inter indivisibilia interjacenti. Quod est absurdum: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego maj. vel dist. loquendo de punctis determinatis, concedo, indeterminatis, & confusis, nego maj. & data min. nego conseq. Quamquam etenim dum cera, vel aqua erat condensata, omnia puncta determinata corresponderent omnibus punctis determinatis medietatis illius loci; non tamen omnia puncta, quæ vago, & confuso modo reperiuntur in partibus proportionalibus ejus. Nam sicut partes, hoc ipso, quod sunt magis condensatæ sunt plures, quàm partes proportionales loci correspondentis, qui supponitur rarus; ita in eis involvuntur vago, & confuso modo plura puncta atque adeo non erat inter illa omnimoda, & adæquata correspondentia, dum corpus locatum erat condensatum. Idcirco cùm rarefit obtinet puncta sufficientia ad correspondendum punctis alterius medietatis loci, cui coextenditur, ut V.G. cera liquefacta punctis illius alterius medietatis vasis, quam incipit occupare post rarefactionem.

Contra. Casu, quo Vas continens ceram ponatur densius cera, vel saltem æquè densum, solutio hæc minimè

satisfaeit ; quia tunc partes proportionales ceræ condensatæ non erunt plures, quàm partes vasir eis correspondentes.

Resp. verum esse, quòd tunc illæ partes ceræ inconfusæ non forent plures, quàm partes vasis consusas. Eapropter si etiam vas rarefieret, tum etiam partes distinctæ ceræ, aut aquæ non ampliùs totum implerent vas, imò nec plus quàm medietatem vasis. Et inde dignosces quàm falsò Mastrius dixerit hie disp. 4. q. 3. num. 31. quòd solutio ista relinquit difficultatem in tota sui vi.

Responsum aliud ad hoc arg. adhibet idem Mastrius ibi, aliud Guerinois, aliud Jo: à S. Th. & eum eo Cav. quod tamen impugnatur ab eximio quodam ex nostris in m. s. qui aliud quoque dat responsum.

Argumentum aliud solvetur §. 7. ad 3. argum. sub num. 23.

Nonnulla alia argumenta, quæ mutatis verbis coincidunt eum jam solutis vide soluta apud Guerinois.

§. VI.

TERTIA CONCLUSIO.

Raritas, & densitas pro formali non est sita in ipsa majori, vel minori extensione locali, sed sita est in acquisitione qualitatum modificantium quantitatem in ordine ad majorem, vel minorem extensionem localem.

19. FAvet Arist. qui 7. Phys. cap. 2. tex. 11. loquens de qualitatibus sensibilibus, quæ sunt qualitates tertiæ speciei, *sensibilia verò*, inquit, *sunt ea, quibus inter se corpora differunt; ut gravitas, levitas, humiditas, siccitas, raritas, & densitas*; sed siccitas, humiditas, levitas, & gravitas sunt qualitates tertiæ speciei: ergo secundùm Philosophum raritas, & densitas sunt qualitates tertiæ speciei.

Favet etiam S. Th. in 1. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. & hic 1. de Gener. lect. 14. ubi *si aer*, inquit, *rarefiat, vel condensetur, talis transmutatio non potest propriè dici augmentum, sed alteratio; fit enim secundùm transmutationem passibilium qualitatum*. Et iterum 3. p. q. 77. art. 2. ad 3.

20. Prob. 1. quòd ad p. p. Raritas, & densitas stat sine extensione: ergo non consistit in majori, vel minori extensione locali. Prob ant. Partium corporis Christi in Sacramento Altaris quædam sunt rariores, ut sanguis, quædam densiores, sicut & duriores, ut ossa; sed ibi Christi Corpus caret extensione locali: ergo &c.

Respondent Adversarii negando ant. Ad prob. negant, loquendo de raritate, & densitate in actu secundo. Dicunt namque, Christi Corpus in Eucharistia esse rarum, & densum duntaxat in actu primo, quatenus hæc pars V. G. os taliter est complexionata, ut minorem postulet extensionem cum majori materiæ copia, ex qua constat, quàm caro, & humores. Vel aliter, quòd ossa Corporis Christi in Eucharistia sunt densiora carne, & sanguine duntaxat, quia magis habent de materia, quæ minorem petit locum, non verò formaliter. Sed

Contra solutiones istas insurgit Ruvius. Siquidem rarum formaliter est, quod magnis sub dimensionibus parum materiæ obtinet; densum verò, quod multùm materiæ parvis sub dimensionibus sortitur; sed definitiones istæ conveniunt Christi Corpori in Eucharistia: ergo & formaliter, & in actu secundo sunt raræ, & densæ. Prob. min. Ejus ossa plùs possident materiæ, quàm caro, & sub minoribus dimensionibus; humores minus materiæ majoribus sub dimensionibus: ergo &c. Et ratio est, quia dimensiones per se primò sunt majores, vel minores, non per actualem occupationem loci majoris, vel minoris, sed per aptitudinalem, quam adhue retinet Christi Corpus in Eucharistia: ergo aliæ partes ejus sunt formaliter, & in actu secundo rariores, aliæ densiores; quia tali affectæ qualitate sunt majoris, vel minoris loci occupativæ, idest capaces occupare majorem, vel minorem locum.

Respondet Mastrius, definitiones illas intelligendas esse de dimensionibus localibus actualibus, non aptitudinalibus, secùs sequeretur, quòd tametsi rarefactum foret corpus dici posset densum. Siquidem aqua rarefacta V. G. occupans totum vas, ubi priùs medietatem duntaxat occupabat, adhuc retinet aptitudinem ad medietatem tantummodo occupandam, quia aptitudines non amittuntur estò ab actibus sejunguntur. Sed

Contra aliam sibi objicit Mastrius objectionem sic. Durities in ossibus, mollities in carne, & fluiditas in sanguine sunt qualitates necessariò requisitæ ad perfectam corporis organizationem, adeoque non denegandæ Corpori Christi in Eucharistia; sed istæ dependent à raritate, & densitate: ergo etiam raritas, & densitas admitti in eo debent. Et

Respondet vel negando min. vel distinguendo illam sic: dependent à raritate, & densitate in actu primo constitutis, concedit, in actu secundo constitutis, negat. Sed

Contra insto. Quandoquidem min. illa, quam negat de se est conspicua. Sanguis namque est fluidus; sed fluxus nequit absque raritate haberi: ergo fluiditas pendet à raritate. Prob. min. Dum pars una fluit, nonnihil ab alia secedit, adeoque distans ab ea fit; sed per raritatem habet una pars, quod ab alia distet, saltem distantia extensiva: ergo &c. Sanè sanguis coagulatus, ceu non rarefactus, non fluit.

Eâ ex re alia quoque refellitur solutio, quia ad fluiditatem actualem requiritur distantia in actu secundo, adeoque & raritas in actu secundo. Præterea fluiditas, mollities, &c. in actu primo constituta dependet à raritate in actu primo constituta: ergo pariter mollities, & fluiditas in actu secundo constituta pendet à raritate in actu secundo constituta. Cùm itaque in Christi Corpore detur fluiditas humorum, mollities carnis, durities ossium &c. in actu secundo constituta, ceu prout sic exigita ad perfectam corporis organizationem, extabit quoque raritas, & densitas in actu secundo constituta.

Ad id, quod de aqua rarefacta subjicitur, haud difficilis est solutio. Condensatio namque non est effectus, nec quasi effectus secundarius raritatis, à quo impediatur pro tunc seu quem habere prohibeatur, sed imò est quid ei oppositum. At major localis extensio est effectus, seu potius quasi effectus secundarius qualitatis illius, quæ est raritas, seu quid per se consequens ad illam, quodque habere impeditur per accidens in Corpore Christi, à quo in Eucharistia omnis sublata est in ordine ad locum extensio. Ideircò ista majori semota extensione salvatur formalis raritas puram per exigentiam ad talem extensionem localem: non absimili modo, ac in eodem Christi Corpore ibi salvatur quantitas formalis in actu secundo ulla absque locali extensione, sola cum exigentia ad illam.

21. Prob præterea quòd ad eandem p. Major, aut minor localis extensio, & ubicatio raritatem supponit, aut densitatem: ergo raritas & densitas non est sita in acquisitione majoris, vel minoris extensionis localis, sive ubicationis.

22. Quò ad 2. p. prob. primitùs à sufficienti divisione, qua cæteras cunctas abjecimus opiniones.

Præterea sic. Rarefactio, & condensatio per se primò terminaretur ad raritatem, & densitatem; sed raritas, & densitas pertinent ad genus qualitatis: ergo rarefactio, & condensatio per se primò terminantur ad qualitatem. Min. præterquamquod eam didicimus ab Arist. ut supra num. 19. Prob Raritas, & densitas obtinent quicquid requiritur ad tertiam qualitatis speciem: ergo &c. Prob. min. Sunt per se primò tangibiles sicut asperum, & lene, calidum, & frigidum; sed quæ per se primò causant passionem in sensu pertinent ad tertiam qualitatis speciem, nimirum passionem, vel passibilem qualitatem: ergo &c. Maj. nitet ex dictis in Logica de qualitate. Min. quoque est conspicua. Cum namque aliquid fit rarum, per se, & ratione sui potest per tactum discerni, sicut & dum fit densum, idque cœcus per solum tactum discernit.

§. VII.

Horum Adversariorum argumenta dissolvuntur.

23. ARg. 1. Contra p. p. Per raritatem major, & per densitatem minor acquiritur localis extensio, seu ubicatio: ergo rarefactio in majoris, & condensatio in minoris extensionis localis, sive ubicationis acquisitione consistit.

Resp. dist. ant. consecutivè, hoc est de consequenti, concedo, formaliter, & de primariò, nego ant. & conseq. Formaliter, & de primariò illa acquiritur qualitas, quæ ita modificat, & disponit quantitatem, ut sit majoris vel mino-

minoris localis extensionis capax. Cujus fuit ratio assignata num. 21. quia nimirum major localis extensio raritatem supponit, cùm propterea majorem corpus occupet locum, quia est rarum.

Aliud Solvetur num 31. ad 9. arg.

24. Arg. 2. Didicimus ab Arist. 4. Phys. tex. 84. *rarefactionem fieri per hoc, quod magna dimensio, quæ priùs erat in potentia fit in actu*: ergo de Philosophi mente rarefactio fit per majoris localis extensionis acquisitionem.

Resp. dist. ant. & aliàs Stagyrita ibi intendit pandere raritatem, & densitatem per ejus effectum, vel quasi effectum secundarium, concedo, per ejus rationem formalem, & effectum primarium, nego ant. & conseq.

Contra Idem Arist. in Cathegoriis in prædicamento de qualitate paulò post medium: *rarum*, inquit, *& densum, & asperum, & lene videntur quale quiddam significare; sed apparet, hæc aliena esse à qualit. divisione; situm enim quendam partium videtur potiùs utramque declarare: densum dicitur, quia partes sibi invicem propinquæ sunt: rarum autem eo quod distant à se invicem.* Quod idem habet S. Th. 2. de Gener. lect. 2. Cùm itaque id, quod est alienum ab aliquo nequeat ejus esse formalis ratio, jam qualitas non erit ratio formalis rari, & densi, benè verò majoris situs acquisitio, majorisque loci occupatio.

Resp. dist. ant. & aliàs Arist. ibi sumit rarum terminativè, nimirum pro termino ad quem disponunt qualitates, quæ sunt raritas, & densitas, concedo, sumit rarum & densum pro formali, nego ant. & conseq.

Contra. In definitionem trahuntur res formaliter, & non terminativè; sed Arist. definiendo rarum, & densum, nullam qualitatis mentionem facit: ergo &c. Prob min. Sic scribit: *rarum est, quod magnis sub dimensionibus parum habet materiæ; densum verò quod sub parvis dimensionibus multum habet materiæ.*

Resp. dist. min. & aliàs ibi Stagyrita definit rarum, & densum definitione descriptiva, nimirum accidentali, concedo, essentiali, nego min. & conseq.

Dices. Gratis videtur dictum, ac incredibile, quòd jugiter sit locutus de raro, & denso eorum quò ad effectum; aut terminum secundarium, & definitione definiesit accidentalis.

Resp. id non adeo mirum esse. Quandoquidem cùm raritas, & densitas sint quid adeo captu difficile, pandere eas licuit per quid nobis notius, cujusmodi est ejus majoris, vel minoris extensionis acquisitio.

25. Arg. 3. Raritas, & densitas id facit, quod corpus majorem, aut minorem occupet locum; sed major, & minor localis extensio sunt, non qualitatis, benè verò quantitatis effectus: ergo raritas, & densitas non sunt qualitas. Prob. min. Quemadmodum se habet simpliciter ad simpliiter, ita magis ad magis; sed localis extensio absolutè est solius quantitatis effectus: ergo major localis extensio erit effectus majoris quantitatis, at non qualitatis.

Resp. primitùs, min. esse veram de majori, vel minori extensione majoritate, vel minoritate entitativa, at non purè explicativa, ut in casu nostro. Solutio nitet ex dictis §. 5. ad 1. & 2. arg. sub n. 15. & 16.

Præterea responderi cum aliis potest, quòd major localis extensio est effectus formalis qualitatis, non in se, sed dispositivè, idest effectus formalis quantitatis in recto, ut connotantis hujuscemodi qualitatis dispositionem: non absimili modo, ac gravitas est principium velocioris motus ut est propè centrum sine alterius gravitatis additione: & corpus dispositum per figuram rotunditatis velociùs movetur. ita sine alterius quantitatis additione eadem quantitas ut disposita per hujuscemodi qualitatem potest majori localis extensionis esse principium.

Solutio alia videatur apud Guerinois hìc §. 3. ad 6.

26. Arg. 4. Qualitas illa, quæcunque ea sit, supponit jam corpus magis, vel minus localiter extensum: ergo nullatenus illam tribuit localem extensionem. Prob. ant. Qualitas materialis supponit corpus localiter extensum: ergo pariter talis qualitas materialis supponit subjectum taliter, & tanta extensione extensum.

Resp. ut supra nego ant. loquendo de majoritate, & minoritate purè explicativa. Ad prob. dist. consequens loquendo de taleitate, & tantitate entitativa (sicut est extensio absolutè, quæ est entitativa, cùm non aliam supponat, cujus explicatio sit) concedo, de purè explicativa, nego conseq.

27. Arg. 5. Intensio qualitatis fit per solam explicationem radicativam ejusdem qualitatis, vel ad summum per additionem modi ejusdem: ergo pariter quantitatis rarefactio fit per solam ejusdem quantitatis partium explicationem, vel additionem modi pertinentis ad idem quantitatis, non verò qualitatis genus.

Resp. dato ant. nego conseq. discrimen est, non tantùm quia in primo casu sequeretur illud apud Thomistam incommodum, quòd duo accidentia solo numero distincta eidem coincubarent subjecto; verùm etiam quia cùm qualitas sit de linea activi, vim aliquam, & activitatem obtinet, se intendendi, & extendendi. Quantitas autem cùm sit duntaxat de linea extensivi, & nullatenùs activi, haud ullam sortitur vim se ulteriùs extendendi, aut restringendi sine augmento, aut diminutione quantitatis, & substantiæ: Idcircò ut id acquirat aliqua indiget superaddita qualitate juvari.

28. Arg. 6. ex Mastrio, & (ut ipse gloriatur) ineluctabiliter. Si densitas, & raritas forent qualitates, sequeretur, quòd raritas posset condensari, & densitas rarefieri; sed perridiculum hoc est, non secùs, ac perridiculum foret dicere, quòd calor frigefieri, & frigus calefieri queat: ergo &c. Prob. maj. Partes raritatis possent fieri propinquiores, & similiter partes densitatis possent localiter elongari, non minùs, ac corporis partes: ergo &c. Prob. ant. illius qualitatis partes ceu materiales forent formaliter extensæ, non minùs, ac corporis partes: ergo &c.

Resp. nego sequelam maj. Ad prob. dist. ant. essent extensæ cum essentiali limitatione ad talem, vel talem extensionem, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Equidem raritas est extensa, sed tamen est essentialiter ad talem limitata extensionem elongationis partium, cùm sit id, quod talem præbet elongationem. Non ita, quòd essentialiter secum ferat extensionem elongativam, cùm, uti diximus, in Christi Corpore sub Eucharisticis speciebus extet raritas, & densitas, & nulla habeatur localis extensio. Sed taliter quòd si extensionem aliquam habeat, essentialiter petit, ut non aliam habeat, nisi elongativam partium. Idem dicas de densitate, quæ est essentialiter determinata ad extensionem partium appropinquativam.

29. Arg. 7. Dari rarefactio potest, & condensatio absque alterationis motu: ergo raritas, & densitas non sunt essentialiter qualitates. Conseq. est exacta, quia motus ad qualitatem est sola alteratio. Ant. prob. Quolibet in motu locali facto per spatium planum aliqua fit condensatio, eò quòd dum planum corpus cietur, dividitur corpus aliquod implens spatium illud, propterea cùm partes divisæ nequeant cum aliis penetrari, debent comprimi, ac condensari, secùs convinceret argumentum antiquum probantium, dari vacuum; sed non omnia localis motus fit cum alteratione, cùm peracto judicii die nulla sit alteratio physica ultrà futura, Thomisticis insistendo vestigiis, & tamen erit motus localis corporum glorificatorum etiam infra Cœlum sublunari hoc in mundo: ergo &c.

Ad hoc nego ant. Ad prob. primodùm ex dictis in hujusce quæstionis exordio de condensatione, & rarefactione posset negari maj. nimirum, quod tum interveniat condensatio, aut rarefactio. Lege ibi

Præterea dici posset, quòd post judicii diem nulla in tali locali motu interveniet condensatio, aut rarefactio in aere; quia corpora gloriosa possunt aliis cum corporibus penetrari.

30. Arg. 8. Extat in Cœlis raritas, & densitas, sed dici ibi qualitates nequeunt: ergo &c. Maj. est perspicua. Siquidem Astra sunt reliquis Cœli partibus densiora, non absimili modo, ac nodi in tabula. Min. quoque est aperta, vel namque primæ, vel secundæ forent qualitates; sed propugnari neutrum valet, cùm primæ solis reperiantur in sublunaribus, adeoque etiam secundæ, ceu ex primis causatæ: ergo &c.

Resp. nego min. ad prob. primiter ex dictis in lib. de Cœlo, propugnando Cœli incorruptibilitatem dicas, esse primas duntaxat negativè in Cœlo, quatenus non causantur ex aliis prioribus. Vide quæ dicam sequenti quæsito n. 3. in fine. Alia solutio apud Guerinois.

31. Arg. 9. Idem pannus ejusdem magnitudinis, & dispositionis complicatus minorem, explicatus majorem occupat locum: ergo solam per dispositionis, & situs variationem potest minorem, aut majorem occupare locum,

cum, nulla acquisita quantitate, vel qualitate potest.

Resp. dist. ant. occupat secundùm diversam dimensionem, concedo, secundùm eandem dimensionem, nego ant. & conseq. Complicatus namque majorem occupat locum secundùm profunditatem; postea profunditate minutata majorem occupat locum secundùm longitudinem, & latitudinem. Ob ique nulla tum raritas, aut densitas intervenit propriè dicta.

QUÆRES.

Nam raritas, & densitas sint ejusdem, vel diversæ speciei qualitates.

1. COmmunis sensus asseverantium, quòd sint qualitates est, esse diversæ speciei, ac contrariae.

Oppositum tamen tutari non verentur nonnulli in m. s. clarissimi cujusdam ex nostris, qui sic loquuntur. Licèt communis sententia videatur docere, quòd rarum, & densum sint duæ qualitates specie distinctæ, & contrariæ; Improbabile tamen non videtur, quòd sicut eadem quantitas denominat magnum, & parvum respectu alterius, ita eadem qualitas denominet aerem V. G. densum comparativè ad ignem, & rarum respectu aquæ. Et rationem assignant, quia nempe rarum, & densum differunt sicut magis, & minùs explicans partes ejusdem quantitatis. Quemadmodum igitur eadem quantitas secundùm diversas sui partes entitativas sit major, vel minor entitativè, ita eadem qualitas secundùm diversas sui partes facit majorem, & minorem explicativè. Præsertim quia si raritas, & densitas duæ forent qualitates absolutè contrariæ, forent conciliabiles in gradibus remissis, non dissimiliter, ac calor, & frigus, ad quæ consequuntur. At hoc impossibilitatem redolet, nimirum quòd eadem quantitas simul sit major, & minor explicativè; sit multum materiæ sub parvis simul, & magnis dimensionibus.

Verùm enim verò communis est tenenda sententia, quòd nimirum raritas, & densitas sint qualitates diversæ speciei, & sint oppositæ. Ratio suffragatur, quia illa sunt diversæ speciei inter se contraria, quæ ita sub eodem distant genere, ut ab eodem mutuò sese depellant subjecto; sed haud dissimiliter se habent raritas, & densitas, cùm minimè queat idem subjectum esse rarum simul, & densum: ergo &c.

2 Ad fundamentum in oppositum Resp. quòd raritas, & densitas non se habent sicut quantitas magna, & parva, Tum quia quantitas non habet contrarium, benè verò qualitas. Tum quia se habent sicut quantitas facta magna, & non facta magna; non quidem comparata quantitate magna ad quantitatem parvam, sed comparata ad magnitudinem illam, quæ negatur. Hæc autem opponuntur plusquàm contrariè. Cujus signum est, quòd quantitas magna claudit in se quantitatem parvam. At non sic raritas densitatem continet, aut è converso.

Ad id, quod subdebatur dico, ita esse. Corpora namque illa, quæ nec sunt penitus rara, nec penitus densa, sunt simul nonnihil rara, & nonnihil densa. Sic aqua comparativè ad terram est rara, & comparativè ad aerem est densa.

Verùm enim verò majorem mihi difficultatem parit alia, quæ fieri posset objectio, videlicet, quòd si raritas & densitas essent contrariæ, Cœlum foret ab intrinsecis corruptibile, cùm omne ex contrariis compositum sit corruptioni suapte natura obnoxium.

Nec dicere proderit, quòd (ut inquit S. Th. in 2. sent. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5) raritas, & densitas in Cœlis sunt raritas, & densitas æquivocè.

Non, inquam, proderit, non solùm quia Angelicus ibi loquitur ut commentator, verùm etiam quia loquitur de raritate, & densitate quæ aliquando in Cœlis apparet Philosophis illis, qui asseverant, Cœlum esse corpus fluidum. Cæterùm absolutè negari haud potest, quòd sint univocè raritas, & densitas. Quandoquidem rarum definitur *illud, quod parum habet materiæ sub magnis dimensionibus*, & densum, *quod multum habet materiæ sub parvis dimensionibus*. Hæc verò definitio competit etiam raritati, & densitati in Cœlo, quia Stellæ V. G. quæ, Thomisticis insistendo vestigiis, se habent in Cœlo sicut nodi in ligno, sub parvis dimensionibus multum obtinent materiæ, ratione cujus obstant, ne adeo liberè per eas lux prætereat, idcirco altidiùs quàm aliæ Cœli partes enitescunt. Ob idque aliter

Resp. quòd raritas, & densitas sunt contrariæ contrarietate duntaxat explicationum, non contrarietate entitatum; quia, ut prægresso dicebamus art. faciunt quantitatem majorem, aut minorem duntaxat explicativa. Sola autem entitatum contrarietas facit entitatum corruptibilitatem.

Recolendum est etiam, quòd ibi diximus, raritatem, & densitatem non esse qualitates secundas causatas ex primis, ut in sublunaribus, in quibus causantur ex calore, & frigore; nec esse primas positivè, sed esse primas negativè, quatenus nec causantur ex aliis, nec causant alias. Sicuti namque natura Cœli est quinta quædam specialis essentia, ita qualitates ejus, præsertim raritas, & densitas sunt qualitates quædam specialis rationis debitæ aliquibus corporibus cœlestibus ex vi eorum creationis, ut debitæ ipsis, ut constitutis in recta dispositione suæ creationis, at non ortum trahentes ex aliis qualitatibus hic, & nunc diversimodè operantibus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Actione, & Reactione.

TUm ad præcedentium de alteratione quæstionum tum ad sequentium de mixtione incem, præsens juvat quæstio de Actione, & Reactione, quæ in alteratione interveniunt, & mixtione.

De Actione quò ad ejus subjectum scripsimus q. 2. Similiter 7 Phys. resolutum est adversus Scotistas, & alios, dubiolum aliud, quod hic agitari consueverat, & agitatur à Mastrio hic disp. 2. q. 4. de sphæra activitatis agentis, num scilicet agens possit agere in distans. In lib. quoque 2. de Anima aliæ quædam resolventur difficultates, quæ discuti hic consueverunt, puta de nutritione, augmentatione, &c. Eapropter his missis

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum simile possit actione univoca agere in passum sibi simile.

§. I.

1. PErcenseri communiter consuevit triplex similitudo. Prima est in forma, quando aliqua eandem in specie qualitatem habent, ut si utrumque sit calidum. Secunda in ejusdem formæ gradu, ut si utrumque sit calidum ut duo, vel utrumque sit calidum in octavo gradu, sicut duo ignes. Tertia in gradu, & etiam in raritate, & densitate, ut si utrumque sit æqualiter rarum, aut densum.

Exploratum apud universos est, agens simile in forma posse agere in aliud sibi dissimile in gradu, V. G. calidum ut quatuor potest intendere aliud calidum ut duo adusque faciendum illud etiam calidum ut quatuor, intendendo ejus calorem.

Aliud quoque tanquam universis exploratum supponi consuevit, nimirum quòd agens æquivocum queat agere in sibi simile; quia istud non ad assimilandum sibi passum agit, adeoque cunctam disceptationem esse de agente univoco.

Verùm enim verò in cassum hæc præmittitur suppositio, cùm lis intentetur, num agens possit agere in sibi simile, & aliàs agens æquivocum haud simile sit passo, secùs non esset æquivocum, præcipuè cùm agens obtineat non modò virtualiter, verùm etiam eminenter virtualiter id quod efficit, ut Sol efficiens calorem: quicquid sit de agente illo æquivoco, quod est duntaxat virtualiter tale, cùm istud possit facere, quod sit æquale formaliter in eo, quod agens est tantummodo virtualiter, Tum quia non agit ad assimilandum sibi passum; Tum quia ejus virtus ceu minùs exposita minùs in agendo repatitur. Sic videmus, quòd vinum, quod est duntaxat virtualiter calidum ut tria, si apponatur corpori calido ut tria, reddet illud calidum ut quatuor.

Si Objicias, quòd & hic illud sequitur incommodum, quod adduci communiter consuevit, nimirum quòd calidum ut tria posset producere calidum ut quatuor.

Resp. quòd calidum illud ut tria agens, ceu virtualiter tale, est æquivalenter calidum ut quatuor, quatenus virtus ejus minùs repatitur, quàm virtus agentis, quod habet formaliter tale prædicatum, estque univocum; omne enim agens agendo repatitur, ut art. sequenti dicetur. Et sic habetur assignata disparitas, quam assignari minimè posse

dicebat

dicebat Mastrius agens inter univocum; & æquivocum, dicens, rationem duntaxat à post. assignari posse, quatenus nimirum videmus, quòd ita est in agente æquivoco, ut vidimus, & non in univoco, ut §. sequenti videbimus.

2. Deveniendo itaque ad intentatam litem de univoco agente, communis est sensus, quòd si sit similitudo in omnibus, puta forma, gradu, densitate, & raritate, nequeat simile agere in simile. Nonnihil dissidii duntaxat est, num sola sufficiat diversitas in densitate, & raritate, ut agens queat agere in aliud sibi simile in forma, & gradu formæ. Eam siquidem esse satis profitentur nonnulli etiam Nostrates, ut Soto lib. 2. Phys. q. 4. & alii hisce diebus in m. s. eximii cujusdam ex nostris, in m. s. Niphus, & ex Exteris Marsil. & Toletus. Ast eam minime sufficere tutantur reliqui omnes, cùm quibus sit

§. II.

CONCLUSIO.

Nullum agens potest agere in passum sibi simile in qualitate, & gradu, nec etiam sola cum dissimilitudine in raritate, & densitate.

3. QUòad p. p. prob. 1. ratiocinio utriusque præceptoris Arist. & D. Th. hic cap. 7. lect. 19. & alibi non infrequenter. Agens univocum intendit assimilare sibi passum, ad differentiam agentis æquivoci; sed quoties adest similitudo in forma, & gradu, jam est simile: ergo nequit tum in passum agere.

4. Prob. 2. Quando agens, & patiens sunt prorsus similia, jam in omni eo, in quo est actu agens, est quoque in actu patiens, & ad omne id, ad quod est in potentia patiens, est quoque in potentia agens, sed ad hoc, ut unum in aliud agat debet illorum alterum esse in actu, in quo non est alterum: ergo &c. Nitet maj. secùs non essent in cunctis similia. Min. prob. Unumquodque agit inquantum est in actu, patitur verò inquantum est in potentia ad aliquid recipiendum: ergo &c.

Dilucidatur hoc, Si calidum V. G. ut quatuor posset agere in aliud calidum ut quatuor, produceret in isto calorem ut quinque; sed hoc impossibilitatem redolet: ergo &c. Prob. min. Nemo dat, quod non habet; sed calidum ut quatuor non habet in se calorem ut quinque: ergo &c.

5. Prob. 3. experimentis. Si aqua calida ut duo alteri infundatur aquæ calidæ itidem ut duo, non reddit eam calidam ut tria; ubique tepens aqua alteri commixta tepenti, non facit eam ferventem, benè verò tepentem relinquit. Item duo carbones æquè calidi non augent in se calorem, secùs duo calida ut quatuor possent absque extrinseco calefactivo sese calefacere ut octo, & ignescere. Si namque unum producit in altero calorem ut quinque, etiam aliud in alio; facta autem calefacta ut quinque possunt sese calefacere adusque sex, deinde quò ad septem, & postremò quò ad octo.

Neque idem hoc de æquivoco evincitur agente. Non, loquàm. Agentia siquidem æquivoca sic se habent, quòd unum agens æquivocum non agit in aliud agens æquivocum. Etenim vel ageret producendo in illo effectum formalem. Et hoc non, quia agentia ejusdem rationis sese invicem perficiunt juxta propriæ naturæ conditionem. Æquivocorum autem agentium natura est esse duntaxat virtualiter talia, licèt contra, vel saltem præter eorum naturam valeant esse formaliter talia, ut vinum igne calefactum. Vel quid virtuale. At neque hoc, quia quod est virtualiter tale producit effectum formaliter talem dum agit, ut prænitet in Sole, qui formaliter calefacit sublunaria, & vinum calefacit formaliter stomachum.

6. Prob. modò 1. conclusio quò ad 2. p. Quandoquidem eædem militant rationes adductæ pro prima parte, nimirum quòd agens intendit assimilare sibi passum; sed calidum V. G. ut tria est jam simile in calore cum alio calido ut tria, tametsi densius sit: ergo tametsi densius sit nequit illud calefacere. Item calidum ut tria non est in se calidum ut quatuor tametsi densius sit, secùs absimile foret alteri calido ut tria, sicque sumus extra casum: ergo nequit reddere aliud calidum ut quatuor.

Respondet Adversarius, quòd calidum ut tria estò non contineat formaliter calorem ut quatuor, illum tamen continet æquivalenter, ratione majoris materiæ, quam includit. Sed

Contra. Calidum ut tria ex eo, quòd est densius, majoremque habens materiam, non fit continens nec formaliter, nec æquivalenter calorem ut quatuor: ergo &c. Prob. ant. Quod per se, & ratione sui est in potentia formali ad habendum calorem ut tria, non obtinet illum neque eminenter, ut exploratum est in Sole eminenter calido, qui ad nullum formalem calorem est in potentia; sed calidum ut tria tametsi densius, est in potentia formali ad habendum formaliter calorem ut quatuor, quem non possidet: ergo &c.

7. Prob. 2. Quandoquidem sequeretur, posse produci qualitatem supra octavum gradum, idest ultra summum, si nimirum extaret calidum ut octo, nempe in summo. Si namque istud condensaretur posset producere calorem supra octo gradus.

8. Prob. 3. densitas vel esset ratio formalis, vel conditio continendi, & producendi calorem majorem; sed propugnari neutrum potest; ergo &c. Maj. quò ad p. p. est dicto ipso notior. Ex opposito namque sequeretur, quòd densitas ubique etiam ubi est frigidum, & non calidum calefaceret. Quò ad 2. verò prob. Quotiescunque quicquam producitur, debet assignari ratio formalis illius productiva; sed ratio formalis productiva V. G. caloris ut sex non est calor ut quinque: ergo si calidum ut quinque densum produceret calorem ut sex, ratio formalis erit densitas, cùm haud aliud excogitabile sit, adeoque &c.

Per quod jugulatur etiam placitum Jo: à S. Th. Lermæ, aliorumve, dicentium, quòd raritas, & densitas, licèt non directè, & formaliter conducat ad hoc, ut unum agere in aliud queat; conducit tamen indirectè, & dispositivè, quatenus tali posita dispositione, qualitas in majorem, intensioremque se explicat activitatem in virtute ipsius principalis agentis, à quo primò incipit hujuscemodi actionis diffusio. V. G. cum Solis radius incidit in speculum, ex quo reflectitur, causat in speculo corpore denso lucem, quæ formaliter non est intensior lumine prius producto in medio, idest in aere prope speculum; attamen tali posita dispositione, ipsum lumen, quod erat formaliter minus, majorem postea activitatem explicat in speculo; Idcircò major fit in reflexione illuminatio.

Jugulatur, inquam. Aliqua siquidem formalis ratio assignanda venit. In casu autem producto versamur extra casum, in quo sermo est de simili agere in simile num queat. Sol autem non est similis aeri quantumcunque à se illuminato, sed longe jugiter lucidior. Et isto in casu vel ipse annuo, quòd densitas possit esse majoris intensionis occasio.

Vel dicas, quòd tunc radii, qui erant divisi evadunt uniti, sicque per modum unius partialiter concurrunt ad majorem efficiendum calorem, ut dicemus §. sequenti ad 1. arg. Et hoc in sensu admitti potest placitum Joannis à S. Th. & Lermæ. Tunc namque aliqua habetur formalis ratio, nimirum concursus duorum per modum unius. Sic *gutta cavat lapidem, non semel, aut bis, sed sæpè cadendo*; quia cunctæ præcedentes perseverant virtualiter. Et sic postea omnes simul cum ultima per modum unius partialiter agunt. Dicere ni malueris, quòd priores disposuerunt, idest fuerunt dispositiones, ut postremò per unam cavaretur lapis.

§. III.

Adversantium argumentationes dissolvuntur.

9. ARg. 1. argumento usitatiori contra p. p. Si producto lumine ut duo in aere ab uno luminoso, alterum admoveatur luminosum ut duo, producet lumen ut quatuor: ergo simile agit in simile. Ant. (contra nonnullus etiam ex Thomistis illud inficiantes, ac dicentes, tum majorem extensivè duntaxat illuminationem fieri, idest medium illuminari secundùm alias partes proximas, & deinde quò ad remotiores) videtur palam, quia tunc clariùs nos legere experimur. Ob idque illud admittit Cajet. p. 2. q. 52. art. 2. Scotus, & alii. Consequentia autem est exacta, quia tunc medium ut duo illuminatum est simile, hoc est æquale in luce ipsi luminoso ut duo supervenienti.

Resp. dato ant. nego conseq. Ad prob. dist. ant. est simile ipsi luminoso inspecto divisivè, & seorsim ab alio, concedo, collectivè cum alio, nego ant. & conseq. Etenim

statimatque luminosum ut duo est simul cum altero luminoso ut duo concurrendo ad eandem illuminandam partem æqualiter ab utroque distantem, tunc utrumque se habet veluti luminosum ut quatuor : Idcircò lumen intensum ut quatuor producere in ea queunt parte, quæ priùs erat illuminata duntaxat ut duo.

Contra. Duobus à principiis nequit idem provenire lumen, secùs idem posset effectus à pluribus esse causis ; sed illa luminosa sunt duo : ergo nequit esse idem lumen ut quatuor, eruntque proinde lumina duo ut duo.

Resp. dist. maj. à duobus principiis totalibus, concedo, partialibus constantibus unum totale, nego maj. & distincta min. nego conseq.

Dices. Ad hoc, ut illa duo luminosa se haberent per modum unius ad idem in eadem parte medii lumen producendum, deberent facere majus luminosum intensivè, & non modò extensivè, cùm causarent majus intensivè, & non tantùm extensivè lumen ; sed faciunt magis luminosum duntaxat extensivè : ergo non sic se habent per modum unius. Prob. min. Intensio fit in eodem subjecto, imò in eadem parte subjecti ; sed luminositas illa, seu virtus illuminativa est in diversis subjectis, puta duabus in candelis : ergo &c.

Resp. nego maj. Ad prob. annexam dist. ant. causarent causalitate partiali, concedo, totali, nego. Cùm enim quodlibet illorum causet partialiter non est necesse, quòd magis intendatur virtus cujuslibet illorum ; quia illorum quodlibet nil plùs agit, quàm si faceret ut duo.

Adde ad arg. ex dicendis in Meth. q.1 a. art.6. §.3. ad a. conf.a. arg. n.7. assumptum esse falsum. Eatenus autem tunc nobis videtur, quòd tantisper clariùs legamus, quatenus cùm visus etiam alias ad partes feratur propinquiores, quæ non adeò priùs erant illuminatæ, videtur ei, etiam eadem in parte lumen excrevisse.

10. Arg. a. ad idem. Potest agens agere in dissimile : ergo multò magis, & à fortiori in simile. Prob. conseq. Passum penitus simile nullatenus resistit agenti, quemadmodum nullo modo contrariatur, benè verò dissimile : ergo si &c.

Conf. Experimento est palam, duas phialas vitreas omnino similes invicem sese confringere, & duos manus æquè calidas, & densas sese calefacere saltem per confricationem : ergo &c.

Resp. ad arg. nego conseq. Ad prob. dist. ant. minùs obsistit resistentia passiva, & contraria, concedo negativa, nego ant. & conseq. Quamquam etenim non resistat positivè, hoc est per qualitatem contrariam qualitati agentis, quemadmodum frigidum calido, & humidum sicco obsistit, ac è converso ; obsistit tamen negativè per ineptitudinem recipiendi effectum agentis. Quæ obsistentia negativè perspicua est in calido V.G. ut octo, idest in summo, quod non obtinet qualitatem contrariam calido ; & tamen haud capax majoris caloris est.

Ad Conf. Resp. primitèr cum Guerinois, esse moraliter impossibile naturaliter loquendo, duas extare phialas omnino similes in duritie, itant nec in minimo una alteram in duritie superet. Præterea etiam dato, quòd forent penitùs in duritie similes, non tamen erunt prorsus similes in impulsu eis à collidente impresso. Tandem dicas, phialas illas esse causas æquivocas, non verò univocas contritionis alterius.

Ad id, quod de manibus dicitur Resp. primitùs eodem cum Guerinois, raro contingere, eas manus esse penitùs similes in calore, quòd si ita foret, neutra calefaceret alteram. Præterea ex Compl. dicas, quòd palmæ junctæ magis calefiunt, non à seipsis, sed à corde ; conducit tamen per modum dispositionis conjunctio ; eò quòd conjunctæ magis obsistunt aeri circumstanti, qui posset calori à corde immisso obsistere, vel illum temperare. Vel per motum, & confricationem magis calefiunt, quatenus illam per commotionem spiritus excitantur vitales calidissimi, qui manuum ad superficiem concurrentes causant, quem experimur calorem.

11. Arg. 3. ad idem. Actus charitatis minoris, vel æqualis intensionis cum habitu charitatis est causa moralis, nimirum meritoria augmenti extensivi illius : ergo etiam qualitas agentis minoris, vel æqualis intensionis cum qualitate passi potest esse causa efficiens physica augmenti intensivi ejusdem qualitatis. Ant. est ferè certum apud Theologos. Conseq. est exacta, quia non minùs causa moralis debet aptari cum effectu causato moraliter, quàm causa physica cum effectu causato physicè.

Respondent nonnulli in m. s. concesso ant. negando conseq. Discrimen autem cum Cajet. esse dicunt, quia meritum causat præmium, non ut sibi assimilet subjectum præmii, sed ratione valoris, & condignitatis cum præmio. Eapropter cùm quilibet charitatis actus, ceu meritorius, sortiatur proportionatum valorem ad gloriæ augmentum, ac proinde ad augmentum gratiæ, & charitatis; Idcircò actus, estò sit habitu remissior, potest esse causa moralis, augmenti ipsius. Cæterùm causa physica agit, ut sibi assimilet passum; ob idque passo assimilato nequit in ipsum actio dari.

Verùm quicquid sit de solutione ista, quæ videtur offendiculum pari, eò quòd meritum cùm causet præmium in concreto, & non in abstracto, videtur, quòd causet præmium, ut sibi assimilet subjectum præmii, aliter.

Resp. dist. ant. minoris, vel æqualis intensionis physicè tantum, concedo, physicè, & moraliter, nego ant. & conseq. Cum namque esse morale ceu se tenens penes prudentum existimationem formaliter, supponet suum esse physicum, & propterea difficillimum physicè consuevit dici impossibile moraliter, ut dici communiter consuevit in tract. de legibus pandendo unam ex conditionibus, quæ pro lege assignantur ab Isidoro, videlicet quòd sit possibilis, idest non impossibilis moraliter, idest non difficillima physicè, cùm exploratum aliàs sit, legem non posse esse de impossibili physicè, ut vel nos diximus in Logica Syntag. s. art. r. concl. a. probando Logicæ necessitatem ad scientias in statu perfecto capessendas. Idcircò actus ille licet sit minoris, vel æqualis intensionis physicè, est tamen semper majoris intensionis moraliter.

12. Arg. 4. contra a. p. concl. ex prælaudato in m. s. In calido ut quatuor sed denso sunt plures partes existentes in pluribus materiæ, quàm in calido ut quatuor palmari, sed raro, ut constat ex dictis quæst. præcedenti ; sed multitudo partium materiæ conducit ad perfectiorem, & extensiorem effectum producendum etiam ut principalis causa : ergo intensiùs operari potest calidum ut quatuor densum, quàm rarum : ergo potest densum agere in rarum simile in forma, & gradu formaliter. Min. prob. tum ex dictis in sententia Cajetani, quòd nimirum plura luminosa æqualis intensionis producunt lumen intensius, quàm unum tantùm; quod ultra experientias ibi adductas explicatè docet S. Th. in s. sent. dist. 13. q. 5. art. 3. ad 2. quod intendebat probare, lumen non esse accidens, sed corpus, ex eo, quod secundùm Dionysium conjunguntur, & separantur. Ad quod respondet S. D. quòd lumina conjunguntur, & separantur secundùm intensionem, & remissionem multiplicatis luminaribus : ergo luminarium multiplicatio conducit ad luminis intensionem, adeoque plura extensivè possunt æquivalere majori intensivè. Quod etiam ibidem docet ad 6.

Tum quia hoc idem explicatè tradit Arist. 8. phys. tex. 80. & D. Th. ibidem lect. ar. ubi interpretatur Aristotelem, & demonstrat, quòd in magnitudine finita nequit esse potentia infinita, nec in magnitudine infinita potentia finita. Et loquitur de potentia finita, vel infinita secundùm extensionem, ut legenti perspicuum fiet. Et quia objicere quis poterat, quod interdum magnitudo minor habet majorem virtutem, ut parvus ignis majorem sortitur virtutem, quàm parvus aer ; & sic videtur, quòd etiam magnitudo infinita potest habere virtutem finitam, & è converso: Idcircò hoc præoccupans Philosophus inquit : atqui quamquam fiat, ut in minori magnitudine plus virium insit, multò tamen majores sunt in majori ; sicut (subdit S. Th.) aer major secundùm aliquam partem habet minùs de virtute, quàm parvus ignis ; si tamen multùm augeatur aeris quantitas habebit majorem virtutem, quàm parvus ignis : ergo &c.

Tum quia (ut communiter docent Philosophi) ut agens agat, major virtus debet esse in agente, quàm resistentia sit in passo ; sed hoc nonnisi ratione majoris quantitatis, quæ (ut etiam Adversarii concedimus) non ex ratione formali qualitatis utriusque, quia terra resistit aquæ ratione siccitatis, quæ est virtus maximè resistitiva, aqua verò agit in terram ratione humiditatis, quæ est mediocriter activa : ergo ipsa major quantitas, & multitudo partium formæ, sive qualitatis conducit ad majorem virtutem, & ad perfectiùs operandum. Unde

Perstringitur argumentum sic. Longè major est excel-

lus

sus unius in aliam qualitatem secundùm rationem formalem specificam in agendo, vel resistendo, quàm secundùm gradum intra eandem speciem; sed siccitas terræ estò ex ratione specifica habeat virtutem resistitivam excedentem virtutem aquæ, tamen ratione majoris quantitatis succumbit, & fit veluti, æqualiter minor in resistendo: ergo & calor in denso quamquam sit formaliter æqualis, vel minor in gradu, quàm in raro; tamen ratione majoris quantitatis se habet ut nonnihil intensior, & sic potest in ipsum agere, intendendo nedum instrumentaliter, verùm etiam principaliter.

Denique. Cæteris paribus ingens lapis celeriùs descendit, quàm modicus, & plura corpora posita in statera, eam faciliùs deorsum pertrahunt: ergo gravitatis multitudo æquivalet majori intensioni gravitatis; adeoque etiam multitudo intensionis caloris; & sic de reliquis qualitatibus.

Resp. nego maj. quàm uti certam supponit Opponens. Quandoquidem supponimus, quòd tùm in denso calido ut quatuor, tùm in raro calido, ut quatuor sint æquales partes calidæ, ea solùm cum differentia, quòd in denso partes illæ minorem occupant locum, in raro verò majorem locum implent; quia ut vidimus quæst. prægressa art. unico §. 1. in condensatione non deperduntur, nec in rarefactione acquiruntur partes, præsertim substantiæ, secùs foret, vel nutritio, vel diminutio, vel augmentatio. Cæterùm habes ex dictis hic ad 1. arg. quòd si majora concurrant calida, aut majora lucida &c. producunt simul partialiter majorem calorem, majorem lucem, &c.

Hinc sponte sua totum labascit argumentum. Siquidem concedimus omnia, sed omnia fiunt per augmentationem partium substantiæ, aut formæ activæ, non verò præcisè ratione ipsius densitatis.

Contra. Virtus unita fortior; sed ratione densitatis partes tametsi æquales fiunt magis unitæ: ergo & fortiores fiunt ratione ipsius densitatis.

Resp. dist. maj. virtus unita est fortior intra suæ activitatis virtutis, & intensionis, sphæram, concedo, secùs, nego maj. & concessa min. nego conseq. Vel aliter dist. maj. si fiat magis unita entitativè, concedo, si duntaxat complicativè, inextensivè, ut prædeclaravimus quæst. præcedenti, nego.

Sic placuit respondere aliorum missâ solutione, dicentium, ex præfato arg. duntaxat sequi, quòd partium multitudo conducat ad hoc, ut effectus citiùs, & celeriùs fiat, at non ad hoc, quòd intensior evadat. Hoc autem ab universis conceditur. Videmus siquidem, quòd carbo citiùs quàm flamma adurit ratione majoris densitatis.

Missa, inquam, Tum quia non respondent ad omnia, quæ in præfato dicta sunt argumento. Tum quia gravitatis intensio non aliundè dignoscitur, quàm ex descensu velociori, cujus gravitas est principium: ergo æqualis gravitatis similitudo ad velociorem conducens descensum æquivalet gravitatis intensioni quò ad unicum illius effectum ut intensa est: ergo etiam potest calor pluribus in partibus materiæ multiplicatus æquivalere calori magis intenso formaliter, adeoque potest intensiorem inducere calorem.

§3. Alia nonnulla minuscula argumenta tum contra primam, tum contra secundam conclusionis partem, soluta leges apud Cavinum, & apud Guerinois.

PERCONTABERIS.

Quænam sit causa majoris intensionis qualitatis in Antiperistasi.

1. MAjorem qualitatis intensionem in Antiperistasi esse realem, & non merè apparentem ex organorum sensuum diversitate, quasi quòd puteorum aqua in æstate V. G. non sit magis frigida, sed talis duntaxat appareat, eò quòd manibus calidis contingitur, contra quosdam innominatos apud Mastrium supponimus, Tum quia in æstate si quis manibus ab una infrigidatis aqua aliam tangeret aquam, hujus sentiret frigiditatem. Tum quia modica aqua super ignem injecta, aut super calcem, est occasio, quòd ignis magis accendatur, calx magis calefiat. Tum quia exhalationes propter nubium frigiditatem accenduntur in ignem.

2. Idem comprobari consuevit exemplo ventriculi animalium, qui tempore hyemali calidior, æstivo verò frigidior ex Hippocr. aphoris. 15. & ita realiter esse, & non purè apparenter planum fit meliori ex ciborum concoctione; qua ratione in hyeme magis comedere consuevimus, Homines Septentrionales voraciores, Meridionales verò parciores extant.

Hoc tamen ultimum experimentum improbat Arriaga hic disp. 3. sect. 9. Ob idque plura opponit. Primum quia in hyeme magis conveniunt, idest congruentiores sunt cibi calidiores, in æstate verò frigidiores. Secundum, quia quando principium aliquod à contrario obsidetur, nequit ita perfectè operari, sicut si illa obsidionis careret angustia. Tertium, quia in æstate partes corporis externæ calidiores sunt, quàm in hyeme, qui calor nequit ab ambiente aere præstari, eò quòd aer non est adeò intensè calidus, ob idque in vestibus aeri propinquioribus non sentitur calor sic intensus ut in partibus corporis, adeoque à majori provenit interno calore. Neque dici potest, tunc ab aeris calore evocari foras internum calorem. Calor siquidem non evocatur per modum localem (quia accidens de subjecto in subjectum non migrat) sed per productionem, quatenus ab interno calore producitur in partibus externis, adeoque internus calor si fortiùs in æstate agit, erit quoque major.

Hinc respondet ad exemplum de imperfectiori concoctione, quæ fit in æstate, provenire nimirum ex caloris excessu Quandoquidem ad concoctionem requiritur temperamentum ad mensuram. Cujus signum esse dicit, quòd intensissimus calor febrilis quamvis per totum corpus etiam in stomacho diffusus, non prodest, imò nocet concoctioni, & nutritioni.

Verùm enim verò hallucinatur Arriaga. Ex hoc siquidem sequeretur, quòd frigidissimo in hyeme, præsertim Septentrionalibus in regionibus imperfectissimè concoctio fieret; quia calor quemadmodum esse taliter debet in mensura temperatus, ut non excedat, ita à fortiori debet taliter esse in mensura, ut non sit ibi diminutus; esset autem tunc ibi diminutus: eò quòd sicut in æstate tantus foret calor, ut redderet ventriculi calorem nimis excedentem, ita in hyeme, præsertim ad illas plagas esset tam grande frigus, ut nimis deficientem ventriculi calorem redderet. Ad id autem, quod de febrili subjicitur calore, dico, primodùm nos non negare, quòd calor excedens impediat, sed negare, quòd talis excessus eveniat in æstate. Præterea ex mox dicendis dico, evenire, quia Jecoris calor attrahit ad se stomachi calorem.

Ad 1. opp. Resp. id evenire ratione caloris adventitii ab extrinseco.

Ad 2. Resp. verum esse, si eodem operetur cum conatu, secùs verò si majori cum conatu agat, & toto conatu, ut evenit in casu, sicut mox dicemus hic num. 4.

Ad 3. primitùs juxta primum, quem propugnabimus dicendi modum Resp. negando, quòd id nequeat provenire ab aere ambiente. Ad prob. dico, discrimen esse, quia vestes non sunt ita dispositæ, sicut animal ad calorem. Et præterea calor ille aeris ambientis in partibus animalis conjungitur cum naturali calore, cum quo partialiter agendo majorem efficit calorem.

Præterea juxta secundum, quem etiam defensabimus dicendi modum, dico, quòd tum non attrahitur calor de subjecto in subjectum, sed attrahitur calor cum suo subjecto, nimirum attrahuntur spiritus vitales, in quibus deget ille calor, qui attrahitur ad partes extremas. Cujus signum est, quòd in æstate qui frigore in extremitatibus afficiuntur, vehementi afficiuntur intrinsecùs calore.

3. Ad nostrum igitur deveniendo propositum cùm exploratum sit, tunc illam intensionem fieri quidem per accidens, & occasionaliter à qualitate contraria ambiente (licèt uti aliter sentientes Peripateticos calumnietur Jo: Saguens) quapropter antiperistasis Græcè, Latinè significat circumobsistentiam contrarii penès aliud contrarium debilius; non tamen per se & formaliter; quia unum contrariorum nequit aliud nec etiam partialiter producere, aut intendere; Idcircò dubium emergit, à quo per se, & formaliter qualitas illa in antiperistasi intendatur. Circa quod

4. Nonnulli, ut Tol. 1. de Gener. q 14. Astud. q. 21. Pomponacius, & Zabarella tract. de reactione censent, causam per se esse qualitatem ipsam, quæ propter obsessionem contrarii condensatur, magis constipatur, fitque vegetior. Verùm enim verò opinio ista veritatem non redolet, Tum quia, ut retroacto art. §. 3. ad 4. arg. in fine scripsimus, condensatio, & constipatio estò juvarent ad agendum, non tamen supra proprias vires. Tum quia cùm calor

sit potiùs rarefactivus, non est perceptibile, quomodo ex circum obsessione calidi frigus fieret intensius.

5. Alii autumant, causam perse esse species quasdam intentionales qualibet à qualitate emissas, quæ cùm in contrarium circumstaus impingunt, ob majorem istius obsistentiam retrograduntur, & suum in agens deflectuntur, atque illud intendunt. Ita Mars. 1. de Gener. qu. 17. & 18 Venet. ibidem cap 23 Saxon q 15. & nonnulli Medicorum.

At neque opinio ista videtur vera, non solùm quia species illæ cùm sint accidentia, nequeunt de subjecto in subjectum migrare; Verùm etiam quia à qualitatibus æquivocè producuntur: ergo alterius sunt rationis, & ignobiliores, eò quòd causa æquivoca suum in perfectione excedit effectum: ergo nequeunt species intendere qualitates, à quibus producuntur. Eò vel maximè, quòd species illæ intentionales ordinantur à natura ad sensationes causandas.

§. II.

DICO PRIMO.

Probabile est, causam perse talis intensionis esse ipsammet qualitatem.

6. ITa Jo: à S.Th. Conimbr. Suess. & alii.

Prob. Si qualitas illa nequiret seipsam intendere, maximè quia nihil potest agere in seipsum, cùm nec in simile actione univoca agere queat; sed ratio ista impræsentiarum non valet: ergo esse potest, quòd hujuscemodi qualitas seipsam intendat. Prob.min. Licèt nihil possit agere in seipsum actione propriè tali, & univoca, nimirum per sui virtutem, benè tamen actione impropriè tali, & in virtute generantis, actione proinde æquivoca; sed talis est illa major qualitatis intensio: ergo &c. Maj. & Min simul probantur. Aqua V. G. non minùs fit frigida ex calida, quàm ex minùs frigida fiat magis frigida; sed aqua agit in seipsam tali actione impropriè dicta in virtute primi generantis, aut creantis, dantis ei esse, & se recipit ad primigeniam frigiditatem: ergo &c.

Non me fugit quòd frigiditas est proprietas debita aquæ ex vi generationis. Nec tamen me præterit, quòd major illa frigiditas licèt non sit proprietas aquæ absolutè debita ex vi generationis; est tamen talis in tali circunstantia, in qua ut se veluti defendat à contrario, aliqua majori indiget efficacia.

7. Si objicias quòd si hanc obtineret vim, sequeretur, quòd etiam in absentia caloris seipsam intenderet; quia agens naturale non impeditum semper agit secundùm ultimum suæ potentiæ; imò magis, quia tum omni caret impedimento.

Resp. nego sequelam, quia in absentia contrarii virtus illius habita à generante ex vi generationis veluti torpebat. Ad prob. dico, id verum esse in actionibus propriè talibus, at non impropriè talibus, & purè dimanativis. Ad id, quod subditur habes ex dictis prægresso §. num. 2. ad objectionem Arriagæ.

Ea ex re deprehendes, nos non dicere, quòd intendat seipsam per actionem reflexam, qua dum præpeditur ulteriùs tendere ab extrinseco ambiente, ejus virtus retrograditur. Non, inquam, nisi explicetur in sensu dicto à nobis art. retroacto §. 2. in fine, & iterum §. 3. ad 1. arg. sed dicimus, in seipsam agere actione directa, sed tamen impropriè dicta, & in vi gignentis.

8. Objicies præterea. Estò hæc benè se haberent in intensione naturali ut cùm aqua in æstate evadit frigidior; non tamen in intensione innaturali, ut cùm in hyeme aqua fit calida: ergo non sunt universaliter vera. Prob. ant. Non enim ab aqua potest calor emanare.

Resp. quòd tunc verè, & propriè non est acquisitio caloris, nec illius intensio, sed est duntaxat remissio quædam frigoris, nimirum frigus fit remissius; quia tum aquæ virtus, quæ non est in tanta pressura non ita ad omnem sui excitatur conatum, sed nonnihil torpet. Sanè aqua putealis in hyeme non est absolutè calida, sed solummodo minùs frigida, & calida comparativè ad aliam aquam extra puteum, vel comparativè ad aerem, qui ceu sub aperto dio magis frigescit.

Neque obest, quòd in hyeme aquæ puteales recenter haustæ videantur fumigantes. Non, inquam. Non enim fumus ille est caloris effectus, sed quidam sunt vapores, qui ex aqua tùm in hyeme, tum in æstate ascendunt, sed in hyeme, quando densior est aer, ceu magis uniti, quia non tam facilè aerem permeant, sensibiles magis, & visui conspicui evadunt.

§. III.

DICO SECUNDO.

Probabile etiam est, qualitatis intensionem in Antiperistasi fieri per accessum, aut secessum exhalationum quarundam.

9. PRo notione Animadverte primò, corpora cuncta calida vel frigida exhalationibus esse plena; illa suapte natura calidis; hæc frigidis. Quæ exhalationes propria in qualitate intensiores reliquis sunt partibus, quia sunt veluti quædam quinta essentia illorum corporum.

Secundò, proprium esse contrariorum sese invicem refugere naturali ex propensione, qua res appetit conservari, ad quod summopere similium conducit societas; Ob idque vulgò dicitur, similia facillimè congregari. Idque experimento fit palam in plumbo fervente, & liquato, quod si in aquam decidat subitò contra sui naturam resilit summo impetu, magnoque fragore, & in ipso aere quasi suspensum congelascit. Eapropter qui fusilibus incumbunt non segniter cavent, ne quid aquei humoris insideat artificiosis formis, in quibus æs liquatum recipi debet. Quòd si non ita resilit ignis ab aqua, puta carbo, aut ferrum candens Id est per accidens, quia impeditur à sua gravitate, & suo detinetur pondere, & potiùs mergitur; quam tantam gravitatem non obtinet æs liquidum.

Verum est tamen, quòd tum est intendi negativè, quatenus remitti per illum exitum non permittitur sicut priùs permittebatur.

Hanc audire doctrinam detrectat P. Ruvius hic de Gen. tract. de actione, & reactione q 2. Tum quia grave tendit naturaliter deorsum, cui inclinationi cedit duntaxat ob bonum commune ad vacuum impediendum, adeoque motus ille est violentus, & non naturalis Tum quia si doctrina hæc valeret, sequeretur, quòd aqua ignem fugeret.

Nihilominùs ista Ruvii motiva haud sufficientia sunt ad communem respuendam doctrinam. Non quidem primum. Dicimus namque, quòd quemadmodum potest cedere ob commune bonum, ita quoque potest cedere propter suum peculiare bonum, quando non sit contra commune bonum. Eò vel maximè quod gravia, & levia tendunt naturaliter ad propria loca, quia meliùs in eis conservantur; At etiam ad sui conservationem magis indigent procul à suo abesse contrario. Neque secundum. Quandoquidem ideo aqua non refugit ab igne, quia (ut alibi scripsimus) licèt ignis ratione caloris sit magis activus, quàm sit aqua vi frigoris; tamen aqua ratione humiditatis, quæ magis, quàm frigus conducit ad aquæ conservationem, magis agit in ignem, quàm ignis media siccitate in aquam; Idcircò faciliùs aqua etiam calidissima ignem perstinguit si in mediocri sit copia; sin autem confestim absumitur, ut ei resilire minimè vacet. Eò vel maximè, quòd ignis nequit conservari absque calore in summo; benè verò aqua sine frigore in summo.

Neque obest, quòd à ligno igni admoto humor emanet humidus, & aqueus existens intra lignum virens. Non, inquam. Etenim ut 1. Phys. adversus Chimicos scripsimus, illa est forma quædam de novo genita vi ignis, & dimanans; at non humor ille aqueus; quia iste consumitur.

Adde, posse etiam dici, quòd aqua quando est adeo modica, ut ignem perstinguere nequeat, & aliàs est tanta, ut non extemplo consumatur, tunc resilit. Eam ob rem persæpè compertum est, quòd erumpente ex Vesuvio igne, Aqua Maris plura ad milliaria retrogressa est.

Hisce suppositis

10. Placiti hujus probabilitas prænitet. Quandoquidem omnibus in percensitis casibus §. 1. potest dici, id evenire mediis hujuscemodi exhalationibus. Sic aqua putealis in æstate evadit frigidior, quia illæ frigidæ exhalationes intùs se recipiunt, ut à suo secedant contrario; in hyeme verò frigidæ illæ exhalationes exeunt, imò à suo simili attrahuntur, nimirum ab ipso frigore foras attrahuntur. Vel quia in hyeme clauduntur pori à frigore, idcircò exire non permittuntur exhalationes quædam calidæ, quæ à terra emittuntur, provenientes quibusdam ab igneis subterraneis locis,

eis, & per terram diffusis; De quibus legi potest P. Maurus hic, & nos nonnulla scribemus lib. 2. q. 1. in præloquio §. 3. sub num. 6. In æstate verò medio calore attrahuntur: non absimili modo, quo scripsimus §. 1. ad 3. Arriagæ objectionem. Eapropter & medici docent, ex nimio Jecoris calore refrigerari stomachum, quatenus ad se Jecur spiritus trahit vitales; Et Gal. lib. 2. de temp. cap. 6. inquit, illa, quæ putrescunt calidiora fieri adventitio calore, proprio autem frigidiora.

Et hæc satis de hac re, quæ medica potiùs, quam philosophica videtur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num agens agendo repatiatur.

§. I.

1. ANnuunt Philosophi omnes cum Arist. hic cap. 7. & alibi, cujus verba affert Cavinus hic q. 2. §. 3. in fine, quibus Medicorum adstipulatur schola apud Conimbr. citantes Avicennam, & Galenum 3. Sincom. cap. 2. & 3. de temperamentis cap. 5. contra Majorem, aliosve Nominales. Dissidium autem inter annuentes aliquod emergit in assignando id, à quo repatitur, partem, in qua repatitur, & qualitatem, secundùm quam repatitur. Quandoquidem nonnemo apud Marsil. sentit, quidem, repati, non tamen ab eodem passo, in quod agit, sed à corporibus Cœlestibus propter universi bonum, nimirum propter generationem mixtorum, quæ absque hujuscemodi actione, & repassione non extaret. Alii, ut Richardus, Suissetus, quem (ut Mastrius dicit) à solertia arguendi per calculationes, calculatorem scholæ vocitant, admittunt quidem, agens repati ab eodem patiente; non tamen secundùm eandem qualitatem, secundùm quam agens agit: & passum repatitur, sed secundùm diversam, V. G. ignis per calorem agit in aquam minuendo ejus frigiditatem, aqua agit in ignem, non per frigiditatem per se minuendo calorem, sed per humiditatem corrumpendo per se in igne aliquem siccitatis gradum; & quia siccitas connectitur cum ignis calore; Idcircò per accidens etiam aliquis minuitur caloris gradus. Ita etiam sentire videtur M. Cavinus hic q. 2. ad 3. arg. positum in §. 5. Alii demum arbitrantur, quòd detur repassio secundùm diversas partes, quibus est illi immediatè applicatum. Contra quos toto Philosophorum Cœtu.

§. II.

CONCLUSIO.

Agens agendo aliquando repatitur secundùm eandem qualitatem, secundùm eandem partem, & ab eodem passo, in quod agit.

2. ANtequam probetur conclusio hoc tibi exploratum sit ex Arist. hic 7. de gener. tex. 53. citato, quòd ad hoc, ut agens agendo repatiatur, tres requiruntur conditiones. Prima, quòd utrumque, nimirum agens, & patiens sit materiale; ob idque Deus, & Angeli ceu spirituales, agendo in corporalia non repatiuntur ab illis: imò quòd utrumque sit in materia transmutabili; propterea Cœli seu intransmutabiles, & incorruptibiles, agendo in sublunaria non repatiuntur ab illis. Secunda, quòd agens agat actione alterativa, & non purè perfectiva, aut intentionali. Eam ob rem luminosum illuminando non repatitur ab illuminabili. Tertia, quòd agens, & patiens agat per qualitates contrarias. Quo supposito

3. Prob. conclusio quò ad p. p. evidentibus experimentis, quæ communem eam fecerunt. Primò. Manus tractantes nivem, ab ea refrigerantur, simulque eam calefaciunt, ob idque liquescit. Secundò. Ferrum candens immissum in aquam calefacit eam, suique caloris detrimentum patitur. Tertiò. Siquidem secùs tolleretur generatio mixtorum ex elementis, ad quam requiritur, quòd elementa invicem agant, & reagant, ac repatiantur, ut qualitates in eis residentes in gradibus intensis redacantur quandam ad temperiem, & ita sint congruæ ad mixti naturam dispositiones.

Repones 1. quòd repatiuntur secundùm diversam qualitatem modo prædeclarato num. prægresso. Sed

Prob. quò ad 2. p. & simul datum refellitur responsum, aliud adducendo experimentum. Si aqua frigissima calidissimæ fundatur, tota aqua remanet minùs frigida, & minùs calida, fitque tepens; sed tunc actio, & repassio fit secundùm easdem caloris, & frigoris qualitates, non verò secundùm siccitatem, quæ in aqua non extat, neque secundùm humiditatem: ergo agens agendo repatitur secundùm easdem qualitates; sicque calor unius aquæ minuit alterius frigiditatem, & è converso eadem remanente humiditate.

Repones 2. pati quidem, sed tamen secundùm diversam partem. Sed

Prob. conclusio quò ad 3. p. & præfata exploditur solutio. Nequit agens repati à passo, nisi per partes, quibus est illi immediatè applicatum; sed est immediatè admotum passo secundùm illam partem, secundùm quam agit in passum: ergo secundùm istam repatitur à passo. Præterea nisi repateretur in illa parte, secundùm quam agit, jam in illa fieri minimè posset temperies qualitatum elementorum in mixto.

Repones 3. pati quidem, sed à corporibus Cœlestibus. Sed

Prob. concl. quò ad 4. p. & datum abjicitur responsum. Frustra confugitur ad cœlestia corpora, quando adest in sublunaribus virtus activa; sed sic est, quòd in aqua virtus adest activa refrigerativa: ergo ab ista, & non à Cœlis refrigetabitur ferrum candens calefaciens aquam; secùs etiam dum ignis V. G. candefacit lignum, posset quis confugere ad cœlestia corpora dicendo, quod lignum crematur à corporibus cœlestibus: ergo agens agendo repatitur ab ipsomet passo.

§. III.

Adversariorum argumenta dissolvuntur.

3. ARg. 1. ex Calculatore contra 2. concl. p. Si agens agendo repateretur secundùm eandem partem eadem in qualitate, sequeretur, idem naturaliter cieri motibus contrariis; sed id est penitùs impossibile: ergo impossibile est, quòd agens agendo repatiatur secundùm eandem qualitatem quò ad eandem partem. *Prob Maj* Fiat hypothesis, quòd ignis extet palmaris calidus ut octo, passum verò aqua frigida ut octo, solus autem semipalmaris ignis agentis contineatur intra sphæram activitatis aquæ, & consequenter iste duntaxat repatiatur ab aqua, & pars dicatur repassa, reliquus verò semipalmus nihil patiatur, & dicatur pars non repassa. Tum sic arguitur. Pars repassa ignis movetur motu frigefactionis ab aqua à qua repatitur, & motu calefactionis à parte non repassa: ergo &c. Ant. quò ad p. p. est opinio nostra. Quò ad 2. prob. Tum quia pars non repassa est contraria parti non repassæ, seu repatienti secundùm excessum qualitatis, cùm supponatur habere calorem ut octo, repassa verò, seu repatiens tantisper minus, estque debitè applicata, eò quòd nil est magis applicatum, quàm pars, suæ parti continua. Tum quia agens priùs agit in propinquius, quàm in remotius, adeoque pars non repassa, seu non repatiens, si agit in aquam, multò magis in repassam sive repatientem, ac per consequens movebitur calefactionis motu.

Conf. Siquidem hypothesis fiat, quòd ignis sit nonnihil distans ab aqua, aer interjacens erit calefactionis medium ab igne provenientis, simulque erit medium infrigidationis ab aqua causatæ: ergo contrariis agetur motibus.

Nec respondere juverit ad arg. quòd moveretur contrariis motibus in gradu duntaxat remisso. Non, inquam. Difficilius namque est, quòd sint simul duæ qualitates contrariæ, una in gradu remisso, & altera in gradu intenso, quàm quòd sint simul in gradu intenso, majusque miraculum est primum, quàm secundum; quia difficilius est, & majus miraculum, quòd qualitas in gradu remisso non expellatur per aliam contrariam in gradu intenso, ceu validiorem, quàm quòd una qualitas in grada intenso non depellatur per aliam contrariam in gradu pariter intenso. In casu autem adducto saltem una, nimirum calor ignis foret in gradu intenso, cùm in tali gradu sit ignis proprietas.

Aliæ ad hoc adhiberi solutiones consueverunt, quas refutat Mastrius hìc disp. 2. q. 3. à num. 50. Ob idque aliter cum aliis, quos idem sequitur Mastrius.

Resp. ad arg. nego sequelam maj. Ad prob. illa data hypothesi nego ant. quò ad 2. p. ad 1. prob. dico, quòd estò sit

contraria, & debitè applicata, non agit in illam, quia impeditur à reagente aqua, per quam etiam impeditur pars repatiens, ne suscipiat effectum alterius partis calidæ ut octo.

Ad 2. prob. dist. ant. & aliàs pars intermedia, & alia remota agunt per modum unius, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Illæ namque partes licèt sint actu distinctæ, ut 6. Phys. art. 2. de continuo scripsimus; tamen quia, ut ibidem conspeximus, existunt per unam, eandemque existentiam, ac sub una, eademque continuantur forma, non sic se habent, quòd partes internæ, & remotiores transmittant actionem in passum, sed per unam, eandemque virtutem omnes simul partialiter unam conflando totalem causam per modum unius agentis attingunt passum. Sic pars ignis non repassa non agit in aquam media repassa, per quam diffundat suam actionem, sed ambæ immediatè saltem immediatione virtutis per modum unius. Eapropter si impeditur una, impediuntur & cæteræ pro brevi morula.

Dices. Tota illa ignis virtus est superior ad aquæ virtutem: ergo nequit ab ea impediri.

Resp dist. ant. est superior simpliciter, & simul inferior, secundùm quid, concedo, secùs, nego ant. & conseq. vel dist. consequens eodem modo. Quòd sit superior secundùm quid nitet ex eo, quòd ignis non statim eam totam destruit, adeoque signum est, quòd aqua aliquo modo obsistit, & sa defendit. Nec est inconveniens, quòd id, quod est superius simplicirer sit inferius secundùm quid, quemadmodum inconveniens non est, quòd id quod est perfectius alio simpliciter, sit eo imperfectius secundùm quid, uti conspicuum fiet lib 3 vestigando, num intellectus sit simpliciter perfectior voluntate? §.5.

Vel concesso ant. dist. consequens, nequit impediri per se, concedo, per accidens, nego conseq Impeditur namque per accidens, quatenus ignis interdum ad brevem morulam quasi lassus ut vires colligat, cessat, ac cunctatur, ut tum illa pro brevissima morula aqua reagere potest. Quæ omnia magis elucescent in sol ad 2 arg.

Vel responderi ad arg. cum Mastrio posset ad prob 2. vera cuncta esse, quando subjectum non est indispositum, sicut est indisposita pars repassa, ob impedimentum, quod in ea ponitur ab aqua, quæ in talem partem reagendo, ponit in ea indispositionem, ideo &c.

Nec obest, quòd alteratio sit motus continuus, ut in superioribus scripsimus. Non, inquam. Nam ad hoc ut sit motus continuus sat est, quòd per plura instantia fiat, ita quòd non ita agat, ut operetur in hoc instanti, & non in alio immediatè sequenti, & postea in tertio, & cesset in quarto, &c. Cum quo benè stat, quòd posteaquam plura per instantia continua alterans egerit, postea cesset, & denuo postea operetur.

Ad Conf. Resp. cum Guerinois, quòd motus illi contrarii in ipso medio forent secundùm diversas partes. Ignis namque calefaceret aeris intermedii partes sibi propiores ad certum usque terminum, aqua similiter aliàs infrigidaret ejusdem aeris partes sibi propinquas ad eundem usque terminum; quo in termino calor ignis, & frigus aquæ sibi mutuò occurrerent, & in invicem agerent, atque reagerent, donec ignis calor devinceret aquæ frigus, eumque ab aere depelleret, atque destrueret, ac tandem ad aquam calefaciendam perringeret. Nos autem dicimus de agente, at non de medio, repati secundùm eandem partem.

4. Arg. 2. Nullum agens agit in passum majores obtinens vires ad agendum, quàm ipsum agens; sed in igne major adest virtus ad obsistendum per calorem actioni frigoris aquæ, quàm in frigore ad agendum: ergo aqua nullatenus potest in ignem agere. Maj docetur ab Arist. lib. de motu animalium apud Conimbr. Min. conspicua, quia ignis in agendo est præ cæteris elementis efficax.

Resp. dist. maj. Si majores sortiatur vires tam in qualitatibus resistitivis, quàm in qualitatibus activis, concedo, si duntaxat in activis, & non in resistitivis, nego maj. ac distincta min. nego conseq.

Contra. Agens agendo consequitur victoriam de passo; sed eatenus reportat victoriam, quatenus est fortius etiam in qualitatibus resistitivis: ergo majoribus gaudet viribus etiam in resistitivis. Maj. à nemine ignorabitur, à quo non ignoretur, quòd intentum agentis est elicere actionem, intentum verò passi obsistentis est ne detur actio, adeoque si actio sequitur, & effectus imprimitur in passo, agens vincit passi obsistentiam, ac per consequens major extat in agente ad agendum, quàm in passo ad resistendum. Min. quoque liquet. Ignis namque resistit per calorem actioni aquæ, sicut ipsa agit per frigus; sed calor est frigore efficacior, & idcirco ignis absolutè est agens fortius, & aqua debilius agens.

Conf. Et est argumentum contra 3. p. implicat secundùm eandem partem, eandemque qualitatem idem esse debilius, & fortius; sed eoipso quod agens in passum est eo fortius, & eoipso quod repatitur est debilius: ergo implicat actio, & repassio modo prædeclarato.

Resp. ad inst. data maj. dist. min. inquantum est fortius in qualitatibus resistitivis resistentia formali, & passiva, conceda, materiali, & activa, nego min. & conseq. Pro solutionis luce

Hoc animadvertas velim, quòd duplex communiter resistentia distinguitur. Una negativa, quæ omnimodam dicit incapacitatem subjecti respectu formæ ab agente imprimendæ. Secunda positiva. Et hæc gemina iterum est. Una est passiva, sive formalis, estque improportio quædam, nimirum indispositio, & impassibilitas subjecti, ratione cujus nequit qualitas aliqua facilè ab illo removeri, vel illi imprimi effectus aliquis ab agente. Quæ obsistentia fit absque ulla actione, ut ingens lapis obsistit debili virtuti, ne queat loco moveri; & similiter durum dividenti obsistit sine actione. Altera est activa, effectivam, seu materialis, quæ fit per actionem unius debilitantis aliud contrarium, ut calor obsistit frigori in illud agendo, & debilitando, & è converso. Hoc supposito

Dicimus ad arg. quòd agens majorem sortitur activitatem, sive virtutem activam, quàm sit resistentia formalis, nimirum passiva ipsius passi ob rationem in argumento productam, secùs ingens moles posset quamcunque per debilem virtutem moveri. Et de hac obsistentia loquitur Stagyrita, & cum eo Peripatus, dicens, quòd à proportione minoris inæqualitatis non datur actio, ut dicetur art. sequenti 3. idest non sequitur actio, si agens sit minùs activum, quàm passum sit resistitivum. Non repugnat tamen, quòd sit major obsistentia activa, quàm virtus activa agentis, ut aliqua sequatur actio imperfecta, non omnimodam reportans victoriam de ipso passo, cùm, ut diximus ad præcedens arg. non statim illud à principio destruat. Et consuevit illustrari exemplo militis fortioris, qui à debiliori potest vulnus aliquod perpeti, licèt ratione majoris fortitudinis, qua fit activè resistentior totalem tandem reportet victoriam. Ignis autem licèt ratione majoris caloris majorem obtineat resistentiam activam, quàm frigus virtutem activam, activitas tamen ipsius frigoris excedit obsistentiam passivam, & formalem caloris. Pro quo

Annotari communiter consuevit, quòd complurimum docetur in Peripatu, nimirum inter primas inter qualitates extare ordinem quendam, ita quòd in agente calor primum sibi vendicet locum, secundum, tertium humiditas, quartum siccitas, ut etiam scripsimus in quæsito posito post art. 2. §.3. *dico* 2. num.9. Not.2. contra Ruvium. E contra in obsistente resistentia formali, & passiva, primum sortitur locum siccitas ceu maximè resistitiva, idcircò morbi, qui in siccitatem labuntur laboriosiùs curantur. Secundum locum obtinet humiditas, Tertium frigus, Quartum calor. Qui ordo est experimento compertus. Qua ex re sequitur, quòd calor minori pollet resistitiva virtute resistentia passiva, & formali, quàm sit frigoris activitas. Et sic frigidum agere in calidum potest, non obstante calidi obsistentia.

Dices ex Calculatore. Res quælibet magis inclinatur ad sui conservationem, quàm ad aliorum ruinam; sed virtus activa caloris ordinatur ad aliorum destructionem, nimirum frigoris; virtus verò resistitiva ad sui tutamen, & conservationem: ergo nequit calor virtutem habere activam, resistitiva majorem.

Resp. primitèr dist min. de secundariò, & per accidens, concedo, de primariò, subdistinguo in executione, concedo, in intentione, nego min. & conseq. Virtus siquidem activa ordinatur per se, non ad aliorum ruinam, sed ad propagationem formæ agentis. Secundùm speciem

Præterea Resp. quòd ad sui conservationem ordinatur etiam via resistitiva activè. Ex eo namque quòd unum contrariorum per sui actionem infringit alterius vires, à quo poterat convelli, maximè suæ providet conservationi. Eapropter haud necesse est, quòd majorem sortiatur obsisten-

sistentiam passivam, sed sat est, majorem obtinere activam.

Ratio autem quare qualitas activa sit minùs obsistentia passiva, & formali obsistitiva, nequit omnino efficax à priori suppeditari, sed experimento compertum id est; & potest esse desumpta ex fine, tum propter Universi bonum, ut nimirum detur actio, & reactio, qua dempta non darentur mixta; tum ob congenitam rebus conditionem, & quemadmodum animalium nonnulla conspicimus excedere in fortitudine, alia in celeritate, alia in solertia: ita quoque dicendum, qualitates nonnullas esse magis resistitivas resistentia formali, alias magis activas, ut sic activiores qualitates non vincerent sine certamine, & aliquomodo in agendo delumbatæ.

Inst. ex Mauro. Si calor est activior frigore: ergo citiùs calor agit in frigus, illud destruendo: ergo citiùs destruitur frigus à calore, quàm è contra: ergo calor est magis resistitivus frigori, quàm calori frigus. Liquet hæc ultima consequentia, quia qualitas illa est magis resistitiva, quæ difficiliùs destruitur.

Resp. primodùm ex hoc arg. nihil sequi contra datum responsum principale. Quandoquidem duntaxat probat, magis calorem esse resistitivum frigori, quàm frigus calori. Cum quo tamen stat, quòd major sit activitas frigoris, quàm resistentia passiva.

Communem tamen desendo doctrinam jam datam, quòd nimirum calor sit minimum resistitivum, negatur ultima consequentia, si intelligatur de obsistentia passiva. Ad prob. dicatur, quòd qualitas illa est magis resistitiva, quæ difficiliùs destruitur perse, non ea debilitate suæ virtutis activæ, qua minùs potest se defendere à contrariis, ut durum magis obsistit obsistentia passiva; quia difficiliùs potest destrui propter duritiem, non propter debilitatem actionis suæ, cùm durities non sit activa. At frigus faciliùs destruitur à calore, cæteris paribus, quàm calor à frigore, eo quod calor ceu activior delumbat actiones frigoris, sicque illud faciliùs consumit.

5. Arg. 3. Si Igni admoveatur frigidum ut sex vel ut septem, cùm ignis sit calidus ut octo, major erit virtus resistitiva Ignis, quàm activa frigoris aquæ: ergo tum frigidum passum non reaget in ignem, adeoque nec aqua reaget in ignem in sententia probabili, quòd aqua sit frigida duntaxat ut septem.

Si dicas, quòd calor obsistit frigori duntaxat secundùm illum gradum, secundùm quem est incompossibilis cum gradu frigoris, imprimendo. Et sic formaliter semper est major activitas frigoris, quàm passiva obsistentia caloris.

Contra est, quia calor resistit frigori secundùm omnes gradus, quemadmodum lapis obsistit virtuti moventi secundùm omnes sui partes, & frigidum secundùm omnes sui vires agit in calorem.

Resp. bene ibi. Ad oppugn. dicatur, quòd calor obsistit frigori secundùm omnes gradus, non indivisibiliter, sed divisibiliter, & quadam cum accommoda distributione, idest secundùm gradum incompossibilem cum frigore ut unum obsistit frigido ut unum, secundùm gradum incompossibilem cum frigido ut duo, huic obsistit ut duo, & sic aliis de gradibus. Eapropter cùm non sit incompossibilis formaliter cum frigore imprimente primum frigoris gradum, cùm non sit incompossibilis nisi calidum ut octo, eò quòd supremus caloris gradus est duntaxat incompossibilis cum primo frigoris gradu, quia ultimum in compositione est primum in resolutione, idcircò secundùm hunc gradum tantùm formaliter resistit. Ad exemplum verò de lapide dicimus, obsistere secundùm omnes sui partes, quia nequit moveri una, nisi moveatur localiter alia. Cæterùm potest unus gradus absque alio destrui.

6. Arg. 4. Si dum Ignis V. G. agit in aquam, ab ea repateretur, deberet ab ea refrigerari; sed nequit refrigerari: ergo &c. Prob. min. Si ignis ab aqua refrigeraretur, deberet aliquem frigoris gradum ab aqua suscipere, ut ex terminis ipsis conspicuum est; sed nequit ignis aliquem frigoris gradum suscipere: ergo &c. Prob. min. Tum quia perit necessariò calorem in summo gradu, proindeque omnem frigoris gradum necessariò explodit. Tum etiam quia ex opposito sequeretur, ignem fieri frigidum. Profectò ecquis credet, stupam in maximum injectam ignem, ipsum infrigidare, præsertim si stupa unico in se gaudeat frigoris gradu?

Conf. Si agens agendo repateretur, sequeretur, quòd calidum ut octo nusquam posset agere secundùm totam sui intensionem, producendo calorem ut octo, quia cùm agendo repateretur, amitteret calorem ut octo, & nequiret ultrà agere ut octo.

Ad arg. respondet Guerinois dist. maj. deberet refrigerari refrigeratione exigua, & transeunte, qua ignis paulisper extinguatur secundùm partes viciniores aquæ refriger anti, concedo, refrigeratione insigni, permanente, nego maj. & distincta min. nego conseq. Ad prob. min. dist. non potest ignis aliquem frigoris gradum insignem, & permanentem accipere, concedo, exiguum, & transeuntem, quo nempe paulisper ignis extinguatur secundùm aliquas partes, quæ sunt aquæ refrigeranti propiores, nego.

Ad 1. prob. min. distinguit, concedendo, ignem debere necessariò habere modo permanenti calorem in summo secundùm partes non extinctas, proindeque debere secundùm istas partes omnem frigoris gradum insignem, ac permanentem excludere. At negat, ignem debere necessariò sic habere calorem in summo gradu, ut etiam secundùm partes paulisper extinctas aquæ, vel alteri corpori refrigeranti viciniores, debeat omnem etiam exiguum frigoris gradum transeuntem excludere.

Ad 2. ejusdem min. prob. respondet eadem cum distinctione, concedendo nimirum, ignem non posse fieri frigidum modo permanenti, & secundùm partes non extinctas, sed negando, ignem non posse fieri frigidum modo transeunti, & ratione alicujus gradus frigoris secundùm partes paulisper extinctas, quæ sint aquæ, vel alteri refrigeranti corpori propinquiores.

Verùm solutio ista, ni aliquid addatur, patitur offendiculum. Quandoquidem pars illa minima extincta vel postea reaccenditur, vel non. Primum dici nequit, quia à privatione ad habitum non datur naturaliter regressus eadem in parte. Neque secundum, quia ignis proximus ageret in illam, sicque eam reaccenderet.

Nihilominùs data solutio potest sustineri. Ad oppugn. dico, primitùs; dici posse, quòd reaccenditur, & quod dictum illud *à privatione ad habitum*, &c intelligitur de privatione totali, ut dicetur lib. 2. de Anima q. 2. art. 6 §. 3. ad Conf. arg. 6. Præterea dici posset, quòd non reaccenditur, eò quòd ibi non persevcrat modica pars illa, sed in ascendentem resolvitur vaporem.

Ad id, quod de stupa subjiciebatur, dicimus, quòd quando asseveratur, agens agendo repati, sermo est de agente in aliquod passum, quod plures obtineat qualitatis oppositæ gradus. Stupa autem unum duntaxat sortitur frigoris gradum. Idcircò in conclusione opposui dictionem illam *aliquando*.

Ad Conf. Resp. quòd pro eo tempore, quo calidum ut octo repatitur, non potest equidem producere calorem ut octo; potest tamen alio pro tempore, cùm nimirum redacta qualitate contraria tantam ad debilitatem, quòd non possit ulteriùs reagere, tunc sibi deperditas restaurat vires per emanationem à propria forma, & tum penitùs contrariam devincit qualitatem, imprimendo calorem ut octo. Quòd si qualitas, per quam agit non emanat à propria natura, sed ab extrinseco, nullum est inconveniens, non posse agere secundùm totam intensionem, nisi ad pristinum statum reducatur ab aliqua causa extrinseca.

7. Arg. postremò. Magnes quando attrahit ferrum non repatitur à ferro, secùs attraheretur à ferro: ergo nec ignis agendo in aquam.

Conf. Generatim in motu locali movens non repatitur à mobili.

Urg. Dum vivens agit in nutrimentum, non repatitur, secùs minueretur, & non augeretur, nec cresceret vivens: ergo &c.

Resp. ad arg. & Conf. nego conseq. Ad 1. discrimen situm in eo est, quòd magnes attrahendò ferrum agit, non per qualitates contrarias, & pugnantes, sed per qualitates amicas. Præterea secundùm non paucos agit in genere causæ finalis, & non efficientis.

Ad 2. Disparitas est, Tum quia motus localis, ad differentiam motus alterationis, non est verè, & propriè actio. Tum quia quod localiter movetur non est necessè, habere virtutem localiter motivam sui moventis. Præterea poterat negari ant. Quandoquidem Mastrius hic disp. 2. q. 3. num. 48 vult, quòd etiam in motu locali movens repatiatur. Lege Mastrium ibi.

Ad id quo urgetur nego ant. Cujus signum est, quòd Homines

mines voraciores citiùs è vivis decedunt, quia calor naturalis citiùs deficit. Ad prob. dico, quod minuitur paulisper in patiendo, sed multò plùs crescit in agendo.

8. Ex hactenus dictis colliges, quòd opinio asseverans, alterationem non esse motum continuum licèt sit probabilis, non tamen est compatibilis cum opinione, quam impræsentiarum defensamus, ut conspeximus supra q 4. art. unico §. 2. n.2. Vide ibi

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum activa virtus agentis debeat esse major resistentia passi.

§. I.

1. ALiis sub terminis proponi dubitatio ista consuevit, *num nimirum actio semper debeat fieri à proportione majoris inæqualitatis.* Pro quo

Scito, quòd æqualitatis proportio tum est, quando tanta, & non major, nec minor est virtus activa agentis, quanta est passi obsistentia. Proportio verò majoris inæqualitatis tunc est, cùm activa virtus agentis est major passi resistentia. Demum minoris inæqualitatis proportio est, quando activa virtus agentis est minor obsistentia passi.

Recole doctrinam datam art. prægresso §. 3. ad 1. inst. factam contra solutionem datam ad 2. arg. sub n.4. de illa duplici resistentia negativa, & positiva, & de illa duplici passiva & activa sub positiva.

2. Prima opinio sentit, quòd semper agentis activitas debet esse major quacunque, sive activa, sive passiva passi obsistentia. Hanc propugnant Astudillus, Mastrius, & ex nostris Cavinos hic disp. 3. quæst. 2 §. 3. citans pro se Jo: de S. Th.

Secunda censet, quòd quidem agentis activitas petit semper esse major obsistentia passiva, & formali passi; non tamen semper exigitur, quòd sit major resistentia activa, & materiali passi, sed interdum potest esse major, nonnunquam minor resistentia activa passi. Hanc tuentur Compl. Jo: de S. Th. quem pro se citaverat. Cav. tutatur etiam Guerinois, & reliqui communiter Philosophi præter relatos in prima opinione. Nihilominus crediderim, dissidium esse duntaxat in verbis, ut conspiciemus §. sequenti num. 4.

§. II.

CONCLUSIO.

Loquendo de obsistentia passiva debet semper major esse virtus agentis activa; secùs verò loquendo de resistentia activa, adeoque tum actio poterit fieri à proportione minoris inæqualitatis.

3. PRob. quò ad p. p. Siquidem (ut dicebamus prægresso art. §. 3. ad 1. inst. contra resp. datum ad 2. arg. sub 4. num.) agens imprimendo suum effectum obtinet victoriam de passo; sed nequit victoriam de illo reportare, nisi virtus agentis sit major obsistentia passi formali passiva: ergo &c. Maj. ultra ibi dicta de se patescit, quia fortior est, qui victoriam sortitur.

Ratiocinatio alia videri apud Compl. potest.

4. Prob. quò ad 2. p. Etenim, uti probavimus experimentis retroacto art. §. 2. hic redintegrandis, agens agendo repatitur, ita quod passum reagit in agens; sed non posset sic se habere, nisi saltem resistentia materialis, nimirum activa passi foret major virtute activa agentis: ergo interdum, nimirum quando agens agendo repatitur resistentia activa, sive materialis passi est major virtute activa agentis.

Respondent Adversarii, quòd tum, nimirum quando repatitur agens non est agens, sed est patiens. Sermo autem est de agente. Sed

Contra. Licèt non sit agens aliqua brevi pro morula; tamen citra illam brevem morulam est simpliciter agens; sed hoc sufficit, ut dicatur potiùs agens, quàm patiens: ergo sufficit, ut dicatur, quòd ad hoc, ut aliquid sit agens non est necessè, quòd ejus virtus activa sit major obsistentia activa passi. Prob. min. Quod reportat victoriam dicitur potiùs agens, quàm patiens, quemadmodum miles reportans victoriam, hostemque perimens, dicitur agens potiùs, quàm patiens; tametsi aliquod leve vulnus in conflictu subeat; sed modica illa repassio, ut vidimus non impedit, agens reportare de passo victoriam: ergo &c.

Epropter dixi supra §. 1. quòd dissidium videtur duntaxat in verbis, quia reducitur ad illam denominationem passi, quam modica illa in repassione habet ipsum agens.

§. III.

Adversantium argumenta solvuntur.

5. ARg. 1. contra p. p. Si virtus activa agentis deberet esse major obsistentia passiva, sive formali passi, sequeretur, quòd nusquam aqua posset aliquid terræ destruere; sed falsum id est: ergo &c. Prob. Maj. prob. Proprietas terræ est siccitas, quæ, ut vidimus prægresso art. §. 3. ad 1. inst. factam contra responsum datum ad 2. arg. sub n.4. primum obtinet locum in resistendo, licèt ultimum teneat locum in agendo.

Resp. dist. maj. si aqua non sit major magnitudine molis, concedo, secùs, nego maj. & data min. nego conseq. Ut namque aqua quidpiam terræ destrueret, debet esse in majori substantiæ copia, cujus postea excessu superet sua humiditate siccitatem modicæ substantiæ terræ.

6. Arg 2. contra 2. p. Si non requireretur, quòd virtus activa agentis esset major, quàm resistentia activa, sive materialis passi, maximè quia agens agendo aliquando repatitur; sed ex hoc haud benè id infertur: ergo dicendum, quòd etiam resistentia materialis, seu, quod idem est, activa, & non tantùm formalis, seu passiva passi debet esse minor virtute activa agentis. Maj. est fundamentum opinionis nostræ. Min. prob. Controversia est de virtute activa agentis; sed agens dum repatitur est patiens, & non agens: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. est patiens notabiliter quantùm sufficit ad dandam passi denominationem simpliciter, & absolutè, nego, modicè duntaxat, & quantùm sufficit ad dandam denominationem passi secundùm quid tantummodo, & cum addito, concedo ant. & nego conseq. Solutio nitet ex dictis num. 4. Redintegrentur ibi dicta.

Quomodo autem fieri id queat conspeximus prægresso art. §. 3. ad 1. arg. sub n. 3. & replicæ ibi solutæ possent & hic objici. Illò adeas

7. Alia hic adduci posset objectio contra p. p. de gutta excavante lapidem. At hæc resoluta jam extat ex dictis art. 1. §. 1. in fine sub n. 8. Non enim quælibet gutta excavat lapidem, sed posteaquam plures, ac plures guttæ præmiserunt dispositiones delumbando lapidem, & emoliendo, una excavat illum.

8. Si petas, num excessus debeat esse secundùm partes aliquotas, an verò secundùm partes proportionales.

Resp. primitèr, nego suppositum. Supponit namque, quòd agens agat transmittendo partis remotioris actionem media parte propinquiori ad passum. Cujus falsitas conspicitur retroacto art. 2. §. 3. ad 1. replicam factam contra responsum datum ad 1. arg. sub n. 3. Præterea dicimus, quòd si ita foret deberet esse excessus secundùm partes aliquotas, quia secùs cùm partes proportionales sint divisibiles in infinitum, sequeretur, quòd posset aliquid agere in infinitum. De quo videri potest S. Th. p. 2. q 4. art. 5.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Mixtione.

MIxtio fit per actionem, & reactionem. Idcircò posteaquam de actione egimus, & reactione, quæstionem de mixtione, Stagyritæ methodum sectantes, adorimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Num extet mixtio formalis, hoc est propriè dicta.

§. I.

1. **B**Ifariam mixtio sumi potest. Primò materialiter, seu, quod idem est, purè localiter, per hoc, quòd aliqua locentur in situ interjacente inter alia, & non transmutativè in seipsis, vel propriam retinendo naturam, simul & figuram, ut dum tritici grana granis miscentur ordeaceis, vel solam amittendo figuram, ut dum triticea farina ordeaceæ miscetur farinæ sub mola. Secundò formaliter, nimirum tum localiter, tum transmutativè, nempe per miscibilium alterationem & unionem, qua contrarias per qualitates invicem pugnando corrumpuntur, ita quòd non perseverant substantialiter in seipsis, sed ex eis corruptis ut sub una forma substantialiter constitutiva redactis, resultet aliquod tertium, quod est unum per se, & mixtum compellatur. Et sic impræsentiarum à nobis sumitur.

2. Mixtio autem hoc secundo sumpta modo definitur ex Philosopho hic cap. 10. sic: *est unio miscibilium alteratorum, seu corruptorum secundùm formas.*

Hujusce definitionis explanatio videri apud Lermam potest hic q. 52. Idem Lerma quandam solvit objectionem, quam prælatam contra definitionem nonnulli cum Scaligero producunt & Arriaga, eam respuentes, quia, dicunt, quòd circulus in ea committitur, & ignotum panditur per ignotum, nimirum mixtio explicatur per miscibile, & aliàs miscibile explicari nonnisi per mixtionem potest, cum qua æquè ignotum extat.

Ad quod respondet, quòd explicatio ista in diverso causæ genere datur, nempe per miscibile tanquam per terminum, per mixtionem verò in genere causæ efficientis. In illa namque definitione ly unio sumitur pro unione etiam activa. Alia solutio videri apud Mastrium potest. Reliqua argumenta lege soluta apud Compl. hic disp. 9. quæst. 2.

3. Quatuor formalem ad mixtionem requiruntur conditiones. Prima, sicut supra dicebamus, requiri ad actionem, & reactionem, quòd miscibilia sint in materia transmutabili, idest quod miscibilia sint corruptibilia. Secunda, quòd sint divisibilia, quia ut formaliter misceantur, debent sese minutissimas in partes dividere. Eapropter quæ difficiliùs dividuntur, ægriùs miscentur; quæ verò faciliùs dividuntur, ut corpora fluida, faciliùs miscentur. Tertia, quòd miscibilia debent esse invicem pugnantia contrarias per qualitates, ut fiat alteratio. Quarta, quòd miscibilia existant per se & separata ante mixtionem. Ob idque accidentia, quæ separata existere nequeunt, nec misceri formaliter valent.

4. Sententiæ tres percensentur. Prima omnem mixtionem formalem in sensu à nobis prædeclarato respuit, solamque materialem per atomorum intrusionem admittit ulla absque alteratione, & substantiali corruptione. Ita Atomistarum secta, pro qua recenter Petrus Gassendus, Cartesius, Maignanus, Saguens, &c.

Secunda annuit, extare mixtionem formalem inter elementa, dempto igne hanc tenet Rubius.

Tertia admittit mixtionem formalem cunctorum quatuor elementorum. Istam tutantur universi Peripatetici, quamquam istorum nonnulli, volentes, quòd elementa maneant formaliter in mixto, nonnisi in verbis eam admittere videantur. De quo art. sequenti.

§. II.

C O N C L U S I O.

Possibilis est, imò reapse extat mixtio formalis; & hæc quò ad omnia elementa saltem aliquibus in rebus.

5. **Q**Uò ad p. p. primitùs colligitur ex responso Innocentii III. ad Archiepiscopum Lugdunensem, cujus verba adducit S. Th. 3. p. q. 74. art. 8. sic: *Et ideo sicut ipse* (Innocentius) *dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.* Qua ex re nitet, extare generationem ex qua negata permovetur Atomista ad mixtionem denegandam.

Ubi Saguens tom. 3. disp. 12. art. 3. num. 25. ausus est, carpere S. Th. quasi S. Doctor infideliter produxerit Pontificis verba, quæ talia sunt: *Verùm inter opiniones illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari.*

At Saguens noluit intelligere ut benè scriberet. Quandoquidem Pontifex alias priùs percensuerat opiniones. Undè S. Th. sensum non verba accepit. Vid. Salm. de Sacram. Eucharistiæ disp. 4. dub. 4. sub num. 57. & seq. Item cùm aqua non sit materia consecrabilis; jam si transubstantiatus in Sanguinem est necessè converti in vinum, ut fiat materia consecrabilis in Sanguinem transubstantianda. Ut autem breviùs procederet, tot verba omittere licuit S. Thomæ, qui viro docto, & non calumniatori intendat loqui.

6. Prob. 1. Quò ad p. p. adversus Atomistas. Ideo ab Atomista respuitur mixtio per alterationem, & corruptionem miscibilium, quia impossibilis ab eo judicatur substantialis corruptio, sicut & generatio, sed hujus falsitas satis, superque ostensa est 1. Phys. q. 1. §. 7. ergo &c.

Prob. 2. Quò ad eandem p. ex dictis eodem 1. Phys. q. 1. § 8. quia si mixtio fieret tantummodo per localem mixtionem, sive localem dispositionem Atomorum, posse: naturaliter fieri mortuorum resurrectio, quia posset saltem Angelus superstites atomos resumere, & ad sua reponere loca. Eam ob rem, ut ibidem conspeximus, mortuorum resurrectionem naturaliter futuram putavit Democritus, qui proinde suum jussit in mele corpus condiri; sed hoc exploratum est, esse falsum: ergo &c.

Prob. 3. Quò ad eandem p. quoniam ut art. sequenti planum fiet, si non fieret per alterationem, & corruptionem miscibilium mixtio, & remanerent formaliter in mixto, mixtum foret unum duntaxat per accidens, & non per se.

7. Prob. Quò ad 2. p. contra Rubium. In mixto sicut sunt virtutes, & qualitates aliorum elementorum, puta frigiditas terræ, humiditas aquæ, &c. ita & qualitas, seu virtus ignis, nimirum calor; sed per Rubium fit mixtio aliorum trium elementorum: ergo etiam & ipsius ignis.

Prob. præterea quò ad eandem p. Ideo per Rubium non fit mixtio ignis, quia ignis cùm resideat sursum, nequit descendere à concavo lunæ deorsum ad mixti locum, eò quòd ignis naturaliter cietur sursum; sed ratio ista nulla est: ergo & nulla est Rubii opinio. Prob. min. Tum quia licèt secundùm particularem inclinationem motus naturalis cujuspiam elementi sit sursum, vel deorsum; tamen secundùm universalem inclinationem possunt illi peculiari cedere inclinationi, & potest illis esse naturalis motus oppositus, licèt peculiari suæ inclinationi violentus, ut non infrequenter de aqua ascendente ad occurrendum vacuo dictum est: ergo & ignis commune propter bonum ad efformanda mixta poterit aliquas secundùm portiunculas ad mixtorum loca descendere. Tum quia potest descendere per violentiam judice Arist. & cum eo D. Th. tum 1. meteororum, tum hic lib. 10. lect. 24. ubi, *quod autem*, inquit, *ignis sit in aere patet per Philosophum 1. Meteororum: dicit enim, quòd ambitus ignis per aerem frequenter spargitur motu, idest per virtutem cœlestis, & fertur violentia deorsum: & ideo sunt aliquæ partes ignis & in rore, & in vaporibus pluvialibus descendentes, quas vapores recipiunt in regione aeris calefacta. Et ideo aquæ pluviales sunt vaporosæ, & calidæ.* Et hæc etiam est causa, quòd nive descendente non est tanta frigoris intensio, sicut in aliis hyemalibus temporibus: sic ergo cum pluvia, & rore, & aliis hujuscemodi descendunt partes ignitæ ad mixtionis locum.

Lege Compl. & Guerinois.

§. III.

Solvuntur Obversantium argumenta.

8. **A**Rg. 1. Arist. definit mixtionem, quòd sit *miscibilium alteratorum unio*, sed alteratio non est corruptio: ergo non datur mixtio per miscibilium corruptionem.

Resp. commentando Philosophum cum distinctione sic: loquendo de alteratione consumativè inspecta, quo pacto importat corruptionem, in qua finitur alteratio, concedo, secùs, nego min. & conseq. Interpretationes aliæ legantur in Guerinois.

Contra. Idem Stagyrita dicit ibi, guttam aquæ infusam vini dolio propriè non misceri, quia corrumpitur: ergo explicatè à mixtione corruptionem secernit, adeoque non sumit alterationem consumativè ut importantem consecutivè corruptionem.

Resp. cum Guerinois dist. ant. præcisè quia corrumpitur, nego, quia taliter corrumpitur, ut in vinum convertatur, concedo. Quando namque unum miscibilium adeo excedit aliud, sicut vinum in tanta copia excedit aquæ guttam, illud in seipsum convertit.

Contra. In quacunque mixtione talis evenit conversio, si semel intervenit corruptio: ergo si in conversione non habetur mixtio, nulquam ista dabitur corruptiva mixtio. Prob. ant. In elementis virtus activa est major in uno, quàm in alio: ergo quemadmodum illud, quod est in majori excedente quantitate convertit aliud miscibile in se, ita elementum, quod est majoris excedentis virtutis, convertet aliud in se.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. & simul in eo est minor resistentia passiva, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Ut namque præcedenti q. dicebamus, licèt unum sit majus; quia tamen aliud est resistentius, possunt ita contemperari, conjunctis aliis conditionibus ad agendum, ut simul disponantur ad corruptionem, & mixti genesim. Quæ est Doctrina S. Th. in tract. de Formis q.6 art.1. Ast quando ultra excessum in virtute activa, vel obsistentia, habet etiam excessum in copia, penitùs aliud superat, illudque proinde in se convertit.

Qua ex re infertur, quòd ut fiat mixtio, opus est, eodem in instanti omnia simul corrumpi miscibilia; quia si unum ob modicam virtutem, aut obsistentiam, aut materiæ quantitatem priùs corrumperetur, converteretur in aliud, quod superstes est, sicque non fieret mixtio.

9. Arg. 2. argumento, quòd ex antiquis Philosophis affert S. Th. hic cap. 10. hujusce libri lect. 24. Si semel elementa in instanti mixtionis corrumpuntur, jam non sunt substantialiter in illo eodem instanti; sed ea, quæ non sunt nequeunt misceri: ergo dari ista nequit mixtio per corruptionem miscibilium.

Si respondeas, quòd licèt non adsint actu, adsunt tamen potentia, quatenus eorum remanet materia.

Contra est. Quandoquidem etiam in conversione remanet materia; & tamen conversio nequit dici mixtio. Aliter itaque

Resp. dist. maj. non sunt formaliter, concedo, non sunt virtualiter, nego maj. & distinguo min. quæ non sunt nec formaliter, nec virtualiter, concedo, quæ non sunt formaliter, benè verò virtualiter, nego min. & conseq. Ut namque art. sequenti conspiciemus, perseverant virtualiter, quatenus eorum remanent virtutes.

Dices: ergo erit mixtio virtualis, at non formalis.

Resp. dist. consequens & non formalis, prout ly *formalis* contraponitur ad purè localem, quam vocavimus purè materialem, concedo, prout contraponitur ad virtualem, nego conseq. Quomodo autem fieri id queat dicetur art. sequenti.

10. Arg. 3. Nulla est assignabilis causa hujuscemodi mixtionis; ergo non extat. Prob. ant. Si aliqua foret assignabilis causa, maximè vel ipsa elementa, vel Cœli; sed propugnari neutrom potest: ergo &c. Prob. min. & primò quò ad p. p. Tum quia nihil est per se causa suæ destructionis. Tum quia causa efficiens debet esse in illo instanti, in quo est effectus; sed elementa pereunt in instanti generationis mixti: ergo &c. Prob. præterea quò ad 2. p. Cœli sunt causæ universales; sed mixtio est effectus quidam particularis: ergo &c.

Resp. primitèr, quòd causa principalis univoca mixtionis est mixtum gigens aliud mixtum, licèt causa dispositiva sint ipsa elementa.

Præterea nego min. quò ad p. p. Ad 1. prob. dico, quòd tum licèt non adsint formaliter, adsunt tamen virtualiter. Ad 2. prob. dico, quòd in hoc casu nihil destruit seipsum, sed unum elementum destruit aliud agendo in illud.

Tandem & satius cum aliis nego min. quò ad 2. p. Ad prob. concessa maj. & min. nego conseq. Nullum namque est inconveniens respectu aliquorum effectuum particularium, ut palam est de animalibus genitis ex putrefactione. Quod licèt execretur Atomista, tamen concedere tenetur ceu conspicuum in vermibus, qui gignuntur in plagis putrescentibus tum hominis, tum aliorum animalium. Quicquid modò sit, num vermes illi fiant per atomorum translocationem nec ne, quia hoc spectat ad causam intrinsecam, non ad extrinsecam efficientem, de qua in hoc argumento sermo est. De hac Generatione ex putri lege Mastrium hic disp. 8. q. 3. folio 435 &c.

In prima autem rerum conditione communior Theologorum cum D. Th. sententia est, Deum immediatè cunctas produxisse species mixtorum concurrentibus per modum principii materialis elementis.

Videatur Cavinus hic disp. 3. §. 5. per totum illum §. 1.

11 Arg. 4. Ad mixtionem prærequiritur, elementa dividi secundùm omnes suas partes; sed hoc est impossibile, eò quòd continuum est divisibile in infinitum Syncategorematicè nusquam ad ultimam deveniendo partem indivisibilem: ergo &c. Prob. maj. Omnis pars mixti est mixta: ergo partes miscibilium debent invicem intersecari, & dividi, ut mixtio fiat.

Resp. dist. maj. prærequiritur dividi in partes minimas mathematicè, nego, minimas physicè, in quibus conservari eorum species queat, ut agere invicem queant, & reagere, concedo.

12. Arg. postremo ex Ruvio. Si extaret mixtio cunctorum quatuor elementorum, esset vel naturalis, vel violenta; sed propugnari neutrum potest: ergo non datur. Prob. min. Et primò quò ad p. p. Ad mixtionem concurrunt elementa adunata in uno loco; sed hoc non est naturale, quia elementa petunt, esse in locis distantibus, ut levia sursum, gravia deorsum: ergo &c. Secundò quo ad 2. p. Siquidem mixtio est via ad terminum naturalem: ergo est naturalis, & non violenta.

Resp. ad hoc patere ex dictis hic §. 2. num. 6 Esse simpliciter naturalem, quia est secundùm inclinationem universalem in commune bonum, licèt secundùm quid violenta, ceu contra inclinationem particularem. Lege sub num. 6.

13 Ex dictis deprehendes, non esse necesse, quòd ad omnia, & singula mixta efformanda omnia congrediantur elementa. Non est perceptibile quomodo ad efformandam nivem concurrat ignis. Sat igitur est, quòd concurrant aliqua, ut aqua, & aer, vel aqua, & terra, vel terra, & aer, licèt ad formanda aliqua mixta perfecta concurrant omnia elementa.

SCISCITABERIS.

Num possit dari mixtio inter liquores.

5. Liquores alii sunt ejusdem speciei, alii diversæ speciei. Præterea inter liquores ejusdem speciei alii sunt habentes contrarias qualitates, alii non; & de omnibus dubitatio emersit.

§. I.

DICO PRIMO.

Ex liquoribus diversæ speciei contrarias obtinentibus qualitates potest fieri mixtio formalis, idest propriè dicta.

ANnuunt communiter Thomistæ, & plerique Peripateticorum cum D. Th. 3. p. q. 77 art. 8.

Infertur autem ex dictis prægresso art. tum num. 5. ex responsis Innocentii; tum num. 6 Ideo namque inter elementa est dabilis vera mixtio formalis, quia contrarias sortiuntur qualitates, per quas agere invicem, & reagere queunt; sed istis gaudent etiam liquores diversæ speciei, habentes contrarias qualitates: ergo &c.

2. Ratiocinatio alia legi potest apud Guerinois hic q. 4. art. 1. § 2.

3. Objicies. Si ex aliquibus posset liquoribus fieri vera mixtio propriè talis formalis, maximè ex vino, & aqua; sed fieri ex his nequit: ergo ex nullis. Prob. min. Ex vino, & aqua invicem commixtis potest vera extrahi aqua, ut testantur post Nemesium in lib. de natura hominis Alchimistæ per spongiam oleo imbutam, vel medullam junci, sive per juncum decorticatum; & ut fert Cato de Re rustica cap. 111. sicut & Plinius lib. 15. naturalis historiæ cap 35 si vas construatur ex ligno hederæ, & in illud immittatur vinum limphatum, sola remanebit aqua, & vinum effluet:

fluet : ergo ex vino, & aqua non fit unum tertium mixtum, neque aqua in vinum convertitur.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. si fiant experientiæ illæ post modicum tempus ab aquæ immissione, concedo (Tum namque non adhuc facta erat mixtio) secùs, nego.

Dices. Experientiæ illæ fiunt etiam diutinum post tempus, ut de facto compertum est, ac comperiri potest.

Resp. ex D Th. in 4. sent. dist. a. quòd tum illud, quod extrahitur, non est vera aqua, sed alius est quidam humor aqueus aquæ speciem præseferens, ceu non perfectè decoctus. Vel est humor quidam medius de novo genitus mediis alchimisticis instrumentis.

Inst. Humor iste aqueus non convertitur in vinum per nos, vel saltem non destruitur, cùm perduret: ergo nec aqua. Nitet consequentia, cùm non magis de uno, quàm de alio videatur ratio.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia ille alias aqueus humor est quid excrementitium. Eapropter quemadmodum in ligno non omnes ligni partes in ignem convertuntur, sed nonnullæ supersunt excrementitiæ, nimirum cinis; & similiter contingit dum alimentum in aliti substantiam vertitur: ita dum aqueo ex humore, qui est viris nutrimentum, fit vinum, non totus in vinum convertitur, sed aliquid remanet humoris aquei in vinum non conversi, quique per Alchimistas extrahitur. Vel dicatur, quòd hujuscemodi aqueus humor pertinet per se ad vini naturam, quemadmodum quatuor humores ad animalis naturam, & succus ad herbarum, florum, & fructuum naturam. Eam obrem sicut ex his extrahitur aqua stillatitia, quæ non est verè aqua elementaris, ita ex vino humor extrahitur aqueus per se ad illius attinens naturam, qui proinde in vinum non convertitur.

Idem dicimus, quando vinum, cui infusa fuit aqua, effunditur super linteamen aliquod, ibique secernitur expansum quidpiam, quod videtur aqua. Lege Cavinum hic disp. 3. q. 3. §. 5.

Nec dissimulandum, qualiter ipsemet P. Maignanus obtestatur, experientiam se tentasse de præfato hederæ ligno, nec feliciter cessit. Idem fortassis & in aliis contingeret.

Quandam autem experientiam se fecisse idem dicit Maignanus, quòd in vinum aqua non convertitur. Ad quam dicendum, quòd si verum est, id evenisse, quia aderat illo in vino aliquid, ratione cujus haud facilè erat penetrabile ab aquæ partibus, ut facilè commisceretur.

Objectionem contra Fidelitatem D. Th. in ferendo Innoc. III. verba vide solutam antegresso art. num. 5.

§. II.

DICO SECUNDO.

Inter liquores etiam ejusdem speciei contrarias obtinentes qualitates vera extat mixtio formalis.

4. EST non modò contra Atomistas, aliosve respuentes mixtionem inter elementa, & inter liquores diversæ speciei, qui à fortiori negare tenentur inter liquores ejusdem speciei tametsi contrarias obtinentes qualitates; verùm etiam contra nonnullos alios, admittentes in illis, & non in istis, & præsertim contra Mastrium hic disp. 7. q. 2. num. 7. ubi posteaquam negavit de liquoribus ejusdem speciei, non habentibus contrarias qualitates, postmodum ibidem, eodemque numero, abnuit etiam de liquoribus ejusdem speciei, contrarias qualitates habentibus.

Propugnatur verò communiter à Thomistis, præsertim Jo: de S. Th. Compl. Guerinois, aliisque etiam exterorum frequenter cum D. Th. qui in 3. p. q. 77. art. 8. citato docet, quòd si vino consecrato misceatur aliud vinum in tanta copia, quòd perfundatur per totum vinum, desinit esse corpus Christi sub illis speciebus, eò quòd non esset ampliùs idem numero vinum, sed unum tertium ex utroque resultans. Hoc autem Angelici dictum est saltem intelligendum, quando vinum estò ejusdem speciei, habet tamen contrarias qualitates, puta si unum est album, aliud rubeum.

5. Hoc assertum sequitur ex dictis. Licèt namque ejusdem sint speciei; tamen contrariis potiuntur qualitatibus, per quas si uno aggerantur in loco, simulque fundantur, possunt invicem agere, & reagere, dummodo sit in copia idonea: sicut ergo propterea dictum est, elementa, & liquores speciei diversæ, contrarias habentes qualitates admittunt admixtionem, ita & liquores ejusdem speciei, contrarias sortientes qualitates.

6. Objicies 1. Si formæ illæ substantiales sunt speciei ejusdem, si una stat illis sub dispositionibus, etiam altera, & consequenter quamquam alteratio fieret, quò ad contrarias illas qualitates, haud tamen corruptio substantialis fieret formæ; quia si una dispositio est conciliabilis cum una substantiali forma, erit quoque cum altera ejusdem speciei compossibilis; ob idque nusquam individuum corrumpetur in aliud ejusdem speciei, sed in aliud alterius speciei.

Resp. dist. ant. quantùm est ex specifica ratione, concedo, quantùm est ex ratione individuali, nego. Etenim cum albedo V. G vini sit ei multum annexa, nequit ab ipso albedo tolli, nisi etiam vinum ipsum destruatur. Sicut V. G. Æthiops est speciei ejusdem cum reliquis hominibus non nigris; & tamen nequit naturaliter ab ipso nigredo tolli, nisi destruatur; Quamvis aliàs homo niger non agat per nigredinem in album, aut è converso; quia non invicem infunduntur homines sicut liquores: nec colores sunt adeo activi sicut primæ qualitates in elementis, ut solvere valeant substantiam solidam, ut sunt homines; sed liquidam duntaxat substantiam debilem, ac facilè divisibilem, ut sunt liquores.

7. Objicies 2. Ex Durando. Agens naturale intendit sibi assimilare passum in specie infima: ergo simile nequit corrumpere substantialiter aliud simile in specie infima, ut aliud tertium speciei ejusdem gignatur individuum, adeoque non extat mixtio substantialis ex liquoribus ejusdem speciei.

Conf. Ex opposito sequeretur, quòd si vino albo consecrato misceretur aliud vinum rubeum sive consecratum, sive non consecratum (eadem enim est ratio, quicquid dicat Jo: à S Th.) non existeret ultrà Sanguis Christi sub illis speciebus vini consecrati; sed hoc falsum est: ergo falsum est, ex vino illo rubro, & albo talem fieri mixtionem. Sequela est conspicua, quia ex duobus vinis consecratis, vel ex uno consecrato, & alio non consecrato, aliud fieret numero vinum: ergo non ampliùs remaneret Christi Sanguis sub Sacramentalibus speciebus. Tandiù namque manet, quandiù eædem sunt numero species. Min. autem prob. authoritate Innoc. III. cap. *cùm Martha de celebratione missarum*, ubi docet Summus Pontifex, quòd si post calicis consecrationem aliud vinum in calicem immittatur, accidentibus prioris vini commixtum, quod sub eis latet, undique circumfunditur: ergo supponit, adhuc manere Corpus Christi sub speciebus prioris vini.

Resp. ad arg. dist. ant. per se loquendo, concedo, per accidens loquendo, nego ant. & conseq. vel distinguo consequens eodem modo. Ut namque dixi ad primam objectionem, corrumpit illud per accidens, quatenus agit in qualitatem contrariam, eam destruendo, quæ aliàs nequit ab illo sejungi absque ejus destructione.

Ad Conf. concedo sequelam cum D Th. ibidem, si tamen tempus detur pro mixtione sufficiens. Nec oppositum docet Summus Pontifex, qui (ut exponit S. Th. ibi ad 3.) intelligitur, quoties vinum recenter appositum non est tantæ quantitatis, quòd possit diffundi per totum aliud vinum. Nihilominùs tale vinum esset religiosè servandum, tum ob incertitudinem opinionis nostræ, tum ob incertitudinem temporis ad mixtionem conficiendam requisiti.

§. III.

DICO TERTIO.

Inter liquores ejusdem speciei, & ejusdem qualitatis negate fieri vera mixtio formalis.

8. EST contra Paludanum in 4. sent. dist. 1 a q. 2. & Capreolum ibi dist. 13. q. a. docetur tamen à reliquis, tum Thomistis, tum exteris cum D. Thom. 3. p. q. 77. art. 8.

Ratio est, quia catenus elementa, & liquores contrariis pollentes qualitatibus queunt misceri, quatenus contrarias obtinent qualitates: ergo ubi contrariæ non extant qualitates nequit mixtio dari.

Conf. Mixtio est alteratorum unio; sed ubi non sunt

contrariæ qualitates, nequit alteratio locum habere, quia ista exercetur per pugnam contrariarum qualitatum ; ergo &c.

9. Objicies 5. Ad substantivam miscibilium corruptionem non prærequiritur alteratio propriè dicta per actionem contrarii, sed sufficit divisio in partes minores minimis; sed duo liquores ejusdem speciei, & qualitatis, tametsi non alterent alteratione propriè dicta per actionem contrarietatis, tamen per mixtionem alteri sese dividunt in partes minores minimis : ergo ambo substantialiter corrumpuntur, & alius resultat liquor ab eis distinctus, adeoque datur vera mixtio formalis. Maj. est conspicua, quia res nulla potest conservari in minori minimo. Min. etiam, eo quod se totis invicem sparsim confunduntur.

Resp. nego maj. quoad p. p. & distinguo illam quoad a. sufficit divisio in partes minores, &c. quæ cum alia non uniantur parte, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Itaque tum divisio inducit corruptionem, quando fit in partes minores minimis, quæ non uniuntur cum alia parte. Cùm autem unus liquor ejusdem speciei, & qualitatis alteri infunditur, illæ partes minimis minores, in quas divisio fit continuantur in eodem instanti, in quo est divisio illa in facto esse aliquas inter partes, cum aliis partibus alterius liquoris : Idcirco non corrumpuntur.

10. Objic. 2. Judice D. Th. 3. p. q. 77. art. 8. liquor ejusdem speciei, vel diversæ, si in tanta quantitate permisceretur vino quòd pervaderet ipsum secundùm totum, sub toto desineret esse Sanguis Christi ; si verò secundùm aliquam partem pervaderet, eò quòd est in modica quantitate, tum desineret esse corpus in illa duntaxat parte ; sed hoc nonnisi ratione divisionis, quatenus nimirum dividitur ea pars in minorem minimo : ergo sola divisio in partes minores minimis sufficit substantialem ad corruptionem liquorum, & unius tertii generationem. Ut autem ista fiat divisio parùm obstat, esse ejusdem, vel diversæ speciei, aut qualitatis activæ ; divisio namque fit secundùm quantitatem, & humiditatem, seu mollitiem, quæ est æqualis utroque in liquore. Prob. min. Quòd Sanguis Christi desinat esse sub ea parte specierum vini, cui commiscetur alius extraneus liquor, non est ratione contactus, quatenus vinum non consecratum illam contingat partem specierum consecratam, quia sic desineret esse sub toto, quoniam pars tacta à liquore non consecrato tangeret aliam, & hæc aliam usque ad omnes. Neque est ratione alterationis per qualitates contrarias, quia dum liquor habens qualitates activas vino immiscetur modica in quantitate, ratione actionis ipsius vini magis activi, & in majori copia non fit mixtio, sed fit conversio illius liquoris in vinum præexistens, secùs nusquam aqua converteretur in vinum, sed semper fieret mixtio, vel secundùm totum si in magna foret quantitate, vel aliquam secundùm partem, si modica in quantitate fosset : ergo est ratione divisionis.

Conf. Vinum non consecratum permixtum alteri consecrato vino ejusdem speciei, aut qualitatis non facit cum illo unum vinum continuum, secùs haberent unum punctum continuativum, quia tali sub puncto erit substantia vini, & Sanguinis Christi, quia non est major ratio de uno, quàm de alio ; sed absurdum planè id est : ergo &c.

Resp. ad arg. S. Th. ibi explicatè loqui de liquore quidem ejusdem speciei, sed habente contrarias qualitates, & pervadente partem illam, quæ corrumpitur, cum de albo, & nigro vino exemplum adducat. Obidque, nego min. & dico, quòd corruptio illa alicujus partis illarum specierum contingit, non ratione contactus, sed ratione actionis, & reactionis secundùm illam partem ; quia cum agens agendo repatiatur, semper pars aliqua illarum specierum agentium in illum liquorem sibi persulum, corrumpitur, & sic secundùm eam partem fit mixtio. Hujuscemodi tamen liquor resultans ex tali mixtione tandem in vinum convertitur ; & sic optimè salvatur, quòd tota porcio mixta vino, si modica sit, saltem mediatè in vinum convertitur.

Ad Conf. nego maj. Ad prob. annexam, concedo, quòd unum obtinerent continuativum punctum. Ad id, quod subjicitur dist. essent simul illo sub puncto substantia vini, & Sanguis Christi velut in obliquo, concedo, in recto, nego. Itaque in obliquo duntaxat starent eodem sub puncto, quatenus per se, & in recto forent diversis in partibus continuatis ab eodem puncto. Et hoc pacto consuevit explicari, quomodo si Hostia consecrata divideretur, sub punctis terminativis recenter resultantibus, existeret Christi Corpus sub illis punctis, non per se, ratione sui, & directè, sed veluti in obliquo, & ratione partium, quas terminant. Eapropter fatetur, quòd hujuscemodi partes fuerint consecratæ, ut dicatur, etiam degere illis sub punctis ratione partium : Non absimili modo, quo si esset substantia panis sub illis, facta divisione permaneret.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo elementa maneant in mixto.

§. I.

5. DUbitatio emergit, quomodo mixtione facta maneant in mixto elementa, ex quibus mixtio facta est. Qua in re plures, quæ percensentur opiniones, reduci ad quinque possunt.

Prima fuit Stoicorum, qui (ut Conimbr. ferunt) arbitrati sunt, manere in mixto penetrata in eodem situ. Ast opinio ista jam exolevit, quia exploratum cunctis est, elementa, ceu corpora quanta, non posse naturaliter penetrari.

Secunda est Atomistarum, qui dicunt, se tenere, quòd maneant formaliter secundùm juxta positionem localem per sui minima, alterata secundùm apparentiam sensibilem, ita quòd sint minimæ quædam particulæ aquæ, quædam terræ, quædam ignis, &c.

Tertia est Neotericorum quorundam, præsertim ex Societate in m. s. qui volunt, elementa remanere formaliter in mixto quò ad eorum substantiales formas divisa, & invicem commixta. Dissident autem isti inter se. Quandoquidem eorum nonnulli dicunt, manere illa absque refractione, seu diminutione sive formarum substantialium, sive qualitatum, sola cum refractione actionum, quatenus aqua V. G. ignis contemperat actionem, ne ille comburat. Ita Fernelius, Raguzejus, & alii. Quidam verò dicunt, esse refractas ipsas formas substantiales, quasi verò substantia suscipiat magis, & minus (cujus oppositum conspeximus q. 5. in præloquio *dico primo*) & etiam esse refractas, seu remissas ipsas qualitates. Sic Averroes. Alii dicunt, solas esse refractas qualitates, neutiquam verò substantiales formas. Sic Avicenna, cui adstipulantur Medici non Atomizantes.

Quarta opinio autumat, elementa esse in mixto contenta eminenter, idest præstantiori quadam cum perfectione in forma mixti : eum ad modum, quo sensitiva, & vegetatrix anima in rationali continentur. Opinio hæc solet attribui Scoto. At Mastrius eam adscribit, non Scoto, sed Aresio, Bacconio, Aureolo, & aliis. Imò tum Mastrius, tum Pontius contendit, Scotum solam docuisse virtualem continentiam. Tandem idem Mastrius ibi art. 2. n. 31 dicit, quòd si Scotus usus est exemplo Vegetativi in rationali contineri, non est de exemplis curandum ; quia exempla valent quò ad aliqua, & non quò ad omnia. Exempla namque claudicant centrum pedibus.

Quinta propugnat, remanere potentia virtualiter, ut contenta virtualiter in forma mixti. Hanc tutantur Thomistæ, & frequentiùs Scotistæ. Sed est isti dissident inter se, in determinando, quænam sit ista continentia virtualis. Quandoquidem Scotistæ (quos in parte sequitur clarissimus ex nostris quidam in m. s.) profitentur, contineri continentia virtuali substantiali, itant formæ mixti contineant virtualiter formas substantiales elementorum. At Thomistæ censent, contineri continentia virtuali duntaxat accidentali, ita quod mixti forma contineat virtualiter elementorum qualitates, quas postea dimanat. Ubi tamen Thomistica mens non est, quòd in mixto sint tantummodo accidentia, nimirum qualitates, sed quod substantialis ibi adsit mixti tertia forma ex elementorum corruptione genita, quæ virtualiter continet elementa per hoc, quod potest præstare formaliter, & non tantùm virtualiter, eorum qualitates, & non tantùm eorum actiones.

Præterea eorum, qui virtualem continentiam duntaxat accidentalem approbant, quidam sentiunt, unam tantummodo extare quintam qualitatem ex illis quatuor resultantem, quæ virtualiter quatuor contineat reliquas. Ita nonnulli apud Mastrium hic disp. 7. q. 3. n. 17. & ex nostris. Soncinas 10. Meth q. 2. Javelius 8. Meth. q. 4. & ex exteris Greg. in 1. sent. dist. 17. q. 3. art. 2. & à Ruvio citatus Scotus. Quidam verò asseverant, remanere duas, unam

nimi-

nimirum ex calore, & frigore, ac aliam ex humiditate, & siccitate recenter resultantem. Ita Hervæus, quem sequitur prælaudatus in m. s. citans Soncinatem, & Javellum 4. Meth. q. 4. Cæteri autem agnoscunt quatuor cunctas qualitates.

§. II.

CONCLUSIO MULTIMEMBRIS.

Elementa sunt in mixto, non formaliter, nec eminenter, nec etiam virtualiter virtualitate substantiali; sed virtualiter virtualitate duntaxat accidentali ratione qualitatum; formaliter secundùm istas, & non virtualiter ratione alicujus qualitatis mediæ mixtæ.

1. QUò ad p.p. est proculdubio Stagyritæ hic tex. 8. ubi docet, elementa esse in mixto, non actu, sed potentia, seu virtute; & D. Th. p. p. q. 76. art. 4. ad 4. ubi scribit, elementa manere in mixto, non actu, sed virtute. Eorum verba possunt per extensum legi apud Compl. Cavinum, &c.

Prob. 1. quò ad hanc p. p. communi ratiocinio. Nequeunt esse formaliter elementa ubi non extat dispositio necessariò requisita ad eorum esse; sed in mixto non extat dispositio necessariò requisita ad esse V. G. ignis: ergo in mixto non extat ignis formalis. Prob. min. Dispositio necessariò requisita saltem connaturaliter est calor ut octo, nimirum in summo; sed in mixto non extat calor ut octo, seu, quod idem est in summo, ut liquet: ergo &c. Prob. min. secùs namque mixtum, V. G. Homo conflagraret.

Respondent Adversarii juxta triplicem illum dicendi modum, quòd ignis non candefacit in mixto, vel quia non adest calor in summo, eò quòd iste requiritur duntaxat ad formam ignis non refractam. At in mixto est refracta. Vel quia est refracta ejus qualitas; vel saltem quia est refracta ejus actio. Sed

Contra. Et primitùs id, quod dicitur de forma substantiali ignis rarefacta palam est, falsum esse; eò quòd substantia non suscipit magis, & minus, ut conspeximus q. 5. in præambulo *dico primò*. Quòd si minuatur quantitas ignis, adhuc in illo semper modulo ignis remanet calor in summo; quia comburit.

Præterea contra alios arguo. Siquidem inde sequeretur, quòd omnia temperamenta in singulis mixtis forent æqualia; sed hoc planè falsum extat: ergo & falsum est, adesse ibi formaliter elementa etiam cum suis qualitatibus, & actionibus refractis. Min. est conspicua tum in diversis numero Hominibus, in quibus temperamenta sunt ut plurimum varia; Tum in diversis specie Brutis. Maj. prob. Siquidem in omnibus forent illæ qualitates, & actiones refractæ.

Dices, non fore eadem temperamenta, quia in quibusdam magis, in quibusdam minùs sunt refractæ secundùm quòd magis, vel minùs adest de opposito elemento refrangente. Sed

Contra. Excessus iste vel sufficit, ut fortiùs agat in debilius, vel non. Si primum: ergo illud debilius non habebit qualitatem in summo V. G. Aqua non habebit humiditatem in summo, terra non habebit frigiditatem in summo (quam tamen exploratum est requiri ad connaturalem earum dispositionem) ceu ab alio debilitata. Quandoquidem unum oppositorum agendo in aliud delumbat, non solùm ejus actionem, verùm etiam ejus virtutem, ut perspicuum est in pugna milliari. Si secundum: ergo illud fortius non erit, ceu non superans, quia quod agere in aliud nequit, non est eo fortius, adeoque erit æquale.

Conf. Iste refractionis excessus vel facit, quòd ignis non sit ultrà calidus in summo, vel non. Si primum: ergo non est ampliùs ignis, quia naturalis hujus proprietas est calor in summo requisita ad naturalem ejus dispositionem. Si secundum, tunc dico, quòd nequit aliud elementum, V. G. terra, aut aqua refrangere ignis actionem, quia si refrangeret actionem, quoque refrangeret calefactivam ejus virtutem, quia ut diximus delumbando sui adversarii actionem, ejus quoque debilitat vires, ut palam est in hominum pugna; sicque non ampliùs aderit in igne calor in summo, quem tamen vidimus, esse necessarium pro connaturali ignis dispositione. Si ergo nequit ejus refrangere virtutem, nec ejus refrangere valebit actionem, ac proinde nec impedire valebit, quod comburat.

3. Prob. 2. quò ad eandem p. Absurdum est dicere, quòd mixtum, præcipuè perfectum sit unum per accidens, & non per se; sed ita foret, si elementa remanerent formaliter per juxta-positionem in mixto: ergo elementa non remanent formaliter in mixto. Maj. certa extat, secùs mixtum, V. G. Vivens, se haberet sicut lapidum acervus vel sicut lapides in domo. Min. prob. Ex pluribus entibus unitis completis per juxta-positionem resultat unum per accidens, non verò unum per se, nec una essentia, nec unum principium operationis, ut in lapidum acervo est palam; sed singula elementa sunt quid completum valens per se existere, & operari separatum: ergo &c.

Per quod corruunt solutiones, quæ à nonnullis proferuntur, & possunt legi sigillatim refutatæ apud Guerinois hic q. 4. art. 2.

Conf. Non pauca mixta perfecta extant, quæ speciales nobilissimasque sortiuntur operationes diversas ab elementorum actionibus, ut perspicuum est in rebus animatis, & etiam inanimatis, ut auro, gemmis, &c. ergo mixtum non consistit in ipsis solis elementis.

4. Prob. 3. quò ad 2. p. conclusio, nimirum quòd elementa non contineantur eminenter in forma mixti. Si ignis, aqua &c. continerentur hoc modo in forma mixti, sequeretur, quòd forma mixti posset constituere mixtum in esse ignis, aquæ, &c. non secùs, ac Anima rationalis constituit hominem formaliter vegetativum, & sensitivum; sed hoc cuique sensu non inopi palam est esse falsum: ergo &c. Præterea sequeretur, quòd quemadmodum vegetativum, & sensitivum prædicatur de mixto, ita de Homine V. G. posset prædicari, quòd sit ignis, quòd sit terra, &c.

Imò præstantiori modo id posset, quia continere aliquid eminenter est modo perfectiori continere illud.

Neque dixeris, quòd etiam rationalis Anima continet eminenter sensitivum; & tamen non perfectiùs Homo sentit, quàm Brutum. Ne, inquam, id dixeris. Hujus siquidem falsitas elucescet ex dicendis lib. 2. de Anima q. 2. art. 5. §. 3. ad 6. arg. sub num. 21. Ex his

5. Prob. Concl. quò ad 3. adversus Scotistas, & prælaudatum illum in m. s. quòd nimirum forma mixti non contineat virtualiter continentia substantiali formas elementorum. Quandoquidem continere virtualiter aliud continentia substantiali est continere virtualiter ejus substantiam, quemadmodum continere virtualiter aliud continentia accidentali est virtualiter continere vel aliqua, vel omnia ejus accidentia: ergo si forma mixti contineret virtualiter continentia substantiali formas elementorum, posset earum præstare substantiam, sicque posset dare esse substantiam ignis, aquæ, &c.

Mastrius hic disp. 7. q. 3. art. 1. num. 24. postquam duplicem distinxit virtualem continentiam, unam in genere causæ efficientis, & alteram in genere causæ formalis, dicit, quòd forma mixti continet elementa, non in genere causæ efficientis, quia secùs posset efficere ipsa elementa, sed duntaxat in genere causæ formalis. Idque redintegrat num. 39.

Ecquis non videat, ratiocinationem nostram penitùs insolutam. Etenim si continet in genere causæ formalis: ergo poterit ea in genere causæ formalis præstare; quemadmodum si contineret in genere causæ efficientis, posset in genere causæ efficientis præstare.

Hanc forsan prævideraт molestiam Mastrius, idcircò ut eam declinaret voluit litem amicè dirimere, dicendo, modicam, & ferè nullam in hoc inter Thomistas, & Scotistas esse discrepantiam. Verùm enim verò quantùm sit de re cuique fiet perpendenti perspicuum.

6. Ex his quoque quarta remanet probata pars, nimirum quòd forma mixti contineat virtualiter continentia duntaxat accidentali elementorum formas. Probata, inquam, remanet à sufficienti divisione. Quandoquidem cùm elementa non sint formaliter in mixto, nec ut contenta continentia virtuali substantiali, & aliàs conspiciamus in mixto qualitates elementorum ex earum operationibus, reliquum est, quòd contineantur virtualiter continentia accidentali modo prædeclarato §. 1. Thomistarum referendo sententiam, & in genere causæ efficientis, quatenus talia potest accidentia efficere saltem efficientia dimanativa.

7. Demum quò ad ult. p. nimirum quòd cunctæ quatuor remaneant qualitates, & non una duntaxat eminentialis,

aut duæ, Prob. Tum quia non eſt excogitabile, quo nomine qualitas nuncupetur iſta eminentialis. Tum quia cernitur pugna omnes inter qualitates. Præſertim autem ſi foret una tantùm, mixtum non foret ſaltem ab intrinſeco corruptibile; quia nullius in eo committeretur conflictus. Quod licèt annuere non dubitet prælaudatus in m. ſ. tamen cunctis adverſatur Philoſophis, & experientiæ. Etenim evidens eſt, quòd viveas cùm ad quandam confectam pervenit ætatem, nemine etiam extrinſeco impellente, corruit per reſolutionem.

Circa duas dicas, quòd ſi duæ ſufficeret eminentiales, jam & una ſatis foret eminentialis.

Non tamen eædem remanent numero qualitates, ſed aliæ omnino ſimiles, juxta ea, quæ diximus ſupra, notando, quòd in corruptione ſubſtantiali detur reſolutio adusque materiam primam.

§. III.

Adverſantium diſſolvuntur argumentationes.

8. ARg. 1. Compluribus Stagyritæ authoritatibus, qui in hoc lib. 1. de Gener. tex 84. & alibi non infrequenter ſcribis, *miſcibilia in mixtione non corrumpi*.

Ad quas Reſp. Ariſt. negare corruptionem per converſionem, quam explicuimus art. retroacto. Complures alias ſimiles authoritates, quæ ad ſeptem aſcendunt, legi poſſunt ſolutæ apud Cavinum, Guerinois, & Maſtrium.

9. Arg. 2. ad idem. Si elementa non manerent formaliter in mixto, ſequeretur, quòd mixtum non foret magis compoſitum, quàm elementum, ſed hoc à nemine aſſeveratur, cùm univerſi agnoſcant, elementa eſſe corpora ſimplicia, mixta verò eſſe corpora compoſita: ergo elementa remanent formaliter in mixto. Prob. maj. Niſi elementa remanerent formaliter in mixto, in iſto non extaret compoſitio, niſi ex materia, & forma; ſed iſta à nemine Peripateticorum denegatur elementis: ergo &c.

Conſ. Componentia ſunt formaliter in eo, quod componunt; ſed elementa componunt mixtum: ergo &c.

Reſp. ad arg. 2. nego maj. Ad prob. dico, mixtum dici magis compoſitum, quia conſtat etiam ex elementorum materia.

Contra. Hoc modo dici etiam poſſet, componi ex alimento, & nutrimento, quia conſtat ex ejus materia; ſed compoſitio iſta non datur: ergo neque &c. Prob. min. Secùs namque fieret ulterior, & nova compoſitio, ſicque novum foret mixtum, adeoque nova reſultaret forma ſubſtantialis, ut in cæteris evenit mixtionibus.

Ad hoc reſpondent nonnulli negando maj. & ad prob. annexam dicunt, conſtare quidem ex alimenti, & nutrimenti materia, ſed tamen unita per converſionem, & non per mixtionem.

Horum tamen ſolutio nemine impellente corruit. Siquidem ſive per converſionem, ſive per mixtionem fiat, ſemper verum eſt, quòd conſtet ex nutrimenti, alimentique materia, quæ nova eſt materiæ pars continuata cum materia ipſius viventis, quod proinde ex ea tanquam parte conſtat, non ſecùs ac ex elementi materia: ergo eadem ſemper ratio viget. Hac igitur prætermiſſa ſolutione

Reſp. conceſſa illa maj. nego min. Ad prob. nego ſequelam. Non enim quælibet compoſitio poteſt dici mixtio, ſed illa duntaxat, quæ per mixtionem fit, & non per converſionem. Ratio eſt, quia quando fit per mixtionem, tum miſcibilia ſimul corrumpuntur, & non unum alio priùs; idcircò ceu illud, quod dum vincitur etiam vincit, poteſt ita materiam diſpoſitam relinquere, ut exigat qualitatem ſimilem illi qualitati, quam obtinet illud miſcibile, non minùs, ac aliam qualitatem ſimilem alteri qualitati, quam aliud miſcibile obtinebat. At in converſione id, quod convertitur non deſtruitur, idcirco non relinquit in iſto has qualitates.

Dices. Quemadmodum in compoſitione, quæ fit per mixtionem, compoſitum conſtat ex materia miſcibilium, ita in compoſitione, quæ fit per converſionem alimenti in aliti ſubſtantiam dicitur alitum conſtare ex alimenti materia: ergo quemadmodum prima, ita & ſecunda erit mixtio.

Reſp. nego paritatem. Diſcrimen eſt, quia in mixtione reſultat nova forma veluti quædam quinta eſſentia. At in converſione non ita, ſed converſi materia continuatur ſub priori forma illius, in quod alimentum eſt converſum.

Ad Conſ. Reſp. quòd componentia ſunt in eo quod componunt ſecundùm id, ſecundùm quod componunt illud. Cùm ergo, ut diximus, componant duntaxat ſecundùm materiam, erunt in illo formaliter ſecundùm materiam.

Reſp. 2. ad arg. ex dictis retroacto art. §. 3. ad 2. arg. Et fortaſſe ſatiùs diſt. maj. non diceretur magis compoſitum formaliter, concedo, virtualiter, nego maj. ac diſtincta min. nego conſeq. Itaque mixtum nonniſi ex materia, & forma eſt formaliter compoſitum. Dicitur autem magis compoſitum virtualiter, cauſaliter, quatenus habet virtutem cauſandi tot qualitates, quas cauſaret, ſi eſſet formaliter ex elementis compoſitum.

Dices. Ergo erit mixtum duntaxat virtualiter.

Ad hoc habes ex dictis art. anteacto §. 3. ad ult. inſt. contra reſponſum datum ad 2. arg. Illò adeas.

Ad Conſ. Reſp. quòd componentia ſunt formaliter ubi componunt formaliter. At elementa componunt duntaxat virtualiter mixtum.

10. Arg. 3 Contra eandem p. experimentis, quæ objicit Maignanus cum aliis. Chimici medio igne eruunt ex mixtis elementa reſolvendo mixtum in oleum, ſal, ſpiritum, ſive ſulphur, & cineres; Unumquodque autem componitur formaliter ex his, in quæ reſolvitur formaliter. Præterea in arboribus recenter abciſſis multum apparet aquæ. Ulteriùs dum cultello raditur cutis, extrahitur terra. Item cum lignum viride crematur reſolvitur in aerem, nimirum fumum, ignem, nempe flammam, aquam, nimirum humores, & terram, nimirum cineres. Demum ignis ex ſilice, quæ chalibe atteritur.

Conſ. Quemadmodum terra, aer, ignis, & aqua ſunt elementa mixti naturalis, ita litteræ ſunt elementa ſyllabarum; ſed litteræ ſunt formaliter in ſyllabis: ergo &c.

Reſp. ad 1. 2. & 3. ac 4. illa non eſſe pura elementa, ſed quædam eſſe mixta, quæ magnam ſortiuntur cum elementis ſimilitudinem.

Contra ex Maignano. In ſingulis apparet elementum prædominans, nimirum terra in ſale, ignis in ſpiritu, aqua in mercurio, &c. ergo ſunt elementa.

Reſp. primitùs permiſſo ant. nego conſeq. Aliud namque eſt, quòd aliqua prædominetur alicujus elementi proprietas, ut gravitas, levitas, calor, frigus, color &c. Aliud verò quòd ſit purum elementum. Et reapſe quolibet in mixto aliquod prædominatur elementum, puta gravitas terræ, aut calor ignis, &c. & tamen mixtum non eſt purum illud elementum, puta terra, aut ignis, &c.

Præterea diſt. conſequens, ſunt elementa, quæ præextiterint, nego, quæ recenter generantur, concedo conſeq. Vel enim ſunt formæ quædam de novo genitæ diverſæ ab elementis, & elementa impura, ſeu, quod idem eſt, mixta quædam, grandem præſeferentia ſimilitudinem cum elementis, ut diximus 1. Phyſ. q. 1. art. 1. §. 1. ſolvendo Chimicorum argumentum. Vel ſi ſunt elementa, non ſunt elementa, quæ præextiterint in ipſo mixto, ſed elementa, quæ recenter ex mixto gignuntur, ut ſcripſimus eodem 1. Phyſ. q. 1. art. 5. §. 7. ad 8. arg. ſub num. 29.

Hinc quando Stagyrita 3. de Cœlo text. 31. definit elementum dicens, quòd elementum eſt *corpus, in quod alia corpora dividi poſſunt*, intelligendus eſt de diviſione ratione materiæ, vel de diviſione per generationem, & corruptionem.

Eapropter eodem 1. Phyſ. q. 1. art. 1. §. 1. ſolvendo Chimicorum argumentum ſcripſi, quòd unumquodque reſolvitur per ſeparationem, & non per corruptionem, & generationem in ea, ex quibus componitur. Mixtum autem in illa reſolvitur elementa, vel in illas formas elementaribus ſimiles, per corruptionem, & generationem; quia ſunt formæ genitæ ex mixti corruptione. De hac chimica reſolutione videri Goudin poteſt hìc tom. 3. ſuæ Philoſophiæ q. 2. §. 2. concl. 2. pag. 248. & 249.

Ad 5. liquet ex dictis 1. Phyſ. q. 1. art. 1. §. 6. n. 19. ſcintillas illas tunc recenter gigni. Dicere ni malueris, quòd claudebantur inter ſilicis poros.

Ad conſ. liquet ex ibidem dictis, nimirum 1. Phyſ. §. 11. plures adeſſe diſparitates, Tum quia ſyllabæ reddunt ſignificationem ad placitum, adeoque & compoſitionem ad placitum. Tum quia non faciunt unum per ſe, ſed faciunt unum per accidens, & artificiale per juxta-poſitionem, ſicut lapides in domo.

11. Arg. 4.

11. Arg 4. ad idem. Nulla est repugnantia, quòd substantiales elementorum formæ saltem remissæ, & refractæ sint in eadem materiæ parte: ergo possunt &c. Prob. ant. Tales formæ sunt imperfectissimæ, cùm sint longè imperfectiores mixtorum formis: ergo &c. Prob. conseq. Si sunt ita imperfectæ, sunt mediæ mixtorum inter formas substantiales, & formas accidentales; sed medium participat de extremis: ergo quemadmodum formæ accidentales sunt remissibiles, & queunt in gradu remisso esse simul, ita &c. Conf. Tales elementorum formæ quamquam non sint subordinatæ inter se; tamen sunt subordinatæ uni formæ mixti; ergo &c.

Resp. ad arg. nego ant. Ad prob. ex dictis 5. Phys. q 2. art. 5. §. 3. sub n. 6. ad 1. arg per totum, dist. ant. sunt imperfectissimæ in esse entis, concedo, in esse formæ, nego ant. & conseq. Ut namque ibi conspeximus, formæ omnes sublunares sunt æqualis perfectionis in esse formæ, quia æqualiter cunctæ informant, nimirum amissibiliter. Lege ibi per extensum.

Sanè quantumcunque imperfectæ forent tales formæ, semper tamen debent esse perfectiores cunctis formis accidentalibus. Cùm ergo (ut q. 5. In præloquio *dico* 2. *dico* 3. & *dico* 4. ostensum fuit) nonnullæ extant accidentia, ut quantitas, relatio, imò & quartæ speciei qualitates, quæ non suscipiunt magis, & minùs, nulla substantialis forma, quamquam imperfectissima potest suscipere magis, & minus. Siquidem quantumvis imperfecta debet proprii generis conditiones participare.

Ad Conf. primodum Resp. esse subordinatas per passivam continentiam in tali forma, non verò per coexistentiam formalem subjectionis. Ut namque inquit S. Th. p. p. q. 76. art. 4. quemadmodum plures figuræ subordinatæ nequeunt eodem in corpore contuberuium sortiri, ita nec plures elementorum substantiales formæ in eadem materiæ parte.

Præterea permisso ant. nego conseq. Conspiciemus namque in lib. 2. de Anima vestigando, *num plures Animæ, sive subordinatæ, sive non subordinatæ, sive totales, sive partiales queant eodem in composito contubernales esse*, quòd nec plures formæ subordinatæ, aut partiales, possunt eidem coincubare materiæ, quia sic darent, & non darent primum esse. Darent, quia quælibet est forma substantialis, licèt partialis, aut subordinata, adeoque actus primus, licèt subordinatus, aut partialis. Et non daret, quia supponeretur ab alia. Forma autem accidentalis non dat primum. At de hoc pleniùs ibi

12. Arg. 5. Proprietates formales sequuntur ad formam formaliter talem; sed in mixto sunt proprietates formales elementorum: ergo sunt in ipso formaliter elementorum formæ. Prob. min. Tales proprietates sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas; sed illæ sunt formaliter in mixto: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. maj. sunt calor, &c. in summo, concedo, in gradu remisso, nego maj. & distinctæ min. nego conseq. In nullo namque mixto ceu contrariæ sunt, saltem naturaliter, conciliabiles.

13. Arg. 6. ad idem. In illo priori, pro quo mixtum præintelligitur ad primas quatuor qualitates, habet mixti rationem; sed non ratione talium qualitatum: ergo ratione elementorum, adeoque ista sunt formaliter in mixto.

Resp. cum Guerinois dist. maj. habet pro tunc rationem mixti radicaliter, vel virtualiter, concedo, formaliter, nego maj. & datæ min. nego conseq. Tunc namque radicat, & exigit illas; vel est mixtum virtualiter, ut diximus ad 1. quia habet virtutem causandi tales qualitates, & est, ac concipitur in causare illas, licèt non concipiantur ut actu causatæ.

Pro hac parte feliciter propugnanda recole cuncta, quæ dicta sunt prægresso art. per totum. Quandoquidem, ut ibidem scripsimus, qui sentiunt, elementa manere formaliter in mixto nonnisi in verbis mixtionem admittunt. Præsertim autem lege ibi §. 3. ad 3. arg.

14. Arg. 7. contra 2. p. Si elementa continerentur virtualiter in mixto, maximè quia, ut nos diximus, formæ mixti radicat qualitates sub alio gradu radicatas à formis elementaribus; sed ratio ista nulla est: ergo elementa non continentur virtualiter in mixto. Prob. min. Si ratio illa valeret, plura sequerentur incommoda. Primò sequeretur, quòd etiam in elementis continerentur virtualiter mixta, quia elementa radicant ipsius mixti qualitates. Secundò sequeretur, quòd unum ex elementis virtualiter in alio contineretur, V. G. aer in igne, quia ambo radicant in se calorem, quemadmodum terra, & aqua frigus, licèt in diverso gradu. Tandem unum mixtum virtualiter contineretur in alio, eò quòd omnia conveniunt in radicando qualitates elementares, licèt diversimodè temperatas: ergo &c.

Resp. nego min. Ad cunctas probationes dicatur, quòd ad hoc, ut unum contineat virtualiter aliud, non sufficit, quòd illius radicet qualitates utcunque, sed requiritur, quòd unum radicet alterius qualitates ex coalescentia illius in seipsum, sicut mixtum radicat elementorum qualitates ex priori coalescentia elementorum in mixtum transmutatorum. At unum elementorum non radicat qualitates alterius ex coalescentia istius in seipsum; nec elementum radicat mixti qualitates ex coalescentia mixti in elementum; nec demum unum mixtum radicat qualitates alterius ex coalescentia istius in aliud.

15. Arg 8. Si quatuor elementa remanerent hoc modo in mixto secundùm suas virtutes, & qualitates, sequeretur, actiones à mixtis elicitas mediis illis virtutibus, debere attribui elementis tanquam causæ principali; sed falsum id est: ergo falsum est elementa remanere hoc modo virtualiter in mixto. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd causa principalis actionis est ea, ad quam pertinet virtus, à qua actio illa procedit Min. quoque palam est, quia secùs mixtum esset purum instrumentum, sicq; foret elementis, saltem collectivè sumptis, imperfectius.

Resp. primitùs cum Guerinois, maj fore veram, si tales qualitates essent eædem numero. Non sunt autem eædem numero, sed sunt duntaxat similes, imò nec sunt similes in gradu.

Præterea liquet ex dictis 2. Phys. q 2. quòd ad instrumenti rationem non sufficit habere virtutem ab alio quomodocunque, sed requiritur, habere talem virtutem ab alio per modum transeuntis.

Dices. Forma mixti specie distinguitur à formis elementaribus; ergo nequit ejusdem speciei qualitates radicare; sed calor existens in mixtis, & elementis est ejusdem speciei absolutè in ratione caloris: ergo calor ipsius elementi non radicatur in forma mixti. Idem dicas de reliquis qualitatibus.

Resp. dist. ant. specie distinguitur tanquam quid medium inter illa, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Et quoniam medium participat de extremis, idcircò mixtum participat de qualitatibus elementorum.

16. Adversus tertiam p. non militat argumentum alicujus ponderis, quod solutum non remaneat in nostra probatione n. 5. § 2. Nihilominùs legi Cavinus potest.

17. Arg postremò contra 4. p. In mixto nulla extat substantialis forma æquivalens pluribus formis substantialibus elementorum: ergo & unica qualitas æquivalenter continens qualitates elementares, adeoque elementa non sunt virtualiter in mixto secundùm eorum qualitates attemperatas. Prob. conseq. Tum à pari, Tum quia frustra multiplicantur entia absque necessitate, sed unica sufficit qualitas ad præstandum quicquid omnes, & singulæ qualitates præstarent: ergo non requiruntur aliæ qualitates Prob. min. eadem paritate. Siquidem una forma mixti sufficit ad præstandum quod præstarent elementares formæ: ergo pariter &c.

Resp. primitèr nego ant. quò ad 2. p. quia licèt sit una sola, non continet virtualiter continentia substantiali formas elementorum, secùs mixtum vel posset constituere ignem (si contineret in genere causæ formalis) vel posset ignem, aut terram, &c. producere, si contineret in genere causæ efficientis; sed continet continentia duntaxat accidentali. Eam ob rem argumentum urget solummodo Scotistas.

Præterea permisso ant. potest negari consequentia, & aliqua disparitas assignari, quia nimirum formæ substantieles elementorum nequeunt esse formaliter in ipso mixto ob rationes à nobis assignatas, benè verò illæ qualitates in gradu saltem remisso. Insuper quia, semper radix est magis una, quàm virtutes.

Dixi *aliqua disparitas*, quia non plena hæc est disparitas. Licèt namque salvet possibilitatem, haud tamen necessitatem astruit dictas ponendi qualitates.

18. Colligi ex dictis potest, quòd ad hoc, ut unum aliud contineat continentia purè accidentali, requiritur, quod accidentia, quæ sunt in continente contenta, dimanent ab illius intrinsecis. Eapropter aqua calefacta ab igne non dicitur hoc modo continere virtualiter ignem.

LIBER SECUNDUS

De Generatione, & Corruptione, sive Ortu, & Interitu.



Tagyrita postquam in primo libro peregit de ente generabili, & corruptibili, in communi adoritur in hoc secundo libro agere de generabili, & corruptibili in particulari. Et quoniam generabilia inter, & corruptibilia primum sibi vendicant locum elementa, ex quibus fiunt alia, nimirum mixta; Idcircò præsertim de elementis pertractat.

Deinde differit de circulo, nempe de regressu generabilium, & corruptibilium.

QUÆSTIO PRIMA.

De Primis Qualitatibus.

UT promptiùs elementorum assequaris naturam, præmittenda nonnulla sunt eorum de qualitatibus, quamquam in esse entis istæ sint elementis posteriores.

PRÆAMBULUM.

De existentia, quidditate, & multiplicitate primarum qualitatum.

§. I.

1. QUòad p. p. nimirum de existentia primarum qualitatum nihil se exhibet addendum iis, quæ scripsimus in Logica Syntag. 4. q. 4. quæ fuit de quantitate art. 3. §. 2. Vide ibi. Lege etiam si placet, Guerinois hic q. 5.

§. II.

De quidditate primarum qualitatum in communi.

2. EO' quòd primæ qualitates sint illæ, quarum ex participatione fiunt aliæ, idcirco proportionali quodam modo illas definire ac principia mos est sic: *Primæ qualitates sunt, quæ nec ex se invicem, nec ex aliis fiunt, sed ex quibus cæteræ fiunt.* Intelligendo, quòd non fiant ex aliis tanquam causis intrinsecis, sicut de principiis 1. Phys. scripsimus. Siquidem tanquam ex causa extrinseca, puta efficienti fieri possunt, sicut calor ex motu, siccitas non semel ex calore causatur.

Præterea primæ nuncupantur, vel quia sunt primorum corporum proprietates, nimirum elementorum, vel quia sunt quæ primò inserviunt generationi, ut inquit Cav. hic disp. 1. q. 1. §. 2. vel quia sunt objectum primi, & communissimi sensus, nempe tactus.

Sunt autem quatuor, nimirum calor, frigiditas, humiditas, & siccitas. Pro quarum singulis sit

§. III.

De Quidditate primarum qualitatum in particulari. Et primò de Calore.

3. CAlorem esse quid positivum, & non purè negativum universi consentiunt. Ast quodnam sit hoc positivum varii variè sentiunt.

Itaque Cartesius scripsit, quòd calor nil aliud sit, quàm motus celer, & perturbatus. Cartesio adstipulantur Cartesiani, & etiam Joannes Saguens tom. 3. disp. 13. art. 2. qui ea forsan fretus imaginatione, quòd sua mens sit scientiarum arca, vocitat Peripateticorum qualitates inania quædam ignorantiæ latibula, ac dicit, calorem ex parte calefacientis esse agitationem activam, ex parte verò calefacti esse agitationem passivam.

DICO PRIMO

Contra Cartesium, & Saguens.

Calor non consistit formaliter in motu.

4. DIxi *formaliter*, quia plerumque calor est motus effectivè, quatenus per motum efficitur, & motus est causa caloris, ut festinè innotescet num. 7.

Prob. Stat calor absque motu, ut palam est in igne quiescente: ergo &c. Prob. ant. Calor est proprietas ignis, ergo illi competens quocunque in statu, adeoque & in statu quietis.

Legi Joannem Saguens num. 14. ubi dictitat, quòd ignis quiescens non est in actu secundo calidus, idest calefaciens; sicut nec Homo semper in actu secundo discurrit, ridet, &c.

Attende perspicacitatem, & sapientiam illius Saguens, qui Peripatus qualitates dignatus est compellare *inania quædam ignorantiæ latibula*. Sumit calorem pro calefactione, virtutem calefactivam pro calefaciente actione. Quis dubitat, quòd actio calefactiva vel est motus, vel est cum motu. Conspeximus namque 3. Phys. quòd omnis physica actio est cum motu physico. Et in hoc crediderim, cunctos hallucinari Cartesianos; qui si velint, quacunque in calefactiva actione intervenire motum localem, dico, nihil de hoc ad nos, quia modò non loquimur de actione calefactiva.

Præterea motus iste in igne vel fit à seipso. Et sic jugiter moveretur. Vel ab alio. Et hoc non, quia stupa tametsi non priùs tangat ignem, in quadam etiam distantia conflagratur.

Prob. ulteriùs. Extant isti motus sine calore, ut perspicuum est in aqua ventis agitata, præsertim in hyeme, & in vento boreali rapidè perflante.

Respondet Saguens, quòd non quicunque motus est calor, sed duntaxat ille, qui perfert corpuscula calida, ut conspicuum est de Australis venti motu.

Verùm solutio ista duntaxat salvat, quòd motus sit requisitus ad calorem, non verò, quòd in ipso motu situs sit calor, sed quòd calor consistat in atomis igneis; contra quod dicetur sequenti 2. asserto, imò & hic sub num. 7.

Prob. Demum. Siquidem ex opposito sequeretur, aquam dum desinit fervere, non fore ampliùs calidam, quia non ultrà foret in motu.

Nec cum eodem Saguens respondere juverit, quòd dum non ampliùs ebullit, aliqualiter movetur aqua, licèt insensibiliter.

Non, inquam. Nam cùm calor sit sensibilis, etiam motus deberet sensibilis esse, si tali in motu consisteret sensibilis ille calor, præsertim Atomistarum attenta doctrina, quæ sensibilia non transcendit.

Probationes alias lege apud Guerinois.

5. Objicies curiosum experimentum apud Æsopi fabulas vulgare. Idem aer, quem respiratione attrahimus modò calidus, modò frigidus evadit secundùm diversum modum, quo exit ab ore, nimirum evadit calidus, si aperto emittatur ore, frigidus si compressis propellatur labiis.

Resp. cum Guerinois primitùs retorquendo experimentum in Adversarium. Etenim si calor in motu situs foret, aer qui compressis propellitur labiis, foret magis calidus, quia violentiori propellitur cum motu. Itaque aer ore aperto emissus est calidus, quia tunc à pulmonibus calefactus prodit. Quando verò compressis propellitur labiis non est frigidus, sed est causa, quod minùs percipiatur de calore vel in vultu, à quo depellit aerem ambientem immediatè vultus superficiem, qui ab ejusdem vultus calore fuerat calefactus; vel in pulmentis, à quibus depellit aerem immediatè ea circumscribentem, qui extabat ab ipsis alimentis calefactus.

6. Obje-

6. Objectiones Saguens haud aliud probant, nisi quòd in actione calefactiva aliquis interveniat motus. Quod ultrò concedimus, sed nihil ad propositum, ut num. 4. conspeximus.

7. Objicies præterea varias experientias, quibus palam fit, quòd in motu extat calor.

Verùm Resp. quòd nil aliud probant, nisi quòd motus sit causa caloris, non verò quòd calor sit formaliter motus. Et legi possunt singillatim solutæ apud Guerinois.

Contra tamen potest opponi, quòd motus nequit causare, nisi motum: ergo si motus causat calorem, calor erit formaliter motus.

Resp. dist. ant. per se, concedo, per accidens, nego ant. & conseq.

Contra. Non est explicabile, quomodo motus sit per accidens causa caloris: ergo &c.

Resp. nego ant. Et explicatur cum Goudin, quòd id præstat, vel excitando aliquos spiritus igneos latitantes intra poros ejus, quod movetur, præsertim in corporibus, in quibus prædominatur ignis, ut calce, &c. Vel accendendo magis, ac congregando igneos quosdam spiritus per aerem dispersos, & disgregatas ignis particulas, quas de Cœlo descendere, de Lunæ concavo in aerem scripsimus lib. prægresso quæst. 8. art. 1. §. a. Et aliàs dicendum est, è terra erumpere ex locis quibusdam sulphureis, & per totum Universum aerem diffundi. Pro quo

Ut agnoscas, quòd hujuscemodi ignes subterranei licèt non adsint omnibus in locis, possunt tamen undequaque per terræ profunditatem effundi, scito, tanta esse in copia, quòd (ut apud Maurum ferunt fodientes metalla) terra dividatur duas in regiones, quarum una ad sexcentos usque passus æstate est frigida, hyeme est calida, altera sexcentis passibus centrum versus est calidissima. Exhalationes quoque non paucæ calidæ elevantur Solis calore.

At hic extemplò lætabundus exultans conclamabit Atomista: en *corpuscula nostra; en igneas atomos.*

Verùm enim verò hoc esset canere triumphum ante partam victoriam. Etenim quis unquam extare hujuscemodi negavit fragminula? Nos 1. Phys. q. 1. art. unico §. 11. n. 28. ad 1. arg. scripsimus, posse ens naturale in minimas resolvi partes, licèt non ratione sui, sed ratione quantitatis, & loquendo de toto integrali. Solum etenim ibi negavimus, talia fragmenta esse rerum naturalium principia. Negamus hic, in motu esse formaliter situm calorem, & negabimus *dico* 2. sequenti, in iisdem fragminulis consistere calorem, licèt non negemus, oriri ab eis posse.

Nonnulla alia de hoc legi apud Mastrium possunt in tract. de Cœlo disp. 2. q. 7. à num. 235.

DICO SECUNDO
Contra Gassendum.

Calor non est situs formaliter in atomis igneis.

8. Gassendus cap. de calore, & frigore pag. 317. scribit, calorem pro formali situm esse in atomis exilibus, sphæricis, multum agitatis, pinguibus, viscosis, divellentibus, & concutientibus corporis partes.

Prob. Tum quia sequeretur, quòd adamas, cujus partes nequeunt dissolvi, non posset calefieri. Tum quia sequeretur, aquam calidam esse magis viscosam per illa corpora pinguia, & viscosa. Quod quotidianæ advers atur experientiæ, qua conspicimus, aquam decoctam esse magis puram, & ægrotantium stomacho utiliorem.

Præterea contra nonnullos dicentes, corpora calefieri per corpuscula, poros corporis calefacti subeuntia, dictum est in Logica tract. 4. q. 4. art. 3. §. a.

DICO TERTIO
Cum Peripatu.

Exacta est definitio, seu potiùs descriptio caloris ab Aristotele tradita.

9. Definitur, seu potiùs describitur calor à Philosopho hic 2. de Gener. cap. 2. sic: *calor est qualitas congregans homogenea, & disgregans heterogenea*, idest congregans ea, quæ sunt ejusdem rationis, & disgregans ea, quæ sunt diversæ rationis.

Prob. Experimento. Aurifices vi caloris ignei metalla heterogenea idest speciei diversæ in unam massam confusa segregant, congregando in uno loco V. G. aurum, & in alio argentum. Item (ut scribit Goudin) ignis ligno admotus partes subtiliores elevat in fumum, congregando in loco superiori, aqueas in unum congregat, exprimendo in humores, & partes terreas in unum congregatas relinquit in cinere.

Explicationes nonnullæ resolutivæ nonnullarum difficultatum circa definitionem istam legi possunt apud Compl. Jo: à S. Th. Lermam &c. Interim

10. Objicies 1. ex Saguens probando, quòd calor non sit qualitas. Calor non est qualitas permanens, nec transiens: ergo non est qualitas. Prob. ant. & 1. quòd ad p. p. Transit ad aliud, quod calefacit 2. quòd ad 2. Siquidem secùs in igne calefaciente non remaneret calor. Eò vel maximè quòd idem numero accidens, Peripateticis insistendo vestigiis, nequit saltem naturaliter transire de subjecto in subjectum, puta de igne in aerem, de aere in lignum; imò nec supernaturaliter Thomisticè loquendo, seu à subjecto individuatum.

Si respondeas, quòd est qualitas permanens, & quòd non migrat ad passum, sed in passo producitur novus calor, qui ex passi potentia educitur.

Contra instat idem Saguens 1. Hinc evidentissimè sequitur juxta principia sectæ Aristotelicæ, lignum, quod ab igne quantumcunque modicè distare supponatur, per intermedium aerem nunquam fore accendendum: accendi quippe non potest, quin priùs calefiat ut octo; neque potest calefieri ut octo, nisi ab aere, qui priùs omnes istos, & singulos gradus caloris ab igne genitos in seipso admiserit. Nunc verò constat, aerem intermedium non calefieri ut octo, alioquin accenderetur contra experientiam.

Secundò. Nam sequeretur, non solùm quòd nunquam extingueretur carbo V. G. ignitus, quem supponamus medio in aere constitutum, sed præterea carbo ille unicus universum calefaceret orbem, & calefaceret, & accenderet: ergo responsum non est conveniens. Prob. sequela. Si namque calor carbonis illius igniti absque ullo sui decremento calefacit aerem proximè vicinum, iste etiam aer absque ullo caloris jam suscepti decremento calefacit alium, & hic alium, donec totus sit calefactus aer. Neque enim hic dicendum occurrit, calorem minuendum fore per successionem continuatæ generationis; quandoquidem non aliter jam discurrendum est de calore aeris, ac de calore ejusdem ignis, hic verò non minuitur, sed continuò æquè viget ad calefaciendum aerem sibi proximum. Deinde quia aer, in quo carbo ille ignitus ambitur, nihil de calore semel suscepto remitteret: ergo carbo nunquam extingueretur. Prob. conseq. Nam nequit ambiri, nisi ab humido, aut frigido ambiente. Imò neque extingui posset quamvis adesset humidum, frigidumque illud ambiens, quia ignis quandiù in natura sua perseverat nec frigidus esse potest nec humidus: aliunde verò corrumpi non potest, nisi per susceptas in sino suo qualitates contrarias.

Nec valet dicere ad 1. arg. quòd aer utpote quid debilissimum non est capax ignesieri, seu nullarenus est capax retentionis ignis. Non, inquam, quia calor in summo non est proprius, nisi ipsius ignis. Si ergo aer recipit in se calorem ut octo, quo lignum proximum calefaciat ut octo, & accendat, jam est capax ignis.

Resp. optimum esse responsum, quod idem oppugnat, sed non expugnat Saguens. Eapropter

Ad 1. oppugnationem nego illatum. Ad prob. primitèr, lapus hoc animadvertas velim, idem sequi in ejus sententia de atomis. Siquidem cum igneæ atomi pervadant interiacentem aerem, deberent istum priùs, quàm lignum accendere.

Præterea distinguo, quin priùs calefiat ut octo, statim, nego, successivè, subdistinguo, ab eodem numero aere, nego, ab alio, concedo. Etenim aer, seu quid fluidissimum incunctanter variatur in spatio illo intermedio. Ob idque lignum illud primò calefit ut unum ab aere calefacto ut duo ab igne; postea alius numero aer, qui in eodem succedit loco, calefit ut unum ab aere secedente calido ut duo, & ab igne calefit ut duo, sicque calidus ut tria, & ut duo lignum calefacit; posteà aer, qui iterum succedit, calefit ut duo ab aere recedente calido ut tria, & calefit ut duo ab igne, sicque evadit calidus ut quatuor, & calefacit lignum ut tria, sicque succedaneè usque ad calorem ut octo. Et hæc omnia interdum tardiùs, interdum citiùs fiunt juxta majo-

majorem, vel minorem passi dispositionem. Cujus signum extat, quòd non statim res distans crematur, quamquam dispositissima sit, ut palea, stupa, &c.

Et hoc admonitus sis, quòd tametsi clauderetur aer, incunctanter variaretur succedaneè, præserrim ex agitatione, quam ab igne in actione calefactiva patitur.

Qua ex re nemine impellente tota Patris Saguens corruit machina. Quandoquidem nullus unquam aer evadit calidus ut octo, ut queat alium proximum, & alium, totumque comburere Universum, ut suo illo materiali in discursu magnificabat Saguens. Item potest extingui post debitum tempus carbo ab ambiente, quod statim amittit calorem illum, ut duo, rediensque primigeniam ad frigiditatem, & humiditatem, hinc inde confusaneè circa ignem cum alio aere, qui non fuerat calefactus, agitque in ignem.

Ad id, quod subjicitur Resp. quòd ignis non recipit in se qualitates illas, sed dum contrarium agit in illum, tum ab aliqua minima ignis parte secedit forma ignis, & extinguitur, ut scripsimus 17 art 8. §. 3. ad 1. arg sub n. 3. & resolvitur in vapores; ita quòd dum accedit qualitas contraria, tum forma ignis in ea parte non adest, nisi per modum recessus. Si autem totus carbo ab aqua simul extinguatur, tum tota ignis forma in aquæ accessu secedit.

11. Objic 2. ad idem ex eodem Saguens. Si calor foret qualitas, dum aqua calefit, vel illa qualitas foret naturalis, vel violenta aquæ; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Prob. min. & 1. quò ad p. p. Qualitas naturalis aquæ est frigus, ad quod proinde calefacta se recipit; nequeunt autem duo contraria esse eidem connaturalia. Præterea quò ad 2. Tum quia per nos educitur ex ejus substantia; nequit autem educi ejus de substantia, quod est ei violentum, cùm unicuique connaturalissima sit propria substantia. Tum quia secundùm Peripateticos forma est perfectio subjecti. Quomodo autem poterit esse perfectivum, quod est violentum?

Resp. nego min. quò ad 2. Ad prob. liquet ex dictis 1. Phys. q. 3. in fine, quòd educitur ejus de substantia, non secundùm potentiam naturalem, sed secundùm potentiam quasi obedientialem; sicque est perfectio illius, non secundùm potentiam ejus naturalem, sed secundùm potentiam ejus quasi obedientialem.

12. Objic. 3. ad idem ex eodem. Si calor foret qualitas nunquam posset aqua calefieri: ergo &c. Prob ant. dupliciter. Et primò. Impossibile est, ignem quandiù manet ignis esse frigidum; ergo pariter &c. Secundò. Caliditas non minùs frigiditati adversatur, quàm risibilitas hinnibilitati; sed Homo nusquam potest fieri hinnibilis: ergo &c.

Resp. primodùm arg. hoc æquè valere sive calor sit qualitas, sive non. Præterea nego ant. Ad 1. prob. discrimen est, quia ignis, & calor est summè activus, idcircò si est in summo pellit frigus; at non frigus in summo, quod cùm non sit summè activum, nequit pellere calorem, si iste sit in summo.

Ad 2. habes discrimen ex dictis in Logica Syntag 4. q. 3. art. 1. §. 3. ad 1. arg. quia nimirum illi sunt actus vitales, qui essentialiter petunt esse ab intrinsecis elicitivè.

13. Objic. 4. ex eodem tomo 3. disp. 13. art. 3. n. 1. calor etiam disgregat homogenea in vaporem resolvendo dum aquam rarefacit. Præterea etiam frigus congregat homogenea, ut palam est in aqua gelu durata: ergo non benè reliqua ponuntur verba.

Resp. ad 1. quòd calor per accidens duntaxat, non verò per se disgregat homogenea, quatenus nimirum aqua, aut aer nequeunt ferre calorem nimis intensum. Hac de causa interdum etiam vitrum igne constringitur.

Ad 2 patebit §. sequenti, quòd frigus homogenea æquè, ac heterogenea congregat. Præterea aquæ condensatio non est verè congregatio; nec aeris rarefactio verè disgregatio, ut agendo de rarefactione diximus, sed major, vel minor explicatio.

Reliqua argumenta lege soluta apud Maurum, & apud Gueriuois.

Varios caloris effectus lege apud Goudin.

§. IV.

De Frigore.

14. CArtesius, & Cardanus dicere, frigus esse quid purè privativum. Cùm etenim dixerit Cartesius, calorem esse motum, cohærenter ad hoc postea dicit, frigus esse quietem, quæ cùm non sit, nisi privatio motus, proinde secundùm ipsum, frigus non est nisi caloris privatio.

Gassendus autem cum aliis, scribit, frigus situm esse quibusdam in corpusculis, habentibus figuram pyramidalem, & quadratam, subeuntibus poros.

DICO PRIMO.

Frigus est quid positivum, & non mera privatio.

15. PRob. Tum quia pura privatio non est aliquid sensibile, V. G. non sentitur cæcitas, quæ est visus privatio; frigus autem est quid sensibile. Tum quia sine motus privatione stat frigus in aqua si vento boreali summoperè agitetur. Tum quia privatio non suscipit magis, & minus, V. G aliquid non dicitur modò magis, modò minùs mortuum; calor autem suscipit magis, & minus. Tum demum quia si frigus esset mera caloris privatio, sequeretur, res fieri calidas in instanti; sicut quia tenebræ sunt pura privatio lucis, aer fit in instanti lucidus.

16. Objicies. Corpus evadit frigidum ex absentia caloris: ergo frigus consistit in privatione caloris.

Resp. dist. ant. fit frigidum consecutivè, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Vel distinguo consequens eodem modo, Et ita interpretandus venit Stagyrita, dum 1. De Gener. cap. 3. tex. 18. & 2 de Cœlo cap. 3. tex. 18. vocat *frigus* privationem caloris. Secedente namque calore, qui frigoris resultantiam præpediebat, dimanat frigus à natura V. G. aquæ.

Argumentum aliud de media regione aeris frigescentis propter meram distantiam ab igne, & radiis resilientibus, solvitur ex dicendis in tract. de Meteoris consideratione 2. num. 7.

DICO SECUNDO.

Frigus non est situm formaliter in quibusdam corpusculis.

17. PRobo. Quandoquidem aqua poros non habet, quos subire corpuscula queant; & tamen est frigida: ergo &c. Prob. ant. Si aqua foret corpus porosum, cùm sit corpus minus resistens, quàm Spongia, posset intra vesiculam aliquam occlusa comprimi, imò faciliùs, quàm spongia. Præterea possent Homines subtùs aquas respirare medio aere poros aquæ subeunte.

Nec obest, quòd lux penetret etiam intra aquam. Non, inquam, inde sequitur, aquam esse porosam. Siquidem negamus suppositum, nimirum quòd lux sit corpuscula poros intrantia. Est enim qualitas.

Neque omnis raritas semper importat poros, nec rarefactio per intromissionem corpusculorum fit, ut de rarefactione agendo vidimus.

Probatio alia legatur apud Gueriuois.

DICO TERTIO.

Frigus exactè definitur ab Aristotele.

18. FRigus definitur à Philosopho hic 2. de Gener. cap 2. tex. 8. sic: *Frigus est qualitas, homogenea, & heterogenea congregans.*

Prob. Hoc namque perspicuum est in glacie, in qua simul in unum congregantur aqua, palea, partes terræ, &c. Eam ob rem calorem Empedocles vocavit litem, frigus amicitiam; quia nimirum calor separat heterogenea, frigus verò omnia in unum permiscet.

Objicies. Etiam calor aggerit in stomacho plures cibos diversæ rationis.

Resp. quòd id non eodem modo, ac frigus præstat. Frigus namque congregat heterogenea permanentia; calor verò sto-

iò stomachi aggerit diversos cibos faciendo ex illis tertiam substantiam, quæ chylus compellatur.
Argumenta alia lege soluta apud Guerinois §. 5.
Varios frigoris effectus apud Goudin legas.

§. V.

De Humiditate.

19. CArtesio placuit, quòd humiditas formaliter consistat in partibus habentibus politam, ac levem superficiem. Cujus ad opinionem videtur reduci opinio Joannis Saguens, dicentis, humiditatem sitam esse in partibus benè abtersis. Gassendus profitetur, humiditatem consistere in proprietate, quam habet corpus humidum, ut facilè uniatur, & connectatur omnibus, quæ tangit.

DICO PRIMO.

Opinio Cartesii, & Gassendi falsa est.

20. PRob. 1. quò ad p. p. Si in partibus benè abstersis, sive habentibus politam, ac levem superficiem, sita foret humiditas, sequeretur, etiam flammam ignis esse humidam, quia ista sic se habet.

Nec dicere juverit, flammam habere partes variantes modò in angulos, modò in planum. Non inquam. Quandoquidem sequeretur ex hoc, quod aqua dum ventorum vi modò in montes extollitur, modo in valles demittitur, non foret pro tunc humida.

21. Prob. quò ad a. Siquidem superest assignare, quid ista sit proprietas, quam aliàs Peripateticus qualitatem esse dicit. Præterea aqua est humida, sicut etiam aer; & tamen non uniuntur inter se, imò diversis in locis esse petunt. Ob idque Navis non mergitur, quia est aere plena: & dum vas aliquod aqua depletur foras pellitur aer. Simile habet Cav. agendo de temperamento §. 3. ad a.

Denique in Eucharistiæ Sacramento peracta vini consecratione, remanet vini humiditas, nec tamen superstites sunt vini partes.

DICO SECUNDO.

Exacta est definitio humidi ab Aristotele tradita.

22. HUmidum definitur à Stagyrita hic 2. de Gener. cap 2. tex 8. sic: *humidum est, quod facilè, & bellè termino terminatur alieno, difficilè proprio.* Itaque

Prob. conspicuum siquidem est, quòd aer, aqua, & liquores facilè in quamlibet conformantur figuram continentis, & in seipsis ægrè coosistunt.

23. Objicies. Inde sequeretur, omnia fluida esse humida; sed propugnari id minimè potest: ergo &c. Maj. enitescit, quia cuncta fluida facilè alieno, & malè proprio terminantur termino. Min quoque clarescit in Mercurio, metallis liquatis flamma, imò & toto igne.

Resp. nego maj Ad prob. nego ant. Nonnulla siquidem sunt fluida, quæ ægrè alieno terminantur termino V. G. intra fornacem ignis occlusus huc illuc excurrit, strepit, ut libertatem acquirat, & figuram excutiat fornacis. Idem dic de metallis liquatis; Imo dici de Mercurio posset, non esse ita liquidum.

Adde, non deesse, qui velit, quòd ignis suam semper retineat pyramidalem figuram, se protendendo per continentis obliquum.

Inst. Fluidum (ut vel nos scripsimus in tract. de Cœlo q. 1. art. 5. §. 1. num 1.) illud dicitur, *quod est facilè permeabile, facilè dividenti cedit, atque sine penetratione alia corpora in suo recipit gremio*; sed illud proculdubio belè alieno terminatur termino: ergo omne corpus fluidum foret humidum.

Resp. dist. maj. quod est facilè permeabile, &c. secundùm resistentiam tum activam, sive materialem, tum passivam, sive formalem prædeclaratam q 7. art. 3. concedo maj. secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Fluidum siquidem humidum, secundum utramque resistentiam facilè alieno terminatur termino. Fluidum autem siccum, ut ignis &c. licèt secundùm obsistentiam formalem, & passivam facilè alieno termino terminetur, non tamen secundum resistentiam materialem, idest activam, quia ceu summè activum summopere se defendit.

Qua ex re habes, quid sit fluiditas. Est namque *qualitas disponens substantiam, ut sit facilè permeabilis, facilè dividenti cedat, atque sine penetratione alia corpora suo recipiat in gremio*. De qua nonnulla videri apud Guerinois possunt hic art. 3. §. 3.

Et quidem quòd sit qualitas realiter à substantia distincta ostenditur, Tum ex eo quod in aqua, vino, oleo &c. fluiditas est ejusdem rationis, cum eodem se habens modo; substantiæ verò sunt speciei diversæ. Tum ex Eucharistiæ Sacramento, ubi in calice consecrato remanet vini fluiditas, nec tamen remanet vini substantia.

Objectio quædam solvetur §. 7. *Dico secundò* num. 34.

§. VI.

De Siccitate.

24. SIccitatem non esse meram humiditatis privationem contra Gassendum, & Cardanum, iisdem potest ratiociniis probari, quibus §. 4. probatum est, frigus, non consistere in pura caloris privatione.

Neque veritatem redolet, quòd semper ex solius humoris humidi consumptione corpora fiant sicca, licèt ita interdum eveniat. Non, inquam. Etenim, ut §. sequenti manifestum erit, aer est humidus, & tamen Sole nonnunquam exsiccatur, non per humoris alicujus consumptionem, sed per consumptionem ejus qualitatis humidæ.

Ex dictis quoque retroacto §. 5 ubi perspeximus, humiditatem non esse sitam in partibus benè abstersis, aut politis, potest adversus Saguens, & Cartesium constare, siccitatem non esse sitam in partibus non politis, sive non abstersis. Eo vel maximè, quod hoc foret mera privatio abstersionis, &c. Vid Guerinois hic art. 2. §. 7.

25. Dicendum itaque venit, siccum exactè definiri ab Arist. hic lib. 2. de Gener. cap. 2. tex. 8. quòd sit *illud, quod facilè suis, difficilè verò alienis terminis terminatur*. Palam hoc est in lapide, marmore, &c. quæ ægrè in se alienam suscipiunt figuram, propriamve facilè retinent.

26. Objicies 1. Pulvis, & cinis est siccus, & tamen haud ægrè alienam suscipiunt figuram, dum comprimuntur.

Resp. quòd pulveris, & cineris grana propriam perenniter retinent figuram, licèt quia inter minuta illa grana multum intercipitur aeris, ratione talis aeris facilè cedant alienis terminis. Alia solutio legitur apud Guerinois.

27. Objicies 2. Flamma est sicca, & tamen non ita facilè propriam retinet figuram.

Ad hoc habes ex dictis antegresso §. *Dico secundò* sub num. 23. Præterea dico, id esse per accidens, quatenus ignis hic non est in loco proprio. Quandoquidem in sua sphæra facilè propriam retinet figuram.

Objicies 3. Ex Saguens tom. 3. disp 13. art. 4. num. 1. Ex hac definitione sequeretur, ligna, & lapides exsiccare, imò & glaciem benè compactam esse plurimum exsiccantem.

Resp. ligna virentia, aut madida humectare, non verò exsiccare, quia habent in se humores quosdam, qui sanè propriam haud facilè retinent figuram. Lapides autem, nisi madidi sint, aut ab ambiente aere humectati, sunt sicci, imò & paulisper, licèt modicè, exsiccantes, licèt sint frigidi, & idcircò parùm exsiccantes, quia siccitas est modicè activa.

Ad id, quod de glacie subjicitur, dico, illud corpus esse siccum, quod per se propriam retinet figuram. Glacies autem propriam figuram facilè retinet per accidens, nimirum vel quia aliquid est ei terræ admixtum, vel iterum infra in *dico tertio* num. 37. dicetur; vel ratione excedentis frigoris, eam ambientis, quo decrescente liquescit.

Ea ex re intelliges, cur Stagyrita hic 2. de Gener. cap. 2. tex 8. humiditatem, & siccitatem vocaverit qualitates passivas, calorem, & frigus qualitates activas. Quandoquidem non ideo sic vocavit (quicquid dicat Arriaga, cum aliis) quasi nullam univocam exerceant actionem, cùm humidum humectet, siccum exsiccet, quemadmodum calor calefacit, & frigus frigefacit. Non, inquam, sed propterea dixit, illas esse qualitates passivas, calorem verò, & frigus activas, quia calor, & frigus conducunt ad mixtionem

gionem congregando, vel segregando miscibilia; humidum verò quatenus facilè terminatur sicco, cui adhærens fit mixtum. Terminari autem importat passionem, congregare verò, & disgregare significat actionem. Vel dicuntur qualitates passivæ comparativè ad calorem, & frigus, quæ sunt qualitates magis activæ, minusque resistitivæ resistentia passiva, idest materiali. Videatur Mastrius hic lib.2. disp.5. q.1. num.3.

§. VII.

De modo, quo primæ qualitates singulis competant elementis.

29. TRes extant opiniones. Prima sentit, quòd elementorum cuilibet aliqua competat, & una duntaxat ex primis qualitatibus. Hujusce sententiæ patroni dissident inter se. Nonnulli namque sic distribuunt: ignis est calidus in summo, & siccus citra summum: aqua est frigida in summo, & humida citra summum: aer est humidus in summo, & calidus citra summum: denique terra est sicca in summo, & frigida citra summum. Sic Empedocles cum aliis, quos sequitur Mastrius hic lib.2. disp 1. q 6. art.2. & clarissimus ex nostris quidam in m. s. Alii distribuunt sic: aer est summè frigidus. Ita Stoici, quos refert Plutarchus in tract. de primo frigido n.5. & secutus est Galenus lib 8. de usu partium cap.3. idemque ex recentioribus docent Arriaga, & Pontius, quorum primus tenet, terram esse summè siccam, & aliquo modo calidam (quod etiam docet Pontius) aerem verò esse summè frigidum, & aliquo modo siccum; secundus verò asseverat, aerem esse summè frigidum, & aliquo modo humidum, ut fert Guerinois.

Secunda est quædam peculiaris opinio Joannis Saguens, quam in examen vocabimus *dico* sequenti *secundò* n 36.

Tertia, quam propugnant Compl. Cavinus, & Guerinois obtestans, communem esse in Angelica schola, est nostra.

DICO PRIMO.

Ignis est summè calidus, & summè siccus.

30. PRob. quò ad p. p. Nomine caloris in summo venit, non calor possibilis de potentia Dei absoluta, benè verò calor possibilis de potentia ordinaria, & juxta ordinarium rerum cursum, quia exploratum est, posse intendi in infinitum syncategorematicè; sed istum obtinet ignis: ergo &c. Prob. min. Nullum est excogitabile, quod sit activum, vel æqualiter activum, ac ignis: ergo &c.

31. Prob. quò ad 2. p. contra Telesium, nonnullosque Cartesianos. Ignis habet vim summè exsiccativam; ob idque pannus humidus ad igneum expansus celeriùs, quàm quolibet alio modo exsiccatur.

Si autem petas, qua virtute habeat adeo exsiccare; Resp. ratione caloris. Pro quo

Noveris ex Compl. quòd duplici via potest aliquid exsiccari. Uno modo per hoc, quod comprimatur, non quidem expellendo corpuscula, quia conspeximus q 6. art. unico, condensationem non fieri per corpusculorum depulsionem. Et hoc modo potest exsiccari per frigus (si aliàs sit aliquid, quod ceu non summè humidum sit siccitatis capax, secùs verò si incapax siccitatis sit, ut aqua, quæ proindè, licèt glacies facta, non evadit sicca; Idque militat tum in sententia corpuscularioium, cùm in sententia nostra; quia etiam per illam aquæ compressionem corpuscula depellerentur. Dicere ni malueris, juxta ea, quæ scripsimus 5. Phys. q.1. art. unico §.7 num.30. Tum illud gelu non esse ampliùs aquam compressam, sed quid substantialiter ab aqua diversum) quia humiditas aliquam affert dilatationem, qua facilè termino terminatur alieno. Alio modo per evaporationem. Et hoc pacto fit per calorem, qui facit evaporare qualitates humidas.

Nec, cum prælaudato in m. s. dicere juveris, quòd ignis exsiccat, non media sua siccitate, sed quia per calorem pellit corpuscula humida. Non, inquam, Tum quia si hoc modo potest per calorem exsiccare alia, multò magis seipsum, adeoque erit summè siccus. Tum quia hoc est corpuscularis adstipulari. Tum quia (ut infra conspiciemus) aer suapte natura, & non per intrusionem corpusculorum, ut vel ipse eximius in m. s. annuit, est humidus, & tamen potest per ignem exsiccari, ut palam est in cubiculis, ubi adest ignis.

32. Adversus p. p. nullum militat momenti alicujus argumentum.

Objicies 1. Siccum est, quod difficilè alieno terminatur termino; sed ignis facilè alieno terminatur termino; ergo ignis non est summè siccus.

Ad hoc habes ex dictis §.5. *dico secundò* num.23. & § 6. num 27.

33. Objic.2. ad idem ex prælaudato in m. s. Uni elemento una tantummodo qualitas in summo competere potest: ergo ignis si est summè calidus, nequit esse summè siccus.

Resp. nego ant. quòd non probat objiciens, sed duntaxat probat primò, quòd cuilibet ex elementis debet una competere ex qualitatibus in summo (de quo infra agendo de aere) secundò, quòd una nequeat qualitas in summo duobus competere elementis, Tum quia qualitas in summo est ultima dispositio concomitans formam, cui competit; Tum quia unoquoque in genere extare unum debet, quod sit cæterorum causa. Sed nihil ex hoc contra nos.

Argumenta alia lege soluta apud Guerinois hic quæst.5. art.4. §.2.

DICO SECUNDO.

Aer est citra summum calidus, & humidus.

34. SUppono, aerem non esse summè calidum, secùs conflagraret sicut ignis.

Quod verò saltem mediocriter calidus sit prob. quia est præ cæteris elementis propinquus igni in concavo Lunæ collocato, ut propugnabimus q. sequenti 2. art.5. adeoque debet cum illo affinitatem aliquam in calore sortiri.

Quòd non sit summè humidus prob. contra prælaudatum illum in m. s. Tum quia si foret summè humidus non posset unquam à tanta sua humiditate removeri: esset namque magis, vel saltem æquè humidus, ac aqua; aqua autem nusquam potest ab illa sua tanta humiditate removeri. Tum quia videmus, aquam magis, quàm aerem humectare.

Nec dicere cum prælaudato in m. s. juverit, aquam magis humectare ratione suæ densitatis. Non, inquam, quoniam conspicimus, quòd aqua minùs densa, minusque crassa, magis humectat, ceu magis penetrativa, ergo major humectatio, quam præstat aqua, non provenit ex majori densitate.

Quod demum sit nonnihil humidus, & non summè siccus nitet, Tum quia videmus, quod se solo non valet alia humida exsiccare: ergo &c. Tum quia reipsa nonnihil humectat.

35. Objicies ex prælaudato in m. s. probando, aerem esse summè humidum. Humidum est, quod facilè alieno, ægrè verò, & malè proprio terminatur termino; sed aer faciliùs, quàm aqua terminatur alieno termino: ergo &c. Min. de se nitescit. Eò vel maximè, quòd aqua interdum figuratur in globulos, non verò aer.

Resp. hic benè valere, quod ipse ajebat, & ibi de humiditate non valebat, nimirum quòd aer ratione minoris densitatis faciliùs alieno terminatur termino. Præterea cum Guerinois, nego ant. Aer namque, ceu longè subtilior aqua, se insinuat per cunctorum corporum poros, adeo ut vix ullo termino terminetur.

36. Objic 2. ex eodem. Cuilibet ex elementis aliqua debet qualitas in summo convenire: ergo cùm non sit summè calidus, nec summè frigidus, nec summè siccus, erit summè humidus. Prob. ant. Ex elementis quodlibet virtualiter continetur in mixto, quatenus qualitates mixti participativè derivantur à qualitatibus existentibus in elementis; sed qualitates, quæ in participante sunt in gradu imperfecto, debent in gradu perfecto esse in eo, à quo participantur alicui; ergo &c Eò vel maximè, quòd omne imperfectum reducitur ad perfectum sui generis.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. min. si sit participatio verè, & propriè, quæ dicit hoc, quòd est partem capere, concedo, si sit participatio duntaxat impropriè, quæ fit per mixtionem, nego min. & conseq. Ad hoc siquidem, ut elementa sint virtualiter in mixto, sat est, esse in illo vel per hoc quòd eorum qualitates ad quandam redigantur temperiem si sunt in summo; vel saltem per hoc, quod sunt in mixto secundùm combinationem cum aliis mixtis; quam

quam combinationem qualitates non obtinent in aliquo elementorum.

Reliqua argumenta lege soluta apud Guerinois ubi supra §. 5.

37 Libet hic quandam observationem habere circa dicendi modum Joannis Saguens, volentis, aerem quadam esse in indifferentia passiva, ex se verò, sive suapte natura, positivè saltem, nec frigidum, nec humidum, nec siccum esse.

Si petas, quomodo id probet? Fatetur, haud ullam se probationem habere. Fuerit saltem hic minori cum irreverentia locutus. Certè hic non potest se excusare, ut in *Atomismo suo vindicato* se excusat, dicendo, se audacter loqui, non ob arrogantiam, sed ob evidentiam.

At non sic nos consuevimus nostra stabilire placita, ut stet pro ratione voluntas. Nec sic impræsentiarum stabilimus, sed probamus, quia aer, cùm determinatam sit fortitus naturam, & non indifferentem, determinatis quoque, & non indifferentibus gaudere proprietatibus debet.

Præterea esse quodammodo humidum, & calidum probavimus num 33.

Novi, quòd ad ratiocinationem illam, qua calidum esse probavimus, dicit Saguens, quòd aer sit propè ignem, quo calefiat, est quoque propè aquam, qua frigefiat.

Novi tamen, quòd quemadmodum neminem latet, ita nec ipsum latere debuerat, calorem esse præ omnibus activum; Ob idque calor in summo est magis activus, quàm frigus in summo. Præterea festinè videbimus, aquam non esse frigidam in summo.

Pro uno ejus argumento solvendo noveris, quòd aer interdum ignem extinguit in sublunaribus, non ratione frigoris, sed ratione humiditatis, tum propriæ, tum ejus, quam recipit ab aqua sibi propinqua, quia uti diximus q 7. art. 4. ad 5 arg sub num. 4. ignis est minimè resistitivus obsistentia passiva, seu, quod idem est, formali. Eatenus autem sua humiditate non extinguit proprium suum calorem, qui est minor, licèt extinguat ignis calorem, qui major est, quatenus pugnat cum siccitate ignis, cum qua siccitate est connexus calor ignis in summo; Ob idque donaxat per accidens illum extinguit. Præterea à tam grandi igne vicino residente in concavo Lunæ præpeditur, ne proprium extinguat calorem. Pro quo vide, quod dico 7 Phys. q. 1. art. unico §. 3. ad ult. instantiam factam contra responsum datum ad 5. arg. sub num. 4.

DICO TERTIO
Cum Complutens.

Licèt probabile sit, aquam esse summè frigidam; tamen probabilius est, esse summè humidam, & citra summam frigidam.

38. Quòd sit summè humida perspicuum sit ex dictis antegressu asserto num. 33. ubi probavimus, quòd aqua magis, quàm aer humectat.

Quòd non sit summè frigida prob. Si namque aqua foret summè frigida, tota aqua suapte natura foret congelata, quod tamen non modò experientia, sed & ratione palam est, falsitate laborare, cum suapte natura aqua sit fluida.

Neque juverit nonnullorum responsum, & præsertim illius non infrequenter laudati in m. s. dicentium, ad gelu non sufficere frigus, sed quasdam ulteriùs requiri exhalationes subtiles, ac terreas aquæ immixtas.

Non, inquam, juverit. Quandoquidem estò verum id sit, tales nimirum requiri exhalationes; tamen profectò istæ non deficiunt aquæ ubicunque habeatur aqua, imò ipsi nec desunt in æstate.

Dices, probabile esse, quòd gelu non sit amplius substantialiter aqua.

Contra. Siquidem licèt verum id sit, ut vel nos scripsimus 5. Phys. q. 1. art. unico §. 7 num. 29. Tamen hoc est majus incommodum; quia cum Gelu sit ex vehementi algure; si aqua foret summè frigida, tota resolveretur in gelu, nec ulla daretur ampliùs substantialiter aqua.

39. Objicies. Experimur, aquam præ cæteris elementis infrigidare: ergo &c.

Resp. quòd terra, quæ est in centro suo, magis infrigidat, quàm aqua. Ideo autem terra nobis familiaris non ita infrigidat, quia est extra proprium centrum impura, aliisque permixta rebus. Et hac ratione aqua profundioribus in puteis frigidior est, quia terræ centro est proximius terra illa, cui talis hæret aqua. De quo quæst. sequenti a. in præambulo quæsito primo num. 5.

Argumenta alia lege soluta apud Guerinois ubi supra §. 3.

DICO QUARTO.

Terra est summè frigida, & citra summum sicca.

40. Probat Cav. & Guerinois, quia terra est extremum contrapositum igni in distantia. At satiu ista nimium probare videtur. Probat namque terram etiam summè humidam esse (quod nec Cav. annuit) quemadmodum summè siccus est ignis. Et ratio est, quia distantia terræ ab igne non sumitur ejus ex frigore, sed ex ejus gravitate. Aliter igitur

Prob. Frigiditas in summo alicui debet elementorum convenire, quia ad quandam reducitur temperiem in mixto per participationem ab elementis. Cùm itaque frigiditas in summo non conveniat aquæ, nec aeri, ut in antegressis asfertis probavimus, debet terræ competere.

Quòd non sit summè sicca Prob. Eadem qualitas in summo duobus nequit elementis competere, ut vel adversarii ipsi annuunt propter rationem adductam in *dicto primò* n.22. ad 2. objectionem; sed siccitas in summo convenit igni ut vidimus, & humiditas in summo convenit aquæ, ut pariter conspeximus: ergo terra nec erit summè sicca, nec summè humida, sed citra summum.

41. Objicit contra p. p. ille persæpè laudatus in m. s. Si terra foret summè frigida, non foret minimè activa, quia humiditas est illa, quæ est minimè activa, adeoque aqua debet esse minimè activa; sed seapse terra est minimè activa: ergo terra non est summè frigida.

Resp. ex dictis antegresso asserto num. 39. quòd terra in sua puritate, in suo centro non est minimè activa, licèt extra centrum, ubi est impura, sit minimè activa.

Terram esse corpus sphæricum scripsimus in tract. de Cœlo quæst. 1. art. 6. & ultimo §. 3. ad primum arg.

§. VIII.

In qua examinatur dubiolum quoddam: Num in elementis qualitas citra summum habeat contrariæ permixtionem.

42. Quod discutitur est, num aer V. G. qui est citra summum humidus aliquid siccitatis habeat; & terra, quæ est sicca citra summum, habeat aliquid humiditatis.

Abnuunt Compl. Lerma, Ruvios, & alii. Annuunt vero Astadillo, & Conimbr. quos sequitur ille non rarò laudatus in suis m. s. Ju: autem à S. Th. de se nihil resolvit, sed secundùm diversorum diversa principia dicit, esse discursendum modo apud ipsum legendo.

43. Resp. negativè. Prob. communi ratiocinio; quoniam habere qualitates temperatas est proprium mixti.

Nullius ponderis hoc esse ratiocinium dicit prælaudatus in m. s. Siquidem mixti proprium est cunctas habere qualitates contemperatas, at non duas duntaxat, vel tres. Sed

Contra. Nec quolibet in mixto cunctæ congrediuntur. Quandoquidem qualitates sunt in mixto temperatæ ex participatione elementorum; non autem omnia elementa sunt quolibet in mixto, cùm haud propugnabile sit, pisces in Mari ex ignis igni congressu, ut vel ipse in m. s. docuerat ib. præcedenti in quæst. de mixtione art. a. in ultimo colligendo ejusdem art.

44. Objicies fundamentum prælaudati in m. s. Eo ipso, quòd elementum in sui statu naturali est alicujus elementaris qualitatis capax, deneganda illi non est; sed eo ipso, quod in sui naturali statu habet qualitatem aliquam citra summum, est capax oppositæ in gradu remisso: ergo &c. Min. est certa, quia qualitas citra summum est compossibilis cum opposita in gradu remisso, V. G. frigiditas ut sex cum calore ut duo, ut in mixto est palam.

Resp. ad hoc arg. (quod ipsemet opponens fatetur, non esse efficax) dist. maj. nisi aliter exigat Universi bonum, concedo, secùs, nego maj. & data min. nego conseq. Universi autem bonum efflagitat, ut id, quod est requisitum ut connaturalis dispositio alicujus ad suam habendam formam, nulli

alteri competat. Qualitates autem contrariæ ut attemperatæ requiruntur ut connaturalis dispositio ad mixti formam, ut diximus.

Argumentum aliud solvetur art. sequenti §. 3. num. 10. ad ult. arg.

§. IX.

De aliis qualitatibus secundariis.

45. SEcundariæ qualitates sic compellantur, quia ex primis causantur modo, quem explicat, & defendit Guerinois ubi supra q. 5. art. 2.

QUÆRES.

In quo mollities consistat, & durities.

46. DUritiem pro formali sitam esse in partium quiete, scripsit Cartesius 2. p. num. 54.

Quod adinventum falsum deprehenditur in aqua, quæ vel dum quiescit non est dura.

Neque dixeris, aquam nunquam penitùs quiescere, sed perenniter nonnihil moveri, quamquam insensibiliter.

Ne, inquam, id dixeris, quia cùm aquæ mollities sensibilis sit, etiam ejus motus sensibilis esse deberet. Præterea cùm Cartesius scripserit, calorem consistere in motu, idem foret mollities, & calor.

Alia via idem Cartesius 4. p. princip. 136. explicat duritiem, dicendo, consistere in partium ramosarum concatenatione, hoc est, esse atomos ramosas, & hamosas, ad modum hamorum suis ramunculis fortiter colligatas.

Quod etiam falsitate laborare ex eo deprehenditur, quòd ex Atomis illis quælibet seorsim est vel dura, vel mollis; & tamen ejus durities, aut mollities non provenit ex firma, vel non firma colligatione, &c. cùm seorsim, non sint junctæ.

47. Gassendus scripsit, duritiem sitam esse in immediato partium, idest Atomorum, contactu, quatenus nimirum inter partes nulla mediant vacuola.

Quæ opinio haud minori falsitate laborat. Quandoquidem Atomi seorsim sumptæ sunt vel duræ, vel molles; & tamen nec mediatum, nec immediatum cum aliis partibus contactum habent.

Reliquum igitur est, quòd etiam durities, & mollities sint qualitates. Eapropter interrogationi *qualis est* V.G. *aer?* fit satis respondendo *mollis*, sicut etiam respondendo V.G. *humidus* &c. *quale* est marmor? durum.

§. X.

De Gravitate, & Levitate.

48. QUoniam Atomista formam omnem etiam accidentalem de medio tollere sibi constituit, cùm ignoraret, quid astrueret pro constitutivo gravitatis (quam Peripateticus definit, quòd sit *qualitas, quæ est principium motus deorsum*) & quid pro constitutivo levitatis (quam Peripateticus dicit, esse *qualitatem, quæ est principium motus sursum*) Ideireò omnem motum sursum, aut deorsum, omnemque gravitatem, ac levitatem de medio tollere curavit.

Ea ex re Cartesius, Saguens, & alii somniarunt, nulla corpora terrestia suapte natura deorsum cieri; sed Cartesius dicit, ingentia saxa, & alia similia, quæ deorsum ruunt, id haberet ex eo, quod ab illa subtili cartesiana materia, quam 1. Phys. explicuimus, deorsum propelluntur.

Contra Saguens dicam q. sequenti 2. art. 1. §. 2. statuendo, quod ignis elementum degat in lunæ concavo.

Cartesii autem arbitraria adinventio nullo evacuatur negotio, Tum quia possibile nullatenus est, substantiam adeo subtilem, tam facilè dividenti cedentem, impellere rem adeo obsistentem, ut est ingens saxum. Tum quia si sursum propellatur saxum, & lignum æqualis magnitudinis, fortiùs descendit saxum, quàm lignum; quod haud ita esset, si descensus totus pensaretur ea parte ipsius substantiæ subtilis impellentis: ista siquidem æquè utrumque propelleret.

Neque dixeris, quòd ideo magis propellitur saxum propter majorem dispositionem, quæ est ex parte lapidis. Ne, inquam, id dixeris. Quandoquidem peto, in quo consistit, vel undè habetur talis major dispositio? Sanè nonnisi in ipsa, vel ex ipsa majori gravitate, cum haud aliud assignabile sit.

49. Qua ex re aliud jugulatur non minùs arbitrarium adinventum Gassendi, qui fingit, perenniter exire à terra corpuscula quædam hamosa, idest ad modum hamorum formata, quæ cætera cuncta ad terram corpora pertrahant.

Jugulatur, inquam, quia hujuscemodi corpuscula lignum æquè, ac lapidem propellerent. Ultraquamquòd talia corpuscula si vim habent alia trahendi corpora ad descensum, multò magis suapte natura deorsum peterent, adeoque erunt gravia, cùm ab aliis trahi nequeant corpusculis, secùs processus daretur in infinitum, adeoque gravitas erit quid aliud præter ipsam corpusculorum attractionem.

50. Ex dictis contra Cartesium, & Gassendum jugulatur quoque nonnullorum opinio Peripateticorum, dicentium, corpora terrestria sursum propulsa, iterum deorsum propelli ab aere moto ex Cœlorum motu. Jugulatur inquam, quia talis aer, nimirum æquè omnia propelleret.

Vid. Guerinois ubi supra art. 3. §. 8. & §. 9. & §. 10.

SCISCITABERIS PRIMO.

Num Gravitas, & levitas realiter à substantia distinguantur.

51. ABnuunt etiam ex Peripateticis Poncius, & Arriaga. Annuunt verò reliqui Peripatetici. Cum quibus

Respondetur affirmativè.

52. PRob. 1. Quandoquidem substantiæ diversæ speciei sortiuntur gravitatem, & levitatem ejusdem speciei sola cum differentia penes magis, & minùs, quatenus una est magis, altera minùs gravis, vel levis. Imò nonnunquam substantiæ diversæ speciei sunt æquè graves, aut leves: ergo aliud est substantia, aliud gravitas, vel levitas ipsius substantiæ.

53. Prob 2. Pro convincendis Catholicis argumento desumpto ex Eucharistiæ Sacramento, in quo panis remanet gravitas, non remanente panis substantia.

Arriaga non aliud respondet, nisi quòd in Hostia consecrata non remanet gravitas, sed remanet duntaxat gravitatis effectus, qui est deorsum petere; quique habetur à Deo, impellente deorsum hostiam ad mysterii occultationem. Sed

Contra. Hoc siquidem modo dici etiam posset, non remanere ibi colorem, quantitatem, saporem, &c. sed eorum solummodo effectum. At hoc esse ab Ecclesia improbatum conspeximus in Logica tract. 4. q. 4. art. 3. Et reapse Saguens ad suum intentum suo illo in systemate Eucharistico persæpè hanc Arriagæ doctrinam adducit.

Alia responsi hujus refutatio legatur apud Guerinois ubi supra art. 3. §. 9.

QUÆRES SECUNDO.

Num elementa gravia, & levia gravitent, vel leviten propriis in locis, & centris.

54. LIs intentatur de actu secundo gravitationis, & levitationis, at non de gravitare, aut levitare in actu primo. Igitur

Annuunt Avver. Villalp. Barrius, & Conciliator. Præsertim autem de aere annuunt Jo: Saguens, & alii, qui aeris gravitationi attribuunt motum aquæ sursum ascendentis dum attrahitur aer intra phialam.

Respondetur neganter.

55. NEgativum est responsum de elementis, non modò secundùm se totis, verùm etiam secundùm eorum partes.

Prob. 1. De elementis secundùm se totis. Gravitas, & levitas in actu secundo est à natura intenta, ut corpora ad propria tendant loca; sed gravia, & levia dum propriis sunt in locis ad ea non moventur, quia sunt in termino, & non

in via:

in via: ergo elementa nec gravitant, nec gravitant propriis in locis.

Eadem ratione prob. quò ad a. p. Quandoquidem etiam secundùm eorum partes sunt in propriis locis. Et experimento fit palam. Siquidem vas aliquod gestans quis aqua plenum pondere premitur; at si quis subtùs aquas degat quamquam immensas nullo gravatur pondere.

Videatur Mastrius in tract. de Cœlo disp. 3. q. 3. art 4. n. 60. & Guerinois hic q. 5. art. 3 §. 11.

56. Objicies 1. Arist. lib 4. de Cœlo cap. 4. tex. 29. & 30. nec non cap. 5 tex 39. scribit, elementa media, nimirum aerem, & aquam propriis in locis gravitare.

Resp. communiùs, Stagyritam loqui de gravitatione in actu primo.

Contra. Idem Philosophus id probat experimento, quia Utres inflati, ceu aere pleni, graviores evadunt, celeriùsque moventur, quàm vacui; sed sunt graviores in actu secundo: ergo &c.

Resp. loqui nos de elementis in sua puritate. Aer autem sive ab homine, sive à follibus exsuffletur in utre impurus est; quia hac infima in regione immixtus est terreis vaporibus, & dum exsufflatur multum crassi attrahitur humoris, & ita gravitas aliqua evenit.

Eodem modo Resp. quoddam ad experimentum, quod objicit Saguens tom 3. disp. 14. art. 3. de quadam machinula, quæ mergitur intra aquam, dum helice aer inclusus intra eam premitur.

Argumenta alia lege soluta apud Guerinois tum hîc, tum & magis in tract. de Cœlo agendo de Vacuo q. 5. art. 4. §. 3.

ARTICULUS UNICUS.

Quo in gradu qualitates contrariæ possint eodem in subjecto conciliari.

§. I.

1. LIs hæc solos inter Peripateticos intentatur, à quibus admittuntur qualitates, & formæ accidentales. Et quidem dissidium est, num queant contubernium habere in gradu intenso: siquidem posse contubernales esse in gradu remisso universi annuunt.

Duæ dimicant extremæ opiniones. Prima propugnat, posse, non quidem ordinaria de potentia, sed de absoluta Dei potentia eidem coincubare subjecto in gradu intenso. Hanc tuentur frequentiùs Exteri, quibus ex Nostris adstipulantur Jo: à S. Th. & etiam Ferre apud Cav. ac ille persæpè laudatus in m. s.

Secunda rutatur, nec per absolutam Dei potentiam posse in gradu intenso simul idem informare subjectum. Stant ab ista Soncinas in Meth. q. 22. Lerma, Arnù, Cavinus, & alii etiam exterorum, ut Greg. in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. Durandus in prologo sent. q. 2. Tromb. 12. Meth. q. 3. Anton. And. 10. Meth. q. 5. & Faber eodem libro disp 7.

§. II.

CONCLUSIO.

Qualitates contrariæ in gradibus intensis nec supernaturaliter possunt contubernales esse; in gradibus verò remissis possunt etiam naturaliter.

2. PLures D. Th. authoritates legi apud Cav. possunt. Nec potest interpretari S. D. quod intendat, contraria non posse simul esse naturaliter. Non inquam. Etenim Angelicus Opusc. 45. part. 2. ratione 5. scribit, *idem non posse esse calidum, & frigidum; nec aliquod corpus esse simul triangulare, & quadrangulare*; non est autem possibile vel supernaturaliter, idem esse simul triangulare, & quadrangulare. Eò vel maximè quòd S. Th. utitur ad probandam incompossibilitatem duarum formarum substantialium, quas exploratum est Thomisticis insistendo vestigiis, nec de absoluta Dei potentia simultatem sortiri. Præterea idem Angelicus 4 Meth. tex. 27 lect. 5. inquit, quòd *contraria impossibile est esse simul sicut impossibile est idem simul affirmari, & negari*. Impossibile autem est etiam supernaturaliter, idem affirmari cum veritate, & negari.

3. Prob. 1. quò ad p. p. Quod contradictionem sapit, nec absoluta Dei attenta potentia est possibile; sed duas qualitates contrarias eidem simul coincubare subjecto in gradu intenso contradictionem redolet: ergo &c. Prob. min. Contradictionem redolet, quòd aqua V. G. vel terra sit ignis, non secùs, ac quòd Leo V. G. sit canis, &c. sed si terra, quæ in nostra sententia est summè frigida, vel aqua, quæ aliorum in sententia est ipsa summè frigida, esset simul summè calida, foret ignis: ergo &c. Maj est perspicua; secùs namque foret, & non foret aqua, aut terra. Esset, ut supponitur, & non esset, quia esset ignis. Prob. min. Quod potest ignem producere est ignis, nisi causa sit universalis, ut V. G. Sol; sed si aqua, vel terra foret summè calida posset ignem producere: ergo &c. Maj est palam, quia causa debet in se effectum præcontinere, & nemo dat, quod non habet. Min. verò prob Si foret summè calida, posset in summo calefacere V. G. lignum; sed quod potest calefacere in summo, potest ignem producere: ergo &c. Maj. est certa extat, quod id, quod est summè calidum potest summè calefacere, ut palam est, tum in igne, tum ratione, quia quod aliquam possidet virtutem in summo, potest in summo operari; calor autem in summo est virtus summè calefactiva. Min. quoque est manifesta. Res namque summè calefacta suscipit statim formam ignis, ut conspicuum est, dum lignum est summè calefactum, & summus calor. Est ultima ad ignis formam dispositio.

Qua ex re deprehendes, quòd nos non ideo probamus, quòd aqua summè calida foret ignis, quia haberet summum in se calorem, qui est ultima ad ignem dispositio. Ad quod proinde respondet prælaudatus in m s quòd non foret ignis, quia summus calor est dispositio duntaxat connaturalis, non verò essentialis ad formam ignis. Non, inquam, sed probamus, quia posset ponere in ligno ultimam dispositionem ad ignem, nimirum summum calorem. Quamobrem licèt Deus posset sua absoluta potentia impedire, ne lignum summè calefactum ab aqua, vel terra, susciperet ignis formam, tamen nisi hoc apponat impedimentum, posset ignefieri ab aqua, vel à terra summè calefaciente, & sic minimè tolleretur, quòd aqua, aut terra quantùm est de se, posset ignem producere ponendo ultimam dispositionem ad ignis formam; quoniam qui ultimam ponit dispositionem ad formam dicitur formam producere.

Præterea tametsi modo illo probaremus, adhuc responsum illud minimè nostram infringeret rationem. Quandoquidem licèt Deus posset præpedire, ne in aquam summè calefactam introduceretur ignis forma, tamen si vellet non impedire, sed postquam summum in aquam introduxisset calorem, jam suapte natura sequeretur educi de illa aquæ materia formam ignis simul, cùm à nemine Deus cogeretur ad impedimentum illud ponendum, sicque tametsi tum aqua non fieret ignis, foret tamen possibile, aquam permanendo aquam fieri ignem, Quod, ut nuperrimè diximus, à contradictione non absolvitur.

Prævideo, jam prævideo, quid dicere Obversarius posset, nimirum quòd tum non à Deo, sed à summo frigore præpediretur, ne summo ex calore introduceretur ignis forma. Verùm enim verò disparitatem non video, cur à summo algore præpediatur introduci forma ignis, & non potiùs summo à calore perdurare impediatur forma aquæ, aut terræ, cùm non minùs summus calor opponatur summo algori ipsius formæ aquæ, aut terræ, quàm summum aquæ frigus aut terræ summo calori formæ ignis.

4. Prob 2. quò ad eandem p. Omnis negatio, aut privatio tametsi effectus sit secundarius, est vel divinitùs inimpedibilis, nisi positivum aliquod impediatur; sed depulsio alterius qualitatis contrariæ ab eodem subjecto est privatio, aut negatio quædam commorandi simul: ergo est vel divinitus inauferibilis, nisi positivum aliquod auferatur. Cùm itaque non sit excogitabile quid positivum, quod queat removeri remanentibus qualitatibus, nequit talis præpediri depulsio. Prob. maj. Quotiescunque fit ablatio debet aliquid tolli, quemadmodum quotiescunque fit visio debet quidpiam videri; sed si adimeretur privatio, aut negatio sine eo, quod aliquid tolleretur positivum, fieret ablatio sine eò, quòd tolleretur aliquid: ergo &c. Min. est palam, cùm privatio, & negatio sit nihil.

Conf. Quandoquidem hac ratione Thomista s. Phys. tutatur, plures substantiales formas non esse in eadem con-

cilia-

ciliabiles materia; & in Posterioristicia scientiæ, & opinionis actus non posse stare simul eodem in intellectu eodem de objecto.

Nec dicere joverit, discrimen esse, quia substantialis forma dat primum esse, facit unum perse, & alterius substantialis formæ depulsio non est pura negatio standi cum alia, sed negatio essendi alia, ut vel noa ibidem scripsimus. Item quia scienria & opinio exercent oppositionem, non tam ex parte subjecti, verùm etiam ex parte objecti.

Non, inquam. Ideo namque secundùm Adversarios ista privatio, aut negatio est auferibilia, quia est effectus secundarius; sed tametsi forma det primum esse, & faciat unum perse, sit negatio essendi alia, est effectus tamen secundarius: ergo si iste, quoque & ille impedibilia erit. Ultraquamquod conspeximus num. 3. quòd sequeretur etiam affimatio essendi aliud, nimirum aquam esse ignem.

Et licèt nos ibi, nimirum 1. Phys. q. 3. art. 4. §. 3. sub n. 6. ad 1. arg. assignaverimus positivum aliquid, quod semoveator, nimirum hoc, quod est, qualitatem unam in aliam agere; Tamen id diximua in istorum obversantium placito. Cæterùm omni id falsitate laborat, nimirum quòd una qualitaa agat in aliam, V. G. calor in frigus, secùa frigua calefieret, cùm calor nonnisi calefaciendo agat. Agit itaque in subjectum, istud calefaciendo, sicque in subjecto diminuendo frigus. Hoc autem nequit vel divinitùa auferri à calore, nisi ipsum adimendo calorem, quia calefacere est primarlua caloris effectua formalis. Effectua autem primarius formæ est ipsa forma communicata.

Præterea id luculenter evincitur in subsistentia, à qua nec divinitùa est auferibilis negatio communicabilitatis alteri ut supposito. Idcirco communiter, præsertim à Thomistis in tract. de Incarnatione docetur, subsistentiam creatam, seu naturam unà cum sua subsistentia, esse etiam divinitùa inassumptibilem.

Ex his potest pluribus parlratibua nostra probari conclusio, puta quòd eadem rea nequit esse recta simul, & curva, non obstante, quòd aliam depeilere figuram sit effectus duntaxat secundarius figuræ. Eodem in intellectu etiam supernaturaliter nequeunt contubernium habere scientiæ, & opinionis actua, quamquam opinionia depulsio sit effectus secundarius scientiæ: ergo neque &c.

Neque dicaa, ex hoc sequi, quòd neque in gradu remisso queant stare simul, quemadmodum nec in gradu remisso possunt simul stare scientia, & opinio, figura recta, aut curva, duæ formæ substantiales.

Ne, inquam, id dixeris. Nego siquidem suppositum. Non enim figura est intensionia, aut remissionia capax, quemadmodum nec quantitas, ex qua resultat figura, suscipit magis, & minus juxta dicta hic lib. 2. q. 5. in præloquio in *dico* 4. Idem dic de forma substantiali, ut ibidem conspeximus in *dico primo*. Scientia autem estò sit intensionis capax in ratione habitua, & qualitatis, secùs tamen in ratione scientiæ, sub qua ratione respicit objectum, quia cùm inspiciat objectum modo penitùa infallibili, respicit illud essentialiter tota cum intensione.

5. Prob. concl. quò ad 2. p. communi ratiocinatione. Reapse cùm ignis admovetur aquæ V. G. vel terræ ad calefaciendum, frigus intensum non totum simul depellitur, cùm depellatur per motum: ergo qualitaa, per quam depellitur, nempe calor, sive qualitaa alia, quæ est ad calorem dispositio (ut tradere videtur Arnù) succedaneè introducitur; ergo etiam per aliquod tempua simul in aqua est frigiditas, & qualitaa illa, per quam aliquid frigoria depellitur; sed hujuscemodi nequit esse, nisi qualitas contraria ipsi frigori, vel saltem dispositioni ad frigua: ergo simul eodem in subjecto degunt contiaria in gradibua remissis.

Conf. Quandoquidem elementa in invicem agunt, & seagunt secundùm eandem qualitatum contrarietatem, ut conspeximua lib. 1. q. 7. art. 2. ergo in ipsa actione simul adsunt ipsæ qualitatea remissæ in elementis.

§. III.

Adversariorum argumentis Respondetur.

6. ARg. 1. contra p. p. concl. Duo corpora possunt supernaturaliter eodem commorari in loco: ergo & duo contraria eodem in subjecto. Prob. conseq. Quemadmodum duæ quantitates sunt impenetrabiles in uno loco, ita duæ qualitates contrariæ sunt inconciliabilea in eodem subjecto; & quemadmodum alterius depulsio quantitatis ab eodem loco est secundariua quantitatis effectua, ita alterius qualitatia depulsio ab eodem subjecto est secundarius qualitatia effectus: ergo si &c.

Resp. nego conseq. & parit. Ad prob. assignatur discrimen, quia nimirum dum adimitur depulsio alterius quantitatia, adimitur simul quid positivum, nempe adimitur contactus secundùm extremitates. Vide num. 4.

Contra. Effectua primarius non est essentialiter cum secundario etiam purè privativo connexas: ergo potest supernaturaliter iste adimi, non sublato aliquo positivo. Prob. ant. Per noa effectus primariua non est essentialiter connexus cum effectu secundario positivo: ergo à pari, &c. Prob. conseq. Non minùs effectus secundarius privativus est secundarius, quàm sit secundarius effectus positivua: ergo si &c.

Resp. dist. ant. non est essentialiter connexus positivè, concedo, negativè, nego ant. & conseq. Est essentialiter connexua negativè, quatenua (ut conspeximua num. 4.) cùm nequeat fieri sublatio, sine eo, quod aliquid auferatur, nequit sola adimi negatio, aut privatio, quæ est nihil in se ipsa formaliter, & non aliquid. Nec in hoc ollua contradicet Thomista, secùs plures substantiales formæ possent eidem coincubare materiæ, quia alteriua formæ depulsio est effectus secundariua privativua.

Ea ex re prænitet, quare effectua primarius nec negativè sit essentialiter cum secundario positivo effectu connexus. Siquidem ex semotione istiua sine semotione primarii, non sequeretur, fieri semotionem sine eo, quod aliquid semoveretur, cum effectus secundarius sit in se formaliter aliquid.

Dices. Ex hoc sequeretur, nec in gradu remisso conciliari posse, quia & in gradu remisso contrarietatem exercent, adeoque privationem alterius ad præsentiam uniuin eodem subjecto.

Resp. 1. quòd in remisso gradu quandam exercent contrarietatem veluti inefficacem. Eapropter cùm non sese depellant efficaciter, stant simul quadam duntaxat cum levi pugna. Præterea, si sermo sit de elementis, dist. maj. non posse conciliari per modum permanentis, concedo, per modum transeuntia nego ant. & conseq. Cùm namque remissè duntaxat tum opponantur, idcircò remissè duntaxat sese depellunt, sicque minori cum efficacia, adeoque tantummodo successivè, & non statim in instanti. Vide num. 5.

Oppugnabis. Licèt effectua privativus essendi aliud non sit impedibilis, benè verò effectus privativus, aut negativua standi cum alio; sed depulsio alteriua qualitatis ab eodem subjecto dicit negationem standi unam qualitatem cum alia: ergo &c. Maj. elucescit exemplo adducto de expulsione, quam exercet unum corpoa respectu alterius ab eodem loco.

Resp. dist. maj. quò ad 1. p. si cum illo privativo sit auferibile aliud positivum absque semotione effectua primarii concedo (ut est adducto in exemplo de duobua corporibus in eodem loco, quibus adimitur positivua contactus secundùm extremitates) secùa nego; solutio ex dictis prænitet.

Præterea transmissa maj. dist. min. est præcisè negatio standi cum alio nego, & simul etiam essendi aliam concedo min. & nego conseq. Cùm etenim, ut num. 3. probavimua, sequeretur, quòd aqua, aut terra foret ignia, sequeretur quoque, quòd frigiditaa terræ, aut aquæ, foret calor ignis, quia proprietas ignis est calor.

7. Arg. 2. Quod summus calor, & summum frigus eidem coincumbent subjecto, nec ex finitudine subjecti, nec ex conceptu essentiali contrarietatia talium qualitatum implicat: ergo &c. Prob ant. Et primò quòd non implicet ex limitatione subjecti. Siquidem dato, quod subjectum obtineat naturalem capacitatem limitatam ad octo gradus qualitatum contrariarum suscipiendum, taliter quod si una afficit subjectum ut octo, nihil possit recipi alterius; si verò una est ut septem, alia possit recipi ut unum, & ita proportionaliter de reliquis; non tamen habet hoc pacto potentiam obedientialem limitatam: ergo non obstante limitatione subjecti &c. Prob. ant. Potentia obedientialia creaturæ est infinita, cùm sit relatè ad Deum agentem per potentiam infinitam; propterea qualitatea supernaturales, quæ recipiuntur in subjecto secundùm potentiam obedientialem possunt augeri in infinitum, & nusquam cathegorematicè totam implent subjecti capacitatem: ergo &c.

Prob. quò ad 2. p. Una qualitas contraria ex conceptu contrarie-

trarietatis non petit essentialiter connecti cum privatione alterius, adhuc si in gradibus sint intensis: ergo non sunt inconciliabiles supernaturaliter ex conceptu contrarietatis. Prob ant. Illud sufficit ad constituendas qualitates contrarias, quod sat est ad distinguendum illas à qualitatibus disparatis; vel subordinatis; sed per hoc præcisè, quòd calor, & frigus connaturaliter duntaxat unum connectitur alterius cum privatione, distinguitur à qualitatibus disparatis, & subordinatis: ergo per hoc præcisè constituuntur qualitates contrariæ. Præterea min. quia disparatæ, aut subordinatæ vel naturaliter coexistere queunt.

Conf. Qualitates contrariæ in gradibus remissis possunt conciliari naturaliter: ergo supernaturaliter etiam in gradibus intensis. Prob conseq. Ideo primum, quia neutra totam implet naturalem subjecti capacitatem; at neque in gradibus intensis totam implent obedientialem subjecti capacitatem: ergo si &c. Min dilucidatur. Siquidem qualitas in summo dicitur talis respectu potentiæ naturalis: supernaturaliter enim potest qualitas magis, ac magis intendi, nisi sit qualitas media, quæ si multum intendatur transit in extremam, ut pallor in albedinem: res enim naturales etiam animatæ licèt secundùm potentiam naturalem sint determinatæ ad maximum, & minimum; tamen supernaturaliter semper possunt magis, magisque augeri intensivè in infinitum: ergo &c.

Resp. ad arg. nego min. quòad utramque p. & dico, repugnare ex parte utriusque. Ad prob pro p. p. nego ant. quòad 2. p. Ad prob. dato ant. nego conseq vel dist consequens; si non implicet contradictionem aliunde, concedo, secùs, nego conseq. Potentiam enim infinitam, sive passivam, ut est potentia obedientialis creaturæ infinita terminativè, licèt non subterfugiant ea, quæ contradictioni obnoxia non sunt, benè verò, quæ contradictionem involvunt. Conspeximus autem num 3. quòd sequeretur, aquam, aut terram in summo calidam fore, & non fore terram, aut aquam, quia foret ignis.

Ad 2. pro 2. p nego ant. Ad prob. dist. maj. quod sat est ad distinguendum essentialiter, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq Itaque ut habeatur essentiale contrariæ qualitatis constitutivum, debet haberi essentiale illius distinctivum. Eam ob rem ut essentialiter secernatur à disparatis, & subordinatis, necesse est, contrariss qualitates esse essentialiter inconciliabiles. Cùm ergo quæ sunt essentialiter incompossibilia, nec supernaturaliter valeant associari, eo quod nequit fieri contra rei essentiam, manente re, reique essentia: Idcircò &c. Eò vel maximè quòd contraria definiuntur, esse *illa, quæ eodem sub genere maximè distant* (hoc est pugnant) *& eodem à subjecto mutuò sese depellunt*. Cùm ergo definitio rei essentiam pandat, signum est, quod de eorum essentia est inassociabilitas.

Ad Conf. nego conseq. Ad prob. dist. min. non totam implet obedientialem subjecti potentiam per exclusionem ulterioris potentiæ ad ulteriorem intensionem ejusdem qualitatis, concedo (nec aliud evincit probatio min.) per exclusionem potentiæ ad aliam qualitatem intensam oppositam, nego min. & conseq

8. Arg. 3. Eodem in subjecto diversæ sunt virtualitates; sed non repugnat, qualitates contrarias in gradu intenso associari secundùm diversas virtualitates: ergo &c. Prob. min. Oppositio tum est secundùm diversa. Præterea virtualis distinctio Thomistica reali æquipollet.

Resp. primodùm ex hoc nihil contra nos, quia tunc non ampliùs oppositæ forent, ceu diversam secundùm rationem. Præterea quàm nimium probaret hoc arg. nitet ex eo, quòd ex hoc sequeretur, vel naturaliter associari posse, quia tum nulla obviam iret qualitatum oppositio, ceu diversam secundùm subjecti rationem.

Præterea habes ex dictis in Logica Syntag. 3. q. 2. art. 5. §. 3 sub n 7. ad 2. arg. quòd diversitas rationum virtualiter distinctarum minimè sufficit ad quamcunque tollendam oppositionem, sed oppositionem duntaxat contradictoriam latissimè dictam, vel eandem supra esse metaphysicum rei. Item virtualis distinctio non cuicunque reali æquipollet distinctioni, sed in casibus tantummodo dictis. Illò adeas

Adde, quòd ut hæc præstare virtualis distinctio queat in ordine ad opposita, insignis quædam exposcitur eminentia, quæ minimè habetur in subjecto.

9. Arg. 4. ad idem. Majus miraculum est, qualitatem in gradu remisso associari cum alia opposita in gradu intenso, quàm duas qualitates contrarias in summo simul haberi; sed primum factum est in Babylonis fornace, in qua erat simul calor ignis, qui est in summo, & frigiditas temperamenti puerorum, quæ est in gradu remisso: ergo multò magis, &c. Maj. prob. Mirabilius est, quòd debilius resistat, nec à fortiori devincatur, quàm quòd æquale se tueatur, ac præservet ab alio æquali sine eo, quòd fugetur.

Resp. ad hoc in quo exultantem quondam audivi Minoritam quendam Conventualem, nego min. Ad prob. annexam, nego suppositum. Supponit namque, quòd ignis calor illos afficeret pueros. Quod tamen falsitate laborat. Quamquam etenim in medio detinerentur ignis, non tetigit eos omnino ignis, ut textus loquitur, sic Deo mirabiliter præpediente ignis actionem in pueros.

10. Arg. 5. contra 2. p. Si possent in gradibus remissis associari, sequeretur, quòd si calidum ut sex admoveretur frigido ut duo, imprimeret illi calorem ut sex, nullum destruendo frigoris gradum; sed impossibilitatem hoc redolet: ergo &c. Prob. sequela. Eatenus calor depellit frigus à subjecto, quatenus est cum frigore inconciliabilis: ergo si calor ut sex foret conciliabilis cum frigore ut duo, jam &c. Falsitas verò consequentis prob. Frigidum ut duo calefieret à calido ut sex per verum alterationis motum: ergo debet assignari terminus *à quo* depulsus, qui non est frigus: similiter frigidum ut duo imprimeret frigiditatem in calido, ut sex: ergo ab eodem repateretur eandem secundùm frigiditatem. Agens namque agendo repatitur.

Conf. Sequeretur, calidum ut sex applicatum ut duo, illud in instanti calefacere. Eatenus siquidem aliqua forma non in instanti introducitur, sed per motum in tempore, quatenus fit cum obsistentia contrarii; sed frigus ut duo non obsisteret calori ut sex, cùm sit cum illo naturaliter conciliabile: ergo &c.

Resp. ad arg primitùs, quod in sententia annuente, qualitatem etiam in elementis remissam habere contrariæ permixtionem, argumentum nullam vim obtinet, & negatur sequela; quia calidum ut sex, est frigidum ut duo, & frigidum ut duo est calidum ut sex. Quamobrem cùm simile nequeat agere in simile, juxta dicta lib. 2. q. 7. art. 2. Idcirco tum nulla fieret actio, nec reactio. In mixtis autem hoc arg. nullum prorsus robur habet, quia in mixtis cunctæ qualitates gaudent contrariarum permixtione in gradu remisso.

Præterea ex dictis ad 1. arg. dist. maj. si associari per modum permanentis possent, concedo, si duntaxat per modum transeuntis, nego maj. & concessa min. nego conseq. Dum namque introducitur calor ut sex, tum frigus ut duo est in recessu, & in destrui, vialiter loquendo, saltem in elementis.

Ea ex re habes ad Conf.

Eadem ex re deprehendes, quòd qualitates contrariæ in gradu remisso queunt contubernium etiam in elementis habere, sed duntaxat per modum transeuntis; cùm in istis (ut conspeximus in præloquio hujusce quæst. §. 8. n. 42.) nequeat per modum permanentis qualitas citra summum habere contrariæ permixtionem.

Quædam alia minuscula legi apud Cavinum possunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Elementis.

ELementum sumi biformiter potest. Primò pro cujuscunque rei etiam simplicis principio, quo pacto materia, & forma, necnon primæ cujuslibet scientiæ institutiones, elementa compellantur. Secundo præsè pro solius mixti principio. Et hoc modo sumitur impræsentiarum.

PRÆAMBULUM.

De Quidditate, & multiplicitate elementorum.

1. ELementum definitur ex Arist. 3. de Cœlo cap. 3. tex. 3. sic: *est corpus actu, vel potentia existens in aliis corporibus, & in quod alia corpora dividuntur, ipsum verò est indivisibile in alteram corporis speciem.*

Enucleatur definitio. Dicitur *corpus*, per quod tanquam per genus cum omnibus convenit corporibus etiam mixtis; differt verò à materia, & forma, quæ corporeæ quidem, at non corpus, sed corporis principia sunt. Dicitur *actu vel potentia in aliis existens corporibus*; ad denotandum, elementa manere in mixtis, vel formaliter, vel virtualiter in potentia activa qualitatum, & passiva materiæ. Et per hoc exploduntur Cœlestia corpora, quæ non intrant aliorum corporum compositionem. Per ly *dividuntur* significatur idem, ac resolvuntur, non per solam separationem quantitativam, sed per alterationem, & corruptionem seu substantialem mutationem. Denique per hoc, quod dicitur, elementum *esse indivisibile in alteram corporis speciem*, denotatur, ad ejus rationem requiri, quod non dividatur, idest non resolvatur per alterationem, & mutationem substantialem in plura corpora specie distincta; quo pacto resolvuntur, & dividuntur mixta, & etiam mixtorum partes. Licèt enim divisione quantitativa continuum dividatur in partes ejusdem speciei; tamen per alterationem resolvitur in alia corpora specie distincta, ut puta fumum, humorem, cineres, &c. Elementa autem nullatenus in alia corpora specie distincta dividuntur, sed duntaxat quantitativè in partes ejusdem rationis, cùm quælibet aquæ pars sit aqua.

Qua explicatione posita sponte sua corruunt levissimæ objectiones Arriagæ, qui non reveretur, præfatam Philosophi exectari definitionem ferè communiter exceptam, aliamve confingit, quam, si vacat, lege refutatam apud Pontium.

SCISCITABERIS.

Num elementa sint quatuor, nimirum Ignis, Aer, Aqua, & Terra?

2. SUppono ex dictis 1. Phys. elementa esse plura, & non unum tantùm, quicquid in oppositum dicat Chymicorum nonnemo, qui obsoletam Thaletis opinionem innovantes, aquam profitentur esse cunctorum corporum principium, & cuncta in eam resolvi. Quandoquidem si unum duntaxat foret elementum, nulla mixtio, nullaque generatio fieret; quia non fit mixtio, nisi plura sint miscibilia, quæ alterari, & mutari debent. Nihil quippe patitur, nihil efficitur à seipso, neque ab eo, quod sui simile est, & ejusdem naturæ, alterari quicquam potest, ut scripsimus quæst. 7. lib 1. art. 1.

DICO.

Elementa illa quatuor sunt, nimirùm aqua, ignis, aer, & terra.

3. PRob. 1. ex quaternario numero primarum qualitatum. Quandoquidem licèt certum minimè sit, quomodo cuilibet elementorum competant, ut conspeximus q. antegressa in præambulo §. 8. Imò apud nonnullos incertum sit, num sint omnium primæ. Tamen videntur, non posse hujuscemodi qualitates esse, nisi quadruplicem juxta elementorum numerum. Eapropter

Formatur ratiocinatio sic. Tot sunt elementa, quot sunt primarum qualitatum combinationes; sed quaternaria est combinatio ista: ergo &c. Maj. id ostescit ex eo, quod istæ in gradu summo, vel saltem excellenti sunt corporum simplicium dotes. Min. explanatur. Calor siquidem combinari duntaxat potest vel cum siccitate, nempe in igne calido & sicco; vel cum humiditate in aere calido, & humido; Frigus verò vel cum humiditate, ut in aqua humida & frigida; vel cum siccitate, ut in terra frigida, & sicca, juxta dicta q. prima in præloquio §. 7. Cætera in gradu intenso nequeunt, saltem naturaliter conciliari.

Quòd etsi non omnimoda haberetur hac de re evidentia, adhuc tamen valere, & prævalere debet authoritas eximiorum virorum. Eò vel maximè quòd ex adverso haud ulla vel probabilis militat ratio, ut mox perspicuum fiet. Authoritas, inquam, non modo Hippocratis, Platonis, & Arist. verùm etiam SS. PP. præsertim verò S. Th. qal p. a. q. roa. art 4 ad 4. scribit, quatuor elementa fuisse præfigurata in bisso, purpura, hyacinto, & cocco, quibus olim summi sacerdotis vestimenta distinguebantur. Pars verò illa, quæ dicitur sancta mundum exprimebat corporalem, & ideo sancta à sanctis sanctorum distinguebantur quodam velo, quod quatuor coloribus distinctum erat, per quos quatuor elementa designantur, nimirum bisso, per quod designatur terra, quia linum de terra nascitur. Purpura, per quam aqua designatur; fiebat enim purpureus color quibusdam ex conchis, quæ in mari inveniuntur: Hyacinto, per quem aer significatur, qui aereum habet colorem, & coccu bis tincto, per quem ignis designatur.

Demum obtet experimentu, reliqua cuncta corpora in quatuor præfata resolvi; hæc verò in alia minimè resolvi, quia ipsa duntaxat sunt prima simpliciter corpora, & elementa.

4. Objicies 1. contra hoc. Terra, & aqua rursus à Chymico in alia resolvuntur corpora: ergo non sunt elementa.

Resp. dist. ant. terra, & aqua, qualia hic sunt alterata, & commixta, concedo, pura, nego. Neque enim (inquit Goudin) terra, quam calcamus, aqua, quam potamus, est sua in nativa puritate, sed variis admixtionibus alterata; uti & aer ipse, imò qui apud nos extat ignis, ut scripsimus q. anteacta §. 7. *dico* 3. n. 39.

5. Objic. 2. Apud nos non extant elementa, suntque cuncta mixta, etiam aqua, terra, &c. quia aqua familiaris est vel salsa, vel amara, vel dulcis, vel alio imbuta sapore; sed sapor sequitur ad temperamentum qualitatum, quod est proprium mixti; similiter quam calcamus terra, virtutem sortitur diversos producendi effectus diversa exigentes temperamenta.

Resp. nonnullos arbitrari cum Jo: à S. Th. non extare pura elementa. Nos autem dicimus loqui posse Joannem à S. Th. de puris elementis puritate accidentali, non verò substantiali, ita quod aqua V. G. retineat formam substantialem aquæ, ignis cum forma substantiali ignis, &c. Et hoc pacto nos asseveramus, dari elementa pura etiam proprium extra locum, quia secùs universum esset summe imperfectum, nisi elementa darentur; quæ maxime ejus ad ornatum, perfectionemque conducunt. saltem ergo propriis in locis debent elementa dari substantialiter pura. Hæc autem ea re sequitur, quod extra propria loca nobis satis usualia non corrumpantur substantialiter, saltem secundùm se tota.

Quantùm verò ad puritatem accidentalem, nimirum secundùm qualitates, probabilissimum est, extare elementa omnino pura saltem propriis in locis, ut terra saltem profundissimis in partibus, aqua in profundo maris, ubi nec salsa, nec dulcis, nullumque erit habens saporem. Salsedo enim provenit aquæ ab extrinseco, nimirum adustas ob exhalationes à Deo ingenti in copia in totum profusas mare, tum propter piscium procreationem, tum ob navigiorum commodum. Et quamquam de omnimodè puris elementis haud ullum habeamus certum experimentum; cùm tamen nec de opposito habeamus; & rationabilius id aliunde appareat, dicendum venit, elementa dari sola cum naturali puritate; Idcircò etiam ignem purum propè Lunæ concavum, ubi nullum extat corpus, quo impurum reddatur, ut mox perspicuum erit.

ARTICULUS PRIMUS.

Num in Concavo Orbis Lunæ degat elementum Ignis.

§. I.

5. SUppono ex dictis prægressa quæsita, quatuor astruendo elementa, quòd Ignis sit elementum ab aliis distinctum Elementis, quicquid in oppositum scripserit Laurentius Valla; de quo legi potest Lerma hic lib. 2. q. 2. Quo supposito

Abnuunt Pythagorei, quorum meminit Arist. lib 2. de Cœlo tex 73 Jo: Sanchez, Vgarte Complutensis in examine ingeniorum lib 4. Plutarch. lib. 3. de placitis Philosophorum cap 1. Levin. Lemn. lib. 3. de elementis, Patritius Burrus p. 5. col. Lector Astronomicorum q. unica an detur elementum ignis §. *adulterum*, Pennaf. hic disp. 5. referens Hippocratem lib. de Fallacibus, Cardanus, Aresius, aliique recentiores, quibus adstipulatur Arriaga, & in parte Pontius, qui dicit, sententiam annuentem esse quidem probabiliorem probabilitate extrinseca, nimirum fulciendo in authoritate, quantum tamen est ex pondere rationis, idest proba-

probabilitate intrinseca, esse probabiliorem sententiam abnuentem; quasi verò tot DD. & SS. PP. qui ingenio præcelluere, ac studio minùs probabili fuerint ratione freti.

Annuunt autem cuncti Peripatetici (demptis paucis citatis) cum SS. PP. quos adducit Mastrius in tract. de Cœlo disp 4. q. 2. art. 1. & 2. Conimb. Præsertim verò Augustino, Hieronymo, & D. Th. tum lib. 2. de Anima lect. 14. & opusc. 51. tum cum Arist. 4. Phys. cap. 5. & lib. 1. de Cœlo cap. 2. & 3. & lib. 2. & 4. cap. 3. & lib. 3. de generatione animalium cap. 2.

§. II.

CONCLUSIO.

In Concavo Orbis Lunæ residet elementum Ignis.

2. Authoritates pro nobis habentur ex nuperrimè dictis.

Prob. 1. cum Averroe lib. 3. de Cœlo tex. 32. Quemadmodum fluminum aquæ omnes fluunt versus Mare, omnia corpora terrea centrum versus; ita ignis quilibet fluit versus Lunæ circumferentiam, ut de flamma est palam; sed tali ex fluxo colligimus, quòd mare (tametsi illud minimè viderimus) sit proprius locus, in quo aquæ quiescit elementum, &c. ergo signum est, quòd ignis locus est Lunæ circumferentia, ubi Oceanus veluti est igneus, ut inquit P. Maurus.

Respondent Adversarii, discrimen esse, quia motus fluminum ad mare, terreorum corporum ad centrum, est naturalis. At motus ignis sursum est violentus. Si ab eis sciscitetis, quare iste, neutiquam verò ille motus sit violentus? Respondent, quia ascensus ignis est, ad quærendum pabulum; quoniam vapores aerei sunt pabulum subtile, adeoque aptius.

Contra 1. Si motus ignis sursum foret sive naturalis, sive violentus ad pabulum comparandum, deberet ulteriùs alius naturalis in eo reperiri, quo proprium peteret locum, puta infernum, quem nonnemo Adversariorum dictitat, esse ignis sphæram, vel circa terram, ubi ea eis alii volunt adesse ignis locum; quia corpora omnia naturalem sortiuntur motum, quo ad propria properant loca; sed sic est, quod flamma ad alium nusquam cietur locum, nisi sursum: ergo ibi & non deorsum erit ignis locus.

Secundò. Si motus ignis sursum foret ad quærendum pabulum, sequeretur, quòd si pabulum poneretur deorsum, ignis moveretur deorsum; sed falsum id conspicitur: ergo &c. min. patescit experimento, quod tametsi pabulum adsit deorsum V. G. stupa, adhuc quasi ægrè ignis è trabe descendit, ut pascatur stupa.

Nec dicere juverit, vapores aereos esse pabulum aptius, ceu quid subtilius. Non, inquam. Etenim stupa faciliùs accenditur, quàm vapores, quia stantibus vaporibus ignis extinguitur candelæ, si cera deficiat, & non extinguitur si incunctanter stupa subrogetur, & jugiter sursum pyramidem efformat.

Conf. Si ignis moveretur ut pabulum, quod sursum sit, compararet, sequeretur, quòd quando deorsum alimonia extat, deorsum peteret; sed re è contra contingit: ergo &c. Min. conspicua est. Quandoquidem in cereo, ac lichino, cera, & oleum deorsum est; & tamen ignis sursum se toto cietur.

Curanda hic minimè foret quædam conficta doctrina à Jo: Saguens, qui tom. 3 disp. 3. art. 2. quamquam causam hanc non agat; tamen ibi agendo de igne, ejusque mobilitate, fingit, quòd ignis suam per ingenitam mobilitatem quaquaversum indifferenter agatur. Et quod de igne, idem & reliquis de elementis se dicere profitetur. De igne autem probare conatur in primis tribus experimentis. Primò. Si quis candelam præsertim sebaceam casufflet, & sine mora adhuc fumigantem alteri accensæ subjiciat aliquantulam ad distantiam, conspiciet flammam istius in illius ellychnium accendendum desilire, non verò ascendere. Secundò experimento pulveris aurei pyrii fulminei, quem Crollius *calcem Solis* vocat in sua Basilica Chymica, ubi & methodum chymicam tradit, qua conficitur, nimirum ex auro, undè aureus, ac tum pyrius quia ignem concipit, & fulmineus, quia se deorsum cum fulmineo quodam impetu conjicit. Experimentum autem tale est, ut si vel minimum hujus pulveris scrupulum posueris super laminam ferream sufficit ignis ex illo accensus ad eam perforandam, quamvis satis crassa supponatur; non perforat verò eam, nisi quia deorsum tendit, & emicat cùm non possit provenire ex materiæ gravitate, eò quòd unius tantum scrupuli pulveris grani gravitas est adeo modica. Tertiò, quia constat, ignis calorem quaquaversum diffundi; & indifferenter. Quis enim non advertat, ab eodem igne, idest ab eadem carbonum congerie simul carnes in sartagine frigi, & veru infrixas torreri, & subcinericias coqui &c. Et quis nescit, æquè calefieri omnes, qui ad prunas stant, aut sedent, dummodo ab eis æqualiter distent? Calor autem ex parte calefacientis non est, nisi igneorum corpusculorum emissio, ut postea ibi ipse art. 3. conatur probare argumentis, quæ nos q. antegressa in præambulo, defensando, quòd ignis sit qualitas, soluta fecimus. Demum probat, quia si ignis semper ascenderet, nusquam descenderet ad compositionem illam mixtorum, quæ adeo certa apud Peripateticos habetur.

Curanda, inquam, nullatenus foret, cùm ipse nonnisi per raros quosdam in oppositum producat eventus, qui considerandi minimè sunt, quia quæ rarò eveniunt, dicuntur per accidens evenire præternaturali aliqua, vel etiam violenta ex circunstantia, & se habent tanquam non evenirent. Cæterùm complurimum conspicimus, quòd tota flamma, ceu in materia minùs gravi, quàm carbo sursum pyramidaliter conscendat. Cujus ratio assignari haud alia valet, nisi quia *superna quærat*. Sanè flumina non quaquaversum moveri, sed mare versus tendere cuique non cæcutienti est palam; Idque fatetur ipsemet Saguens secum ipse pugnans dum tom. 4. disp. 17. art. 2. num. 28. scribit, *Solem ad se revocare corpuscula lucida, sicut Mare ad se aquas revocat*. Nihilominùs

Resp. ad 1. experimentum, quòd quidem nonnihil descendit illius accensæ candelæ flamma, sed tamen duntaxat paulisper, & ægrè licèt ad pabulum adeò dispositum, ut est ellychnium adhuc fumigans, sicut diximus, quando subtus est stupa. Cujus signum est, quod præter hos, aut similes alios casus id nequaquam evenit. Eam ob rem experimentum pro nobis facit.

Ad 2. Resp. id provenire ex qualitate aliqua occulta resultante ex mixtione ignis, & auri, mineralibusque qualitatibus, at non ex natura ignis deorsum tendentis, secùs omnis ignis sortiretur effectum perforandi una scintilla ferream laminam. Quamobrem hoc iterum experimentum pro nobis facit.

Ad 3. dicimus, calorem utique quaquaversum diffundi; non tamen ignem. Et quòd calor non sit corpuscula, jam ostensum est, non modò in 1. Phys. verùm etiam hic q. antecta in præambulo. Et quidem cùm ignis lucidus simul, ac calidus sit, non solùm per tactum, qui calefit, perciperetur, verùm etiam oculis cerneretur in corpore eorum, qui propè ignem calefiunt; imò eos conflagraret. Niter hoc in Sole, qui lucem suam quaquaversum adusque oculos perducit nostros, neutiquam vero sol quaquaversum ad terram usque movetur, ut conspiciemus 2. de Anima agendo de objecto visus.

Ad ult. jam habes ea dictis lib. 1. q. 8. art. 1. §. 2. num. 6. contra Rubium, quòd ignis licèt particulari sua inclinatione feratur sursum; attamen nonnunquam inclinatione universali ob Universi bonum deorsum petit ad mixtiones efformandas.

Ex quibus enitescit contra Jo: Bapt. du Hamel sua in Philosophia veteri, & nova, ignem non moveri ad quemcunque locum. Et licet Ignis in Furnace, aut bellico in tormento pulvis tormentarius veluti circumcurset; Id tamen facit, ut exitum inveniat, libertatemque sursum ascendendi acquirat.

3. Prob. 2. Cùm ignis, non minùs, quàm reliqua elementa ad Universi congrediatur constitutionem, aliquis qui non sit infernus debetur locus toti elemento ignis, non secus, ac reliquis elementis, secùs extra infernum non componeret universum; sed non est terræ locus, ut Pythagoras sensit, nec aquæ, vel aeris: ergo erit orbis Lunæ concavum. Prob. min. Idem locus non est duplici elemento debitus, quemadmodum nec idem effectus, nec eadem natura: ergo &c.

Nec respondere cum Saguens juverit, ignem per cunctas universi res diffundi, puta etiam terram, aquam, & aerem, non secùs, ac anima in cunctis est corporis partibus. Non, inquam, Tum quia nitet ex dictis 1. Phys. q. 1. rescindendo Anaxagoræ Panspermiam, in aqua non adesse ignem, & ibi in art. unico §. 6. quòd si in mixtis extaret ignis, de-

beret vel in metallis sentiri. Tum quia conspeximus hic lib. 1. q. 8. art. 2. elementa non remanere formaliter in mixtis. Tum demum quia solutio est mera principii petitio. Quandoquidem dum probamus, ei specialem deberi locum, non minùs, ac reliquis elementis, jam probamus, ejus locum non esse cunctarum rerum locum.

§. III.

Adversariorum argumenta Solvantur.

4. ARg. 1. Ideo locus ignis sursum in Lunæ concavo asseveratur, quia sursum ignis movetur; sed id veritate caret: ergo &c. Min. prob. omnibus modis sub finem numeri 2. relatis.

Resp. nego min. Ad prob. habes ex dictis ibi. Et alia solventur n. 6. ad 3.

5. Arg. 2. authoritate D. Aug. lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 10. ubi, *aerem*, inquit, *à confinio luminosi Cæli usque ad aquarum fluida occupare*; ergo ultimum inter Cœlum, & aerem per D. Aug. non mediat ignis.

Resp. S. Aug. nomine luminosi Cœli innuere quicquid luminosum est supra aerem. Etiam autem ignis luminosus; Nec mirum sit Cœli nomine interdum sumi elementum aliquod eorum, quæ proximiora sunt Cœlo, cùm & sacris in litteris nonnunquam nomine Cœli veniat aer, ut cum dicitur in psal. *volucres Cæli, & pisces maris*.

Contra. Si luminosus ignis foret cerneretur à nobis, quemadmodum à nobis conspicitur Cœlum Lunæ; sed ignis minimè à nobis cernitur: ergo &c.

Resp. ex D. Th. in 4. sent. dist. 14. q. unica art. 2. a. ·: & 2. de Anima tex. 70. quòd ignis est ò lucidus non cernitur à nobis, quia in sua sphæra est summè rarus, ac fluidus longè plusquam aer; nec est adeo sicut Cœli lucidus. Sanè etiam empyreum datur, quod tamen non cernitur à nobis ratione summæ suæ subtilitatis, cùm non possit id evenire ratione distantiæ, quia licèt sit magis distans, tamen majoris est molis.

Dices. D. Aug. nomine Cœli luminosi illud sumit luminosum, quod à nobis conspicitur; ergo &c. Prob. ant. Idem Aug. ibidem lib. 2. cap. 3. supra aerem nullum alium agnoscit ignem, nisi sidereum, ad quem docet, quòd noster conatur ascendere ignis, quamvis extinguatur ab aere; sed lux siderea à nobis conspicitur: ergo &c. & potest legi lib. 2. de civit. Dei cap. 2.

Resp. nego ant. ad prob. dico, facere pro nobis. Si namque illò ascendit; ergo ejus ibi naturalis erat locus. Itaque Aug. nomine Ignis siderei ignem intelligit, qui valdè propinquus est sideribus; quemadmodum Cœleste dici potest, quod Cœlo appropinquat. Quid autem hac in re Aug. senserit videri apud Conimbr. potest, & perspicuum fiet, pro nobis eum stare.

Dici etiam potest cum D. Th. in 2. sent. dist. 14. q. 1. art. 2. ad 2. & 3. nonnullos ex SS. PP. loqui, non ex propria, sed ex aliquorum antiquorum sententia Philosophorum, qui tum nonnihil obtinebant famæ, adeoque eorum authoritatem pluris non esse hisce in rebus. Vid. Lerma hic lib. 2. q. 2. n. 6.

Qua ex re occasionem est nactus Jo: Saguens se persæpè excusandi, quòd hisce in rebus authoritas D. Th. non pluris est quàm Arist. Minimè expendens, quòd SS. PP. de Philosophicis rebus opera ex professo non edidere, benè verò S. Th. proindeque dici haud potest, quod sit ex aliorum sententia locutus.

6. Arg. 3. quinque objectionibus. Primò. Nullum emolumentum consequitur Universum ex igne existente in concavo Lunæ: ergo ibi non datur.

Secundò. Non est assignabile, quo nutriatur pabulo ignis tantæ magnitudinis in concavo Lunæ, præcipuè ex parte, qua est Cœlo contiguum.

Tertiò. Ille ignis totum paulatim absumeret aeris elementum, ceu maximæ activitatis.

Quartò. Nullo ratiocinio, aut experimento evincitur, ignem in Lunæ concavo residere. Quod namque dicitur de flamma incunctanter ascendente ad nihilum valet, Tum quia (inquit Poncius) ignis est indifferens ad ascendendum, & descendendum. Ratione enim materiæ descendit in carbone, & ratione formæ ascendit in flamma, quia fit ex fumo successivè ascendente. Tum quia etiam aqua, non minùs quàm terra pro loco sibi naturali habet centrum, ad quod tenderet sublatis impedimentis; & saltem lapides usque ad centrum naturaliter descenderent, nisi terra obstaret, & tamen lapides, & aqua non sunt in centro, sed sola terra.

Tandem ipsemet Arist. 1. Meteorum cap. 4. inquit, quòd id, quod est propè Lunam non est ignis, licèt ignis à nobis vocitetur.

Resp. ad 1. quòd idem urget de aere in concavo Lunæ, nisi velimus, non modò de possibili, verùm etiam de facto admittere tam grande vacuum.

Itaque in primis dico, elementa non tantùm ordinari ad mixtorum genesim, verùm etiam per se pertinere ad primariam Universi perfectionem, tanquam potissimas illius partes. Ob idque Deus qui in principio creans Universum essentialiter perfectum, condidit simul Angelos, Cœlos, & elementa, ut Theologorum est Dogma; & post Judicii diem cessante mixtorum genesi, perdurabunt elementa ob Universi perfectionem, ob quam & ignis exigitur elementum in Lunæ concavo.

Præterea dico, quòd talis ignis juvat sublunaria, vel temperando influxus humidos, ac frigidos nonnullorum corporum cœlestium simul cum aliis, vel emittendo ex se particulas igneas in mixtionis locum unà cum reliquis elementis, vel alios ob fines, qui profectò admittendi sunt, quamquam nostram excurrant mentem.

Ad 2. Resp. in primis posse nutriri vaporibus. Præterea (& satiùs) dicas, quod ignis propria in sphæra nullo aut ferè nullo indiget pabulo, cùm nullæ ibi perstringuantur partes reparandæ, sicut extra illam, vel saltem modicæ descendentes ad mixtionem.

Ad 3. Resp. ignem non consumere cætera elementa, Tum quia in materia adeo rara non est tantæ activitatis; Tum etiam quia compescitur ab influxu cœlestium corporum, ad quæ pertinet regere hæc inferiora, & moderari, ne à potentiori debilius absumatur elementum.

Ad 4. Resp. ratiocinium, & experimentum niti ex dictis §. 2. Sanè cùm uniuscujusque rei inclinatio potissimùm ejus ex forma pensanda sit, si ignis esset indifferens ad ascensum, & descensum, etiam flamma passim ratione formæ, & non solùm carbo ratione materiæ descenderet.

Nec momenti alicujus est id, quod de aqua subjicitur. quidem corpus aliquod petere naturaliter centrum est, quòd petat esse contentum ab omni alio corpore. Sic terra, ceu elementorum infima, & minimè activa petit contineri ab omni alio corpore, non verò aqua, quæ tamen exigit ab aere contineri. Eapropter aqua non petit naturaliter acquirere centrum, sed petit acquirere terram.

Quod subjicitur de lapid[i]s nihil est, quia lapides, ceu corpora terrea, eundem locum naturalem cum toto terræ elemento exigunt, & quemadmodum non omnes partes terræ sunt in centro mathematicè, sed aliquæ sunt propinquiores aliis; ita dicendum de corporibus terreis. Quod idem aliis de mixtis dicimus proportionaliter quo ad elementa, sibi penes virtutem activam prædominantia; non enim cum illis ponunt in numero. Petit autem terra cum omnibus mixtis terreis esse in centro physicè, non mathematicè inspecto. Quod reapse obtinet, quia respectu totius Universi locus terræ est veluti centrum, & punctum physicè indivisibile.

Ad ult. Resp. ex D. Th. in commentario illius textus, quòd Stagyrita negat propè Lunam esse ignem, non quo ad substantiam, sed illas quò ad conditiones, cum quibus à nobis vocatur hic noster usualis, qui substantiam habet ignis quodam cum ferveris, ac voracitatis excessu.

Qua ex re habes, ignem propria in sphæra quo ad substantiam ejusdem esse rationis cum nostro usuali; differt tamen quo ad aliquas conditiones accidentales. De quo legi potest Lerma ubi supra, idest hic lib. 2. q. 2. n. 3. & num. 13.

7. Alia quædam de igne curiosis delectabilia legi apud Goudin possunt hic q. 3. art. 3. ubi varios percenset modos, quibus ignis extinguitur, & præsertim quare flatu, & vento extinguatur flamma; quatenus nimirum ab eo removetur pabulum quoddam vaporum circunstantium, non verò quia dispergantur atomi.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Num, & quomodo quodlibet elementum possit ex alio transmutari.

§. I.

1. ELementorum quædam, ut vel Arist. tradit hic tex. 35. sunt symbola, quædam dissymbola. Symbola sunt, quæ in altera ex qualitatibus prædominante conveniunt, licèt in altera differant; sicut ignis, & aer conveniunt in calore; terra, & aqua conveniunt in frigore. Dissymbola sunt, quæ in nulla prædominante qualitate conveniunt, ut ignis, & aqua.

Hac in Decertatione quò ad p. p. universi consentiunt Peripatetici, elementa esse invicem transmutabilia. At quò ad 2. p. communiùs scriptores, etiam nostrates, ut Jo: à S. Th. Compl. Cav. & alii, sentire videntur, esse etiam immediatè transmutabilia. Alii verò censent, esse invicem transmutabilia duntaxat mediatè, nimirum mediante forma mixti, in quam priùs transmutentur. Sic Ruvius, & ex nostris, Guerinois. Hac in re, ut quod ipse auguror proferam, dico, quòd licèt prima opinio sit probabilior probabilitate extrinseca, nimirum ex Authorum copia; tamen secunda probabilior mihi videtur probabilitate intrinseca; nimirum ex vi rationum.

§. II.

CONCLUSIO BIMEMBRIS.

Elementa sunt invicem transmutabilia; haud tamen immediatè, sed mediatè duntaxat.

2. ANtequam concl. probetur ad memoriam revoco, quod in tract. de Cœlo q. 1. art. 2. §. 3. ad 2. dixi, quod licèt quantùm est de se elementa, considerata seorsim ab exigentia totius Universi, sint transmutabilia secundùm totum suum esse, idest secundùm, se tota. Attamen nonnisi secundùm aliquas partes transmutationi sunt obnoxia, sic Deo Universi Rectore contemperante actiones eorum, ut in agendo, & reagendo nonnisi quò ad aliquas partes destruantur pro Universi conservatione. Hoc supposito

3. Quò ad p. p. nitet ex dictis 1. Phys. tum experimento de aqua, quam quotidie cernimus evaporari in aerem, & aerem condensari, ac iterum in aquam distillare. Tum de aquæ gutta, quæ in ingentem immissa rogum statim in ignem exurgit, non obstante, quòd aer, & ignis sint elementa dissymbola. Tum ratione quia transmutatio fit per pugnam, & contrarietatem in qualitatibus alterativis. Hæc autem exercetur inter elementa, tum symbola, tum & magis inter dissymbola.

4. Quò ad 2. p. in qua major extat lis Prob. 1. Si elementa forent invicem transmutabilia immediatè, nusquam fieri ex eis mixtum aliquod posset; sed hoc penitùs erroneum est: ergo elementa non sunt immediatè invicem transmutabilia. Prob. maj. Quoties invicem agerent, cùm unum semper superet aliud, quia, ut art. sequenti conspiciemus, non est dabile temperamentum ad pondus, jam unum transmutaret aliud in se.

Neque dicere juverit, quòd non transmutat tum aliud in se, quia, agendo repatitur. Non, inquam; propterea namque nos dicimus, non posse unum in aliud immediatè transmutari, nisi priùs ex reagente aliud fiat minùs reagens, & à quo agens minùs repatiatur.

5. Prob. 2. cum communi. Ab extremo ad extremum non fit transitus, nisi per medium V. G. de uno extremo loco non pervenitur ad aliud locum extremum, nisi per medium transeundo locum; sed elementorum formæ sunt formæ extremæ, & formæ mixtorum sunt formæ intermediæ coalescentes: ergo unius elementi materia nequit, nisi mediatè, nimirum media forma mixti pertingere ad alterius elementi formam.

Dices ex Compl. Maj. esse veram, quando medium est per se exigitum ab extremis. Sed

Contra, Tum quia rationem non assignant, quare hoc in casu medium non sit per se ab extremis exigitum. Tum quia extremum, qua extremum exigit medium: ergo eo modo, quo est extremum exigit medium; sed formæ elementorum sunt *per se* extremæ: ergo &c.

6. Prob. 3. Unum elementum antequam alterius suscipiat qualitates gradu intenso, debet easdem recipere ut refractas, & quandam ad mediocritatem redactas, V. G. aqua susceptura calorem, & siccitatem, necessè habet recipere in gradu priùs remisso contemperativè ad sui frigus, & humiditatem; sed primæ qualitates contemperatæ sunt dispositiones ad formam mixti: ergo &c.

Respondes 1. quòd temperies primarum qualitatum per modum permanentis est dispositio ad mixti formam. Sed

Contra. Generatio formæ post introductam ultimam dispositionem fit in instanti, licèt prævia alteratio fiat succedaneè, & in tempore: ergo statimatque habetur dispositio ad formam mixti, etiam per modum transeuntis, dummodo unum per instans habeatur, introducitur mixti forma. Ut itaquam quod deberet fieri saltem forma mixti transiens, V. G. vapor.

Respondebis 2. Quodlibet mixtum ultra qualitates elementares habere specialem aliquam simplicem virtutem, quæ effectivè procedit ab influxu cœlesti; & quia interdum deficit hic cœlestis influxus; Ideirco tum tametsi adsit dispositio ad formam mixti, non gignitur forma mixti; sed ulteriùs ad elementi generationem proceditur. Sed

Contra. Mixta aliqua, puta vapores, &c. cùm non sint raris insignita qualitatibus, sive prærogativis, non postulant præcipuos, & raros influxus, & sufficiunt generales, qui nusquam desunt; secùs cùm etiam ad elementorum, licèt non pollentium speciali virtute simplici, generationem concurrant causæ superiores, nimirum corpora cœlestia, posset nonnunquam non generari ignis ex defectu influxus.

Conf. & explicatur. Conspicit quisque non cæcus, quòd dum aqua in cacabo est quadam in tempeste, resolvitur in vapores ascendentes: ergo signum est, quòd calor in tali tempore est ultima ad mixti formam dispositio.

Neque juverit cum Cav. dicere, quòd vapores illi sunt substantialiter aqua, ut docet S. Th. in 2. sent. dist. 19. q. unica art. 2. ad 2. & in 2. contra Gentes cap. 9. cujus rationem assignat Angelicus, quia concrescente frigore iterum resolvuntur in aquam.

Non, inquam. Etenim licèt ita sit de vaporibus nondum completis, & nondum perfectis (& de his loquitur S. D.) non tamen de jam perfectis. Quod evidenter probo, Tum quia non raró nubes in aerem, aut etiam in ventos, & non in pluviam erumpunt. Tum quia paulatim semper aqua tum minuitur; quod minimè eveniret, si omnes vapores illi in aquam resolverentur. Tum quia juxta q. 4. in principio universis cum Philosophis, dicemus, quòd cùm ex vaporibus gignitur aqua non est eadem numero, ac illa, ex qua fuerant vapores. D. Th. autem vult, esse substantialiter aqua non formaliter, sed reductivè duntaxat, juxta ea, quæ scribemus in tract. de Meteoris consideratione prima. Illò adeas

§. III.

Adversantium argumentis respondetur.

7. ARg. 1. contra 2. p. Elementa sunt invicem transmutabilia mediatè: ergo & immediatè. Prob consequ. Ideo sunt invicem transmutabilia mediatè, quia contrarias obtinent qualitates; sed habent qualitates immediatè contrarias: ergo si &c.

Resp. nego conseq. Ad prob. primirèr dico, quòd probat, debere semper immediatè transmutari, quia semper habent qualitates immediatè contrarias, sicque nunquam generaretur mixtum. Præterea data maj. dist. min. immediatè contrarias contrarietate immediatè complenda, & perficienda, nego, mediatè ultimanda, concedo min. & nego conseq. Solutio prænitet ex dictis num. 4. quia nimirum unum ex elementis antequam suscipiat qualitates alterius in gradu intenso (in quo completur contrarietas) debet eas recipere in gradu remisso, in quo gradu sunt ultima dispositio ad formam mixti. Vid num. 4.

Contra. Ignis V. G. potest immediatè disponere aerem ad formam ignis: ergo habetur immediata contrarietas immediatè complebilis. Prob. ant. Ignis potest gradum caloris aeris in gradu excellenti intendere adusque gradum in summo: ergo &c.

Resp. nego ant. vel dist. ant. Immediatè disponere dispo-

sitione nltima, nego, non ultima, concedo ant. ad cujus prnb. negn ant. vel illud dist. sic: nisi anteriores gradus præcedentes gradum in sommo essent dispositio ad aliam formam mediam, concedn, secùs, nego ant. & conseq. Utique ignis iotenderet aeris calorem ut quinque usque in summo. Ast quia quando pervenit ad calorem V.G. ut sea, in quo gradu est dispositio ad formam V.G. vaporis, gignitur forma talis vaporis; Idcircò nequit aeris calorem augere usque ad summum; sed postea adauget usque ad summum calorem vaporis, vaporemque in ignem convertit, nisi tamen tum vapores multum ab igne secedant, ut recedunt vapores aquei è cacabo, qui proinde non convertuntur in ignem, sed io aerem, qui postea io tales vapnres agit.

Iost. ea sæpè laudato in m. s. Falsum est, quòd anteriores illi gradus caloris siot ultima ad mixti formam dispositin: ergn &c. Prob. ant. Aqua tepens habet calorem, & frigus quadam in mediocritate; & tameo est substantialiter aqua imò etiam dum fervet: ergo &c.

Resp. nego aot. ad prob. primodùm dico, quòd licèt habeat calorem, non tamen habet siccitatem quadam in mediocritate. Præterea dist. ant. tota aqua illa, nego, secundùm partes aliquas, concedo. Et secundùm istas negn, quòd sit substaotialiter aqoa, cùm in vapores exurgat. Eapropter objectio ista nobis suffragatur, ut nitet ex dictis o. 3. illa in Cons.

8. Arg 2. Nonnunquam potest uoum ex elementis esse ita vehemeos, ot confestim alterins nppositam superet qoalitatem: ergo tom saltem immediatè traosmutabit alind in sui formam. Prnb aot. Si aquæ gutta in ardentem injiciatur rogum extemplo exurgit in ignem: ergo &c.

Resp. nego ant. Eò vel maximè, quòd ut scripsimus hic lib. 1. q. 3. alteratio non fit io Iostanti. Ad prob. negn aut. si per ly *extemplò* sumatur iodivisibile instans. Licèt namque brevissima fiat, ac penè imperceptibili morula, quia est exigua materia; tamen non fit in unico indivisibili iostanti, sed priùs, quamqoam festinè, gignitur vapor, & postea, licèt iterum brevissimè, ac tempore quasi imperceptibili, gigoitur ignis.

9. Demum objici poterat. Terra quædam, quæ fertur, qoòd ignem concipiat, & ardeat apud Belgas sicut lignum; & alibi terra quædam, quæ pro materia ignis usualis, ut ardeat, adhibetur, quæ & ignem concipit, & magis durat, magisque calefacit.

Verùm enim verò si id verum est, non erit terra elementaris, sed erit mixtum quoddam terræ elemeotari valde consimile, ne loficiemur narratum à P. Mazzotta Cœlestino io sua triplici Philosophia agendo de ignibus subterraneis.

SCISCITABERIS PRIMO.

Num mediata hæc trausmutatio fit facilior iu symbolis, quàm in dissymbolis elementis.

10. RESp. affirmativè, loquendo cæteris paribus. Ratio est, quia ot symbolum io aliud transmotetur symbolum, sat est, nnius duntaxat qualitatis, in qua contrariantur, resisteutiam vinci, ut verò io dissymbolis transmutatio fiat, opus est, duarum vinci obsisteotiam qualitatum.

11. Objicies. Traosmutatio fit ratione cootrarietatis, & pugnæ; sed hæc major est inter dissymbola: ergo inter illa facilior transmutatio est.

Resp. dist. maj. est major pugoa, & contrarietas cum majori resistentia, concedo, secùs, nego mio. & conseq. ut ouper dixi.

12. Dixi autem *cæteris paribus*, quia ioterdum ratione majoris copiæ partium contingit, faciliùs traosmutari dissymbolum. Sic faciliùs io ignem convertitur aliqua aquæ, quàm terræ particula, quia illa ceu rarior, adeoque pauciores habeos partes, mioùs obsistit.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num duobus ex elementis queat unum tertiam specie diversum gigni.

13. RESp. affirmativè lo dissymbolis, & negativè in symbolis.

Prnb. quòad p. p. Quandoquidem si pugnent aqua, & ignis, potest destrui siccitas unius, & frigiditas alterius, remanentibus homiditate, & calore; humiditas autem, & calor disponuot ad aeris formam. Potest etiam destrui humiditas unios, & calnr alterius. Et tunc remanentibus siccitate, & frigiditate, quæ suot dispositio ad elementum terræ, generabitur terra.

14. Prob. quòad 2. p. Siquidem si elementa symbola pugneot ad invicem, vel sese destruant penes qualitates, in quibus contrariantur, tum remanet qualitas ejusdem rationis, quæ non est dispositio ad formam elementi. Si verò sese destruant penes qualitates, in quibus convenioot, tum remanet combinatio duarum qualitatum contrariarum, quæ nec ipsa est dispositio elementi V.G. pugnent aer, & ignis. Si destruator humiditas unius & siccitas alterius, solus superest calor, qoi non disponit sufficienter ad tertium elementum, puta terram, vel aquam. Si verò destruitur utriusque calnr, remanentibus humiditate, & siccitate, erit combinatin qualitatum contrariarum, nimirum humidi, & sicci, quæ oon est congrua ad elemeotum dispositio.

Videri potest Lerma hic lib. 2. q. 9. & q. 10.

QUÆSTIO TERTIA.

De Mixtorum Temperamento.

TEmperameotum dicitur proportio, sive symetbria primarum qualitatum in mixto, quæ est dispositio ad formam ejus.

Mixtum autem (ut conspeximus supra agendo de mixtinne) est, *quod ex elementorum corruptione resultat.* Duplex autem percensetur, perfectum uoum, imperfectum alterum. Perfectum est illud, qood mediatiùs, nimirum pluribus mediaotibus generationibus, & corruptiooibus, fit ex elementis, & in ea resolvitur. Imperfectum illud est, qood immediatè, vel ferè immediatè fit ex elementis, sieque in ea resolvitur, proindeque ferè nihil ab elementis distat ejus forma.

PRÆLOQUIUM.

De Temperamenti quidditate.

LOqonr de quidditate temperamenti accidentalis, quod (ut vidimus) *est proportio, & attemperatio primarum qualitatum*; at nnn de temperamento substantiali, quod est forma ipsa substantialis ejusdem mixti.

Dubium esse consuevit, num temperamentum sit intransitivè ipsæ quatuor qualitates attemperatæ, an verò quinta quædam qualitas, eas qoatuor attemperans. Ad quod

Dico, quòd temperamentum est quiota quædam qualitas, eas quatuor temperans, ac aptans. Sic Jo: à S. Th. & ea adverso stat ille toties laudatus in m. s.

Antequam probetor, moneo, quòd non inficior, remanere formaliter io mixto, quatunr illas primas attemperatas, secùs in illam labere sententiam, quam refuravi q. 8. art. 2. num. 7. Dico itaque, extare formaliter, sed ultra illas, aliam dari quintam, eas attemperaotem. Et

Prob. Quia ægritudo, & sanitas sunt qualitates qoædam distinctæ, & non mera proportionis relatin inter illas quatuor. Qood licèt neget eximios ille in m. s. tamen evidenter ostenditur, Tom in unn, eodemque Homioe, in quo datur temperameotom ejusdem speciei, possunt dari ægritudines diversæ speciei, ot febris tertiana, quartana, ethisis, maligna febris. Eapropter in Logica ageodo de qualitate in exemplum dispositionis distinctæ ab habitu consuevit exemplum afferri de ægritudine. Tnm quia valetudo, & ægritudn dicitur duntaxat in animalibus.

Nec respondere eom eodem juverit, inde solùm seqoi, quòd sanitas, & ægritudo non siot temperamentum quatuor qualitatum utcunque, sed prout reperitur io animalibus, quemadmodum personalitas est idem, quòd subsistentia; & tamen in rationalibus tantùm dicitur personalitas.

Non, inquam. Etenim subsistentia, quæ in substantia rationali dicitur personalitas, est realiter distincta à re personata: ergo pariter attemperatio primarum qoalitatum, quæ in aoimali dicitur sanitas, aut ægritudn, erit realiter distincta ab ipsis qualitatibus attemperatis.

Objicies ex eodem. Hoc ipso, quod habentur primæ qoalitates attemperatæ, absque alio superaddito, habetur formaliter temperamentum: ergo soperfluit omnino quinta ista qualitas.

Resp.

Resp. primitùs nego ant. eò quòd sicut (juxta dicenda lib. 2. de Anima quæst. 6. art. 1. §. 10. num. 4.) substantia pro priori ad colorem foret visibilis duntaxat proximè, & in actu primo, non verò formaliter in actu secundo: ita dicimus, quòd sine illa qualitate superaddita haberetur temperamentum tantummodo proximè, & in actu primo, at non formaliter, & in actu secundo.

Præterea nego suppositum ant. Supponit namque quòd sine ista quinta qualitate attemperante queant haberi attemperatæ quatuor illæ qualitates. Quod tamen nos inficiamur, cùm dicamus attemperari per illam formaliter, licèt non effectivè.

ARTICULUS UNICUS.

Num extet, vel sit naturaliter possibile temperamentum uniforme, & æquale ad pondus.

§. I.

1. TEmperamentum, sive complexio duplex communiter percensetur. Unum uniforme, & aliud difforme. Uniforme consistit in quatuor qualitatibus ejusdem gradus, & intensionis, V. G. calore ut quatuor, frigore ut quatuor; quod etiam compellare consuevit temperamentum medium, & temperatissimum. Difforme est, in quo quatuor qualitates à præfata æqualitate secedunt; quod subdividitur in simplex, & compositum.

Simplex est, in quo una duntaxat qualitas excedit sibi contrariam, ut si calor sit ut quinque, frigus ut tria, humiditas verò, & siccitas æquales. Compositum est, in quo duæ qualitates prædominantur aliis duabus. Et utrumque istorum quadrifariam dividitur. Simplex quidem juxta numerum qualitatum excedentium. Compositum verò juxta numerum binarum combinationum, quæ fieri possunt ex quatuor qualitatibus. Quò circa si excedunt calor, & siccitas dicitur temperamentum igneum, & in animalibus cholericum. Si prædominetur calor, & humiditas appellatur aereum, & in animalibus sanguineum. Si dominetur humiditas, & frigiditas nuncupatur aqueum, & in animalibus flegmaticum. Si superet frigiditas, & siccitas vocatur terreum, & in animalibus melancolicum.

Singula autem ex his quatuor temperamentis variantur, ferè innumerabiliter juxta variam proportionem excessus.

Ex ea re deprehenditur contra nonnullos, quos oppugnat Mastrius hic disp. 7. q. 5. num. 43. & 44. universaliter temperamentum veluti genericè esse novem, quorum unum duntaxat est uniforme, quod cùm omnimodam obtineat æqualitatem consistit in indivisibili. Octo verò sunt difformia, quatuor simplicia, totidemque composita.

Hoc autem admonitus sis, quòd utrumque, nimirum difforme, & uniforme æqualitatem obtinet, sed diversimodè. Uniforme dicitur æquale ad pondus æqualitate Arithmetica, quæ est æqualitas rei ad rem, itaut quot sunt gradus unius, totidem sint aliarum qualitatum; & consuevit dici ad justitiam commutativam. Difforme dicitur æquale ad justitiam distributivam æqualitate Geometrica, quatenus nempe sortitur qualitates ad illam redactas temperiem, quæ à meritis ipsius mixti exigitur.

2. Exploratum est, dari temperamentum æquale ad justitiam distributivam, secùs quodlibet mixtum foret extra suum statum naturalem, nec ullum daretur animal in statu sanitatis. Dubium itaque emergit de æquali ad pondus.

Annuunt Galenus, Gorbius, Fernelius, & Marsilius, quibus adstipulantur Conimb. Ruvius, Mastrius hic disp. 7. q. 4. num. 44 & alii.

Abnuunt verò Averroes, Avicenna, Algazel, ac alii Arabes, & communiter Thomistæ.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

3. ET est D. Th in 2. sent. dist. 19. q. unica art. 4. ad 1. & hic ex Arist. lib. 1. cap. 10. lect. ultima.

Prob. 1. ratiocinio, quo ex Averroe utitur S. Th. Possibile non est corpus mixtum, in quo aliquod non prædominetur elementum secundùm virtutem localiter motivam: ergo pariter repugnat mixtum, in quo aliquod non prædominetur elementum secundùm qualitates alterativas. Conseq. sequitur à pari, licèt non benè probetur à nonnullis ex eo, quòd gravitas, & levitas sint qualitates secundæ ortum ex primis trahentes, ut conspiciemus sub num. 8. solvendo in 4 arg. objectionem quartam. Ant. prob. Peripateticè loquendo possibile non est corpus, cui debitus non sit locus aliquis naturalis in Universo, ad quem naturaliter moveatur, & in quo naturaliter quiescat; sed corpus, in quo nullum prædominatur elementum secundùm virtutem localiter motivam esset hujusmodi: ergo &c. Prob. min. Mixtum non movetur naturali motu loquendo (quicquid sit de elicito in animalibus) nisi ad locum naturalem elemento prædominanti secundùm virtutem localiter motivam.

Dices 1. Hoc contra nos retorqueri posse, quia in gravitate, & levitate potest extare, & extat æqualitas ad pondus. Conspicuum siquidem est, quòd medietas ligni superpositi aquæ sustinetur elevata supra aquam; altera verò ligni medietas quoad ligni mensurabilitatem secundùm profunditatem ligni, descendit infra. Idem contingit in oleo partim ascendente, & partim descendente. Sed

Contra. Siquidem assumptum, ejusque probatio falsitate laborat. Quod probo. Etenim si ita foret, deberet utraque ejus medietas id habere, ut mox conspicies refellendo sequens responsum. Dicendum ergo, quòd ibi adest æqualitas quædam Physica, & Geometrica, at non Arithmetica, sive ad pondus. Alia solutio legi apud Cav. potest qui dicit, evenire ex aere, qui latitat intra lignis poros, hic §. 3 ad 2.

Dices 2. ex Conimb. negandum esse ant. Ad prob. negandam esse min. & dicendum, quòd hujuscemodi corpus æquè grave & leve pro suo naturali loco obtineret locum medium inter aquam, & aerem, vel secundùm unam sui medietatem esset in aere, & secundùm aliam in aqua.

Contra. Tum quia locus ille medius minimè extat, cum aer, & aqua immediatè sese contingant. Tum quia medietates ejuscemodi corporis forent ambæ æqualiter temperatæ ad pondus, adeoque nec aquam, nec aerem haberent prædominantem secundùm gravitatem, & levitatem, quæ sunt virtutes localiter motivæ elementorum, ut vel ipsi annuunt; & etiam conspeximus q. antecacta 2. art. 1.

4. Prob. 2. Dum elementa ad mixtionem congrediuntur, debet unum esse fortius, alterique prædominari; sed validior causa effectum relinquit majorem, ac perfectiorem, vel formaliter, vel dispositivè juxta modum, quo concursit ad effectum: ergo elementum prædominans in mixto imprimet qualitatem aliis prædominantem, adeoque nunquam extabit temperamentum ad pondus. Maj. oritur ex his, quæ cum eodem Mastrio, & aliis diximus lib. 1. q. 7. art. 3.

Nec molestiæ quid esse potest, quòd objicit Mastrius dicens, quòd si hæc nostra valeret ratio, sequeretur, quòd dari nunquam posset reactio.

Non, inquam, quia, ut scripsimus lib. 1. q. 7. art. 2. ad reactionem iat est, quòd sit major resistentia passiva, & quòd (ut ibidem scripsimus §. 3 ad ult. oppugn. contra resp. datum ad 1. arg.) quòd brevi pro morula agens ab actione cesset. Illò adeas

Dices eodem cum Mastrio, & aliis, quòd licèt una qualitas sit absolutè alia activior, tamen ratione majoris quantitatis, & densitatis, minùs activa æquat activiorem.

Contra. Etenim ex hoc sequitur, quòd cùm id, quod est magis activum sit minùs resistitivum resistentia passiva, ut cum universis Peripateticis scripsimus lib 1. q. 7. art. 2. & 3. Ideo si minùs activum ratione majoris quantitatis, & densitatis sit æquale in activitate cum activiori, sit etiam magis excedens in virtute resistitiva: ergo magis hoc elementum agit, quàm aliud absolutè activius. Nitet hæc consequentia, quia quoties duo agentia æqualis activitatis applicantur passivis inæqualis resistentiæ sequitur inæqualis actio.

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

5. ARg. 1. sensus tactus postulat in se ex sui ratione formali temperamentum uniforme ad pondus: ergo istud est dabile. Prob ant. Quoties in aliquo exiguntur qualitates in tali temperie, ut nulla ex illis sit secundum excellentias, & exuberantias, exigitur ab eo temperamentum uniforme ad pondus, quia tum exigitur, quòd nulla superet, & excedat alteram, eique prædominetur; sed sensus

tactus

tactus postulat in se ex sui ratione formali qualitates tactiles in tali temperie, ut ex illis nulla sit secundùm excellentias, & exuberantias: ergo &c. Prob. min. Sensus tactus petit sentire in objecto qualitates secundùm excellentias, & exuberantias; sed hoc ipso, quod petit illas sic sentire in objecto, quod tangit, petat eas in se in tali habere temperie, ut ex illis nulla sit in eo secundùm excellentias, & exuberantias: ergo &c. Maj. est certa, quia ex 2. de Anima 118. sensus tactus est judicatorius qualitatum tangibilium. Min. est certior, quia, ut ibidem dicitur, sensus tactus est veluti judicatorius qualitatum tangibilium, non secundùm quamlibet intensionem, benè verò secundùm excellentias, & exuberantias, quibus una qualitas aliam excedit qualitatem; si autem una qualitas afficiens sensum, excederet aliam, V. G. manus si foret calida ut quinque, non posset istum excessum caloris ut quinque in re sensibili existentem sentire, quia non sentit qualitates ejusdem intensionis cum propriis.

Resp. cum Jo: à S. Th. Compl. &c. nego ant. Ad prob. dist. maj. si exigat, quòd nulla superet aliam tum arithmeticè, cum physicè, & geometricè, concedo, si duntaxat physicè, nego maj. & distinguo min. exigit, quòd nulla superet aliam physicè, & geometricè, concedo, arithmeticè, nego min. & conseq. Ad tactum namque sat est æqualitas quædam physica, hoc est parùm excedens quatuor gradus, at non requiritur æqualitas mathematica, arithmetica, sive rigorosa. Sanè hoc arg. probaret, non solùm de possibili, verùm & de facto; quod abnuit Mastrius ipse ibi n. 46. cujus est arg.

Contra ex eodem. Sensus tactus est à natura intentus veluti judex ad judicandos qualitatum excessus: ergo requirit in se æquitatem etiam arithmeticam, & rigorosam.

Resp. dist. ant. ad judicandos excessus physicos, concedo, secùs nego.

Et ut plenius deprehendas hujusce imbecillitatem argumenti, cui adeo fidit Mastrius, scribens rationes in oppositum nihil convincere, ostendo evidenter, quòd tactus non exigat temperamentum uniforme. Quandoquidem unus Hominum est alio perfectior in tactu, & eodem in individuo partes aliquæ sunt præstantiores in tactu, quàm aliæ. Et, si verum est, sensum tactus esse in nervis interspersis per totum corpus, id est palam, quia nervi ceu duriores majorem exposcunt siccitatem, quàm humiditatem.

Dices. Si detrectamus quolibet in Homine annuere, saltem in B. Virgine, vel saltem in Christo non est abnuendum, quòd sensus tactus, ceu perfectissimus, sit cum omni aptitudine ad judicandum de excellentiis etiam arithmeticè; ergo saltem cum est omnimoda æqualitate ad pondus.

Conf. 1. de quovis Homine. S. Th. p. p. q. 91. art. 1. in corp. scribit, quòd homo de similitudine cœlestium corporum habet elongationem à contrariis per maximam æqualitatem complexionis.

Secundò. Idem ibidem art. 3. ad 1. scribit, quod Homo habet perfectissimum sensum tactus; sed tactus perfectissimus exigit ex parte subjecti qualitates æqualiter temperatas, cùm, ut dictum est, tactus non percipiat, nisi excellentias sensibilium: ergo &c.

Tertiò. Perfectissimæ formæ debetur perfectissima Symethria disposita per perfectissimum temperamentum; sed rationalis Anima est perfectissima forma: ergo &c.

Resp. ad inst. quòd cùm, ut diximus, sensus tactus sit perfectior etiam physicè in uno, quàm in alio Hominum, solùm sequitur, quòd in B. V. & multò magis in Christo Dom. fuerit perfectissimus physicè quantum possibilitas admittit. Et hæc iterum objectio probat etiam de facto.

Ad 1. Conf. Resp. S. Th. ibi loqui de æqualitate duntaxat physica.

Huc facit doctrina, quam idem habet Mastrius, ad probandum, quòd non extet hoc temperamentum uniforme ad pondus. Quandoquidem cùm Hominis partes, & cujuslibet rei animatæ, sint heterogeneæ, ac diversimodè complexionatæ, certum est, esse impossibile, quòd hujuscemodi extet temperamentum uniforme ad pondus.

Quòd verò nonnulli respondent, quòd licèt una pars sit aliis calidior, reliquæ tamen sunt frigidiores, V. G. cerebrum, &c. Et sic unius excessum qualitatis in una parte, compensat excessus alterius in alia.

Hoc, inquam, temerè asseveratur, ut inquit Vasquez. Etenim quis dimensus est hujuscemodi excessus. Imò cùm calor sit instrumentum activum vitalium, ut dicitur 2. de Anima. Idcircò in animalibus perfectis major debet esse caloris copia; quod de homine obtestatur Galenus apud Conimbr. Ob idque licèt nonnullis in viventibus plùs frigidi adsit, quàm calidi, ut de Papavere, Salamandra, & Cicuta, fertur; tamen perfecta animalia majori ex parte, majorique in copia obtinent calorem, licèt inter ipsa unum alio minùs.

Quæ ratiocinatio, velit nolit Mastrius, probat nec de possibili; quia non est possibile animal, in quo non sint partes diversæ rationis.

Ad 2. prænitet ex dictis, sensum tactus exigere qualitates temperatas æqualitate duntaxat physica.

Ad 3. Resp. perfectissimam formam, perfectissimam exigere symethriam, & complexionem intra ordinem complexionum naturaliter possibilium, nimirum physicarum, & comparativè ad alia. Repetantur dicta ad 1. Conf.

6. Arg. 2. ex Conimbr. Possunt duo elementa sic ad invicem congredi, quòd vel ex cœlesti influxu, vel ex quantitate, & densitate ita contemperentur, ut unum non vincat aliud, ut patet cùm ex duobus elementis unum tertium gignitur: ergo possunt ita concurrere ad mixtionem sine dominio unius respectu alterius, adeoque &c.

Resp. ex dictis n. 4. in fine, nego ant. si de quacunque loquatur victoria, quia (ut ibi conspeximus) nequeunt adæquari in activitate, quin sese excedant in passiva resistentia. Cum autem ex elementis unum tertium gignitur, etiam unum alterum vincit, è contra secundùm diversam qualitatem. Aere namque pugnante cum terra, ut ex illis procreetur aqua, opus est, quod destruatur siccitas unius, & calor alterius; ut gignatur ignis, quòd destruatur frigidius unius, & humiditas alterius.

7. Arg. 3. ex iisdem, & Mastrio. Sit V. G. corpus aliquod excellenter calidum, & humidum, si duo admoveantur agentia, quorum alterum intendat frigiditatem, alterum siccitatem, minuendo contraria. In hoc casu est deveniendum ad punctum aliquod, in quo hujuscemodi corpus sortiatur omnes quatuor qualitates æqualis intensionis; ergo non repugnat temperamentum ad pondus.

Resp. dato ant. dist. consequens, non repugnat via corruptionis, concedo (sic enim certum est, non repugnare, quemadmodum via corruptionis nec repugnat in aqua calor fervens) via generationis & in statu naturali, nego conseq. Et de hoc nos loquimur.

Dices. Eo ipso, quod corpus illud in aliquo puncto obtinet, omnes quatuor qualitates æquales, cur ex eo in illo puncto gigni nequit substantia alterius mixti, illas connaturaliter exigens?

Resp. rationem prænitere ex dictis, quia nimirum agentia debent habere qualitates prædominantes qualitatibus corporis, cui applicantur, ut eas ad medium redigere queant. Eo ipso autem, quòd prædominantur, minùs repatiuntur, adeoque ulteriùs prosequi actionem suam possunt; & sic non respiciunt illud temperamentum æquale per modum dispositionis permanentis, sed pergentis ad prædominium qualitatum simile agentibus applicatis.

8. Arg. 4. Ideo denegatur possibile temperamentum ad pondus, quia possibile non est corpus aliquod, in quo non prædominetur elementum aliquod secundùm virtutes localiter motivas, ratione cujus locum aliquem determinatum in Universo petat. Præterea quia dum elementa ad mixtionem congrediuntur, debet unum esse alio fortius; sed neutra ex rationibus istis convincit: ergo &c.

Prob. min. & primitèr quò ad p. p. Primò quia falsum id videtur, ut n. 3. retorquendo probationem nostram, dictum est. Secundò. Prima ratio, si quid probat, probat nec supernaturaliter esse possibile. Siquidem etiam supernaturaliter repugnat mixtum non exigens locum aliquem naturalem, ad quem naturaliter moveatur, & in quo quiescat, cùm cujusnis natura sit principium motus, & quietis: ergo quoque supernaturaliter repugnat corpus æquè grave, & leve, in quo non prædominetur elementum aliquod quò ad virtutem localiter motivam, adeoque etiam secundùm qualitates alterativas.

Tertiò. Ex ipsamet nostra ratione conspicua fit disparitas. Siquidem ex eo, quòd qualitates dentur alterativæ æqualiter temperatæ, nullum sequitur incommodum;

quod

quod quidem sequeretur, si virtutes extarent localiter motivæ æquales, nimirum sequeretur, extare corpus aliquod, nullum petens naturalem locum.

Quartò. Licèt gravitas, & levitas, quæ secundæ sunt qualitates, oriantur ea primis; non tamen æquale gravitatis, & levitatis pensatur ea primarum æqualitate, quemadmodum nec virtutis prædominium motivæ commensuratur cum primæ qualitatis alterativæ prædominio: ergo ea eo, quòd possibilis non sit gravitatis, & levitatis æqualitas, haud benè infertur, nec esse possibilem primarum qualitatum æqualitatem. Ant. perspicuum est in Homine, Leone, &c. in quibus prædominatur elementum ignis quò ad calorem, non tamen quò ad levitatem, & virtutem motivam: plùs enim participant de terræ gravitate, quam de ignis levitate.

Probatur modò illa prima min. quò ad a. p. Tum quia (ut Mastrius relatus supra sub 4 numero inquit) ex hoc sequitur, non posse extare creationem. Tum quia illa ex ratione ad summum sequitur, non extare temperamentum ad pondus in mixto genito per mixtionem ea actione, & reactione miscibilium, non verò per simplicem generationem ab alio mixto, vel à Cœlo.

Resp. ad arg. nego min. quò ad utramque p. Ad 1. prob. pro p. p habes ex dictis ibidem.

Ad 2. Resp. quòd si certum est, non posse extare corpus mixtum, non exigens naturaliter locum aliquem in Universo determinatum, lubenter cum Lerma annuo, etiam supernaturaliter repugnare corpus sine prædominio alicujus elementi quò ad virtutem localiter motivam; ac per consequens etiam primas qualitates alterativas, loquendo ab intrinseco, licèt ab extrinseco possit à Deo poni æqualis gravitas, & levitas media in corpore aliquo, sicut etiam qualitates elementares. Quod non militat contra sententiam nostram.

Ad 3. dicatur, quòd ratio illa disparitatis hausta ea incommodo illo est duntaxat à post. A priori autem assignari haud aliunde potest, nisi eodem ea capite, ea quo repugnat æqualitas secundùm qualitates.

Ad 4. Resp. quòd dato temperamento ad pondus secundùm qualitates, & virtutes motivas non exigere primas qualitates æquales; tamen si extare semel posset temperamentum æqualitatis quò ad illas qualitates, posset quoque extare saltem à simili, & à pari quò ad alias. Idcircò n. 3. monui, haud benè consequentiam illam probari ea hac via, quòd gravitas, & levitas sint qualitates secundæ ortæ ea primis.

Ad 5. prob. pro a. p. habes ex dictis ibidem, & loco ibi relato.

Ad 2. Resp. ea Comp. quòd omne temperamentum quantùm est ea se virtualiter continetur in qualitatibus elementorum; Idcircò eorum ea mutua actione, & reactione consequi potest: licèt ea alio capite interdum ea actione aliarum causarum naturalium, vel immediatè fieri à Deo possit. Eapropter constat, ea ea ratione probari, quòd etiam supernaturaliter repugnet mixtum, naturaliter exigens, saltem ab intrinseco, temperamentum ad pondus.

APPENDIX.

De Variis variorum temperamentorum effectibus.

Egi de his potest Cav. hic disp. 2. q. 1. § 5. & Guerinois hic q. 4. art. 3. & Gondin hic q. 4. art. 1. Nos autem omittimus, quia nonnulla de temperamentorum inclinationibus diximus 2. Phys. q. 3. in fine quæstiuncula de casu, Fortuna, & Fato in fine numeri 8.

QUÆSTIO QUARTA & ULTIMA.

De Circulo, sive Reproductione rerum.

Complementum huic libro, totique tractatui dat Stagyrita agendo hoc in ult. cap. de circulari effectuum generatione specie redeuntium, qui palam sunt in vaporibus ex aqua genitis, & in aqua pluviali ex vaporibus procreata. Pluvia namque madefit Tellus, ex Tellure madida iterum ascendunt vapores, ea vaporibus quos concrescit, & ex nube aqua, non tamen eadem numero aqua, ut scripsi 1. Phys. q. 5. art. unico §. 7. num. 29. & hic q. 2. art. 2. §. 2. num. 3.

ARTICULUS UNICUS.

Nam res semel corrupta possit eadem numero reproduci.

§. I.

1. Ad sex usque opiniones ascendunt, aliæ extremæ, aliæ mediæ.

Prima est, seu potiùs, fuit, Platonicorum, qui potavere, quòd non solùm de possibili, verùm etiam de facto; nec solùm aliqua, sed & omnia eadem numero redibunt peractis certis annorum periodis, nimirum magno anno elapso (qui annus Platonicus compellatur) hoc est expleto cursu proprio, sive circulatione expleta octavæ sphæræ, nempe Cœli siderei, sive firmamenti. Quæ circulatio secundùm nonnullos completur annis 36000. nimirum juxta Ptolomæum; secundùm verò Alphonsum, sive tabulas Alphonsinas 49000 annis. Et posito, quòd Mundus ab æterno extiterit, jam cuncta pluries rediere. De quo amena quædam apud Guudin legere ne detrectes.

Secunda huic affinis est, quam olim jam probatam habuere Pythagorici, quorum bini celebres errores fuere. Primus erat animarum transmigratio. Alius, quòd Anima quælibet postquam per plura migrasset corpora, donec ad probitatem reduceretur, tandem iterum ad primum se reciperet corpus. Sed primò si erat vir doctus, qui improbè vixerat, in secunda generatione evadebat fœmina; & postea si iterum improbè vixerat, in bestias quadrupedes vertebatur, ut omnes edaces, ac luxuriosi; Cantui dediti in aves, ut Orphæus in Cygnum; hebetes in pisces, &c. Pythagorasam tamen nonnulli vindicant, præsertim Timæus Locrus, dicens, id nusquam docuisse Pythagoram scripto, cùm ejus in scriptis minimè inveniatur, nec ore, quia saltem ejus ea discipulis aliquis scriptis consignasset; Idcircò dicit, fabulam fuisse Tonici Poetæ ad perterrefaciendos Homines, eosque à vitiis retrahendos. Lege P. Clementem Abbatem Tonsi tertiæ Congregationis S. Sylvestri in Opere *de India Orientali* Italicè edito tom. 1. disc. 8. Hunc nihilominùs errorem amplexantur, non modo in Cinensi Imperio, verùm etiam in Regnis Arracan, Pegù, Ava, Cambegiæ, Concincinæ, Tunchini, Laci, Mogol, & alibi, ut præfatus fert Tosi, ubi supra pag. 252.

Tertia non multum à præfatis dissita, retur, quòd quantùm est ea intrinsecis ipsarum causarum, eadem numero res queat naturaliter redire, totamque impossibilitatem se teuere ab extrinseco, quatenus Deus statuit, quòd non eadem redeant. Hanc tenet Scotus. Imò quò ad aliqua tantùm censent complurimum Scotistæ, Scotum sensisse, quòd reapse eadem numero redeant; licèt hoc secundùm de Scoto deneget Mastrius hic disp. 5. q. 2. num. 173.

Quarta istis extremè opposita opinatur, quòd res nulla semel extincta, sive naturaliter, sive supernaturaliter possit eadem numero redire, dempto Homine, cujus partes, nimirum materia, & anima rationalis, ceu superstites, possunt divinitùs reuniri. Huic adhærent Durandus, Marsilius, Abulensis in cap. 22. Mathæi q. 238. Quod placitum, absque tali de Homine limitatione, communis extitit Epicuræis, Stoicis, & Saducæis, qui Hominis Animam mortalem docuere, ac Hominis resurrectionem impossibilem dixere, ut fert Tertull. lib. de Præscripr. Hæret. c. 7.

Quinta ea diametro huic obversans, contendit, omnem rem, sive successivam, sive permanentem semel extinctam posse Divina attenta potentia iterum produci. Hanc propugnant Aureolus, Conimbr. Suarez, Aversa, & à fortiori Scotistæ nuper in tertia sententia citati.

Sexta demum media statuit, nihil quidem posse naturaliter idem numero redire; concedit tamen divinitùs posse, ses permanentes reproduci etiam totalem post ruinam. Successivas verò ne quidem divinitùs. Hanc tutantur communiter Thomistæ, quibus adstipulantur Rovius, Henriq. & Fonseca, citans Vasquez disp. 33. n. 59.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Res semel extincta nequit naturaliter eadem numerò redire.

2. REfutandum primitùs Platonicum se offert delirium, quod luculenter refellit S. Aug. 12. de civit. Dei cap 13. quia secundùm istum circulum nulla vera foret beatitudo. Quandoquidem Anima beata reversura foret ad miserias, quas priùs subiit; & ita dum beata est aut credit, se redituram, & tunc formidat, & per consequens beata non est; aut credit, se nunquam redituram, & sic falsa opinione, falsaque beatitudine beata est. Ob idque de sic opinantibus loquens Augustus Psaltes *tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum* cùm subdat Psal. 11. (inquit Augustin.) in *circuitu impii ambulant*, idest dicunt reditiones circulares.

Et re vera fundamentum, cui hæc innititur opinio, ruinam eidem parat. In eo siquidem fundatur, quòd sublunaria à Cœlestibus pendent. Quamobrem cùm tot post sæcula idem sit rediturus aspectus, & influxus octavæ sphæræ, sive firmamenti, eosdem quoque rediturus effectus dicendum.

At hinc nemine impellente hæc tota ruit machina, quia non illud solum Cœlum, verùm & reliqui omnes Cœli, cæteraque Cœlestia corpora influunt sublunaria. Nunquam autem omnia simul complent propriam circulationem, ut ex continua observatione astronomorum compertum habetur. Tum quia plura sunt sublunaria, quæ in sui productione, & existentia pendant à libero Hominum arbitrio. Tum quia Cœli suo aspectu, & influxu non se solis producunt effectus sublunares (saltem plerosque) sed mediis causis sublunaribus: ergo si perierunt illæ sublunares causæ; non apparet, quomodo Cœli queunt solo aspectu suo hujuscemodi effectus eosdem numero reproducere. Tum denique quia licèt idem sit rediturus specie aspectus, & influxus duntaxat, non tamen idem numero.

3. Refutandum præterea occurrit figmentum Pythagoreorum. Quandoquidem si Anima de uno ad aliud migraset corpus, proculdubio nonnullorum, quæ alio in corpore novisset in evolutis sæculis egisset, aut passa esset, recordaretur, cujus tamen oppositum experientiæ argumento evidenter comprobatur; licèt feratur, Pythagoram fabulatum, se priùs Euforbium, postea migrasse in Virbium, postremò varias post mutationes corpus intrasse Pythagoræ.

Nec dicere juverit, quòd non meminit, quia non eandem retinet Phantasiam; vel quia intellectus passivus, qui nimirum recipit species ab objectis, nascitur in corpore.

Non, inquam, Tum quia id falsum esse patebit 3. de Anima, ubi conspiciemus, intellectum esse potentiam spiritualem. Tum quia saltem eorum, quæ in proximo statu separationis agnovisset, recordaretur. De quo vide fusiùs Mastrium ubi supra num. 168. contra Ferchium usque ad num. 173.

Præterea refutari posset ratione adducta ex Aug. contra Platonem, & tandem constabit ex sestin dicendis.

4. Prob. modò directè conclusio contra Scotum 1. Causa quælibet creata virtutem sortitur finitam, & limitatam; sed si posset iterum eundem numero destructum effectum producere, potiretur virtute illimitata, & infinita: ergo &c. Prob. min. Si posset semel, nulla major est ratio, cur non posset bis, decies, centies, milies, & infinitiès reproducere, si infinitis destrueretur vicibus.

Conf. Non tantùm finitam, verùm etiam valdè coarctatam possidet virtutem; at si ultra hoc, quod est posse cunctos suæ seriei effectus producere, posset, etiam eosdem pluries reproducere, credendum est, quòd non parùm excedentem obtineret virtutem.

Urg. Videmus, quòd causæ naturales pertingere vix valent ad cunctos suos producendos effectus, quos in sui continent virtute; multò minus igitur eos reproducendi habebunt virtutem.

Qua ex re habes, quòd non solùm ex eo, quod Deus nollit cum causa secunda concurrere eosdem ad effectus, nec solùm ex eo, quod causa secunda magis inclinetur ad novos producendos effectus, ut ostendat divitias virtutis suæ, sed etiam ex sui impotentia causa creata eosdem non reproducit effectus. Sanè quemadmodum in Evangelio. Pater ille familias commendatur, qui profert de Thesauro suo nova, & vetera, ita major ostenderetur virtutis excellentia, si nedum nova produceret, verùm & vetera reproduceret.

Videri etiam possunt, quæ scripsimus 1. Phys. q 2 art. 6. §. 2. sub num 3. refellendo primum Hurtadi responsum.

5. Prob. 2. cum communi. Nequit iterum idem esse numerò effectus, nisi eadem numerò sit actio; sed causa creata nequit eandem numero actionem naturaliter reproducere: ergo neque &c. Præmissæ sunt probandæ, quas audacter negat Mastrius num. 577 Majorem quidem dicens, quòd licèt conjunctim idem nequeat effectus per diversas produci actiones, benè verò divisim. Minorem quoque, quia, dicit, eandem esse difficultatem de effectu, ac de actione, num queat naturaliter eadem numerò redire.

Prob. itaque maj. Ad effectum concurrit, non solùm causa, verùm etiam actio; sed saltem naturaliter loquendo nequit esse idem numerò effectus, nisi sit eadem numerò causa: ergo neque si non eadem sit numerò actio. Maj. est evidens. Min. conceditur ab omnibus, & meritò. Quandoquidem Obversarii quamquam doceant, supernaturaliter posse eundem numerò effectum à duplici causa totali pendere, non tamen naturaliter, ut 2. Phys. conspeximus. Conseq. sequitur à pari.

Prob. præterea prima min. Nequit eadem redire actio, idemque motus, nisi idem redeat tempus; sed nequit naturaliter idem redire tempus: ergo nec eadem actio. Min. constabit infra §. 6. ostendendo, nec per absolutam Dei potentiam posse successivum aliquod idem numerò redire; Eò vel maximè quòd Mastrius dicit, eandem esse difficultatem etiam de tempore, ac de effectu, & actione. Maj. verò prob. Eadem actio idem necessariò connotat tempus: ergo &c. Prob ant. (quòd inficiatur Mastrius, dicens, falsitatem ejus patere ex eo, quòd eadem actio potest pro pluribus durare instantibus, & dum durat in posterioribus, non dependet à prioribus) Quandoquidem actio mensuratur tempore: ergo &c. Nitet ant. ex definitione temporis *est mensura motus, & quietis secundùm priùs, & posteriùs*.

Nec quicquam officit id, quod Mastrius subjicit. Tunc siquidem est eadem actio continuata in instantibus continuatis, adeoque se habentibus per modum unius, à quibus actio secundùm veluti diversas sui partes dependet.

Conf. & explicatur. Intentionalis actio inter cætera distinctiva habet hoc etiam quod fit in instanti, puta intellectio; actio verò physica, ceu cum motu fit succedaneè, & in tempore. Imò idem Mastrius hic disp. 5. quæst. 5. art. 5. num. 216. tenet, generationem, & corruptionem fieri successivè, & in tempore, quod & nos de ipsa, ut actio est, licèt non ut mutatio est, scripsimus lib. 1. q. 5. art. unico, ubi diximus, quòd ut actio est non distinguitur ab alteratione, quam vidimus ibi §. 3. fieri succedaneè, & in tempore: ergo actio necessariò dependet à tempore.

Urg. Ex Cav. Etenim quia actio Divina mensuratur æternitate, si per per impossibile deficeret irreparabiliter æternitas, foret irreparabilis Divina actio: ergo à pari quia creata actio mensuratur tempore, hoc irreparabiliter deficiente evadet irreparabilis creata actio.

Min. ostendetur infra §. 6. Præterea quòd sit irreparabile saltem naturaliter idem numerò tempus, quamquam inficiari videatur Mastrius hic num. 165. dicens, eandem esse difficultatem de tempore; tamen id negare haud potest. Quandoquidem dum num. 164. ad probandum, quòd nec supernaturaliter queat idem numerò redire tempus, objicitur ei num. 164. quòd inde sequeretur, omnes annos ab orbe condito, posse ita reproduci, ut tantùm coexisterent moræ imaginariæ unius horæ; eò quòd in hora nunc fluenti poterit à Deo restitui hora proximè elapsa, & rursus alia, quæ fuit illi proxima, & sic deinceps adusque Mundi exordium; Respondet ipse num. 165. ad 2. omnes præteritas Cœli revolutiones ita, dum redirent, velocitari, ut unius horæ peragantur spatio; eo ferè modo, inquit ipse, quo corpus viginti palmorum ad unum restringitur palmum, adeoque tunc temporis partes valdè constiparentur, & quasi sese penetrarent. De quo iterum §. 6.

Tunc sic. Exploratum est, penetrationem non posse naturaliter fieri, ut nitet ex dictis 4. Phys. q. 2. art. 2. ergo nec illa temporis abbreviatio.

Quòd si talem comparet abbreviationem media tali acceleratione cum condensatione. Tunc erit id facere, naturaliter non modò possibile, verùm & adeo facile, ut multoties si

ties si Deus nollet cum secunda causa ad talem concurrere abbreviationem, opus foret, eum uti sua extraordinaria providentia; quemadmodum uti ea si nunquam vellet cum secunda causa ad corporum concurrere condensationem, aut rarefactionem.

Præterea (ne de hoc opus fiat, sermonem redire §.6.) Tunc foret brevior duratio, adeoque brevius foret tempus: ergo non idem tempus foret, cùm nec æquale foret. Conseq. sequitur, quia (ut 4. Phys. q.a. scripsimus) tempus haud aliud est, quàm duratio primi mobilis.

Conf. Ista temporis compressio, aut veluti condensatio, non est explicabile quomodo fieret. Non enim fieret minorem acquirendo durationem; quemadmodum per Mastrium quantitatis condensatio fit minorem acquirendo localem extensionem, quæ est secundarius quantitatis effectus, quia si minorem acquireret durationem, minus quoque acquireret tempus, cùm tempus nil aliud formalissimè sit, quàm primi mobilis duratio. Nec per corpuscula subeuntia; nec aliquam per qualitatem, quia ex his nullum est de genere successivi, cujusmodi solus motus, & tempus.

Urg. Hallucinatio magna est dicere, quòd majorem per velocitatem tempus comprimatur, cùm potiùs majorem per velocitationem magis dilaretur. Siquidem dilatatur per hoc, quod fluit: ergo, quo magis fluit, magis dilatatur. Ea propter non est idem, citiùs compleri, & comprimi; nec est idem dilatari, ac magis durare, saltem in tempore, licèt aliis in rebus ita contingat.

6. Probari denique posset, quia secùs mortui resurrectio non foret miraculosa, nec etiam quò ad modum reuniendi, quia non foret supernaturalis, idest supra vires; sicque non foret miraculo adscribenda Tauri suscitatio à S. Sylvestro coram Constantino facta, & Helena.

§. III.

Istorum Adversariorum argumenta solvuntur.

7. IN Platonicorum favorem haud aliud sese offert argumentum, nisi, quod num. 2. solutum fuit, eorum evertendo fundamentum.

Quædam duntaxat scripturalis objicitur authoritas ex Eccles. cap. 1. ubi scribitur, nihil esse sub Sole novum, nec posse quemquam dicere, ecce hoc jam recens est; jam enim præcessit in sæculis, quæ sunt antè nos. Verùm facilè interpretatur, quòd de specifica loquatur identitate, aut generica, at non numerica: vel si de numerica loquitur, intendit præcessisse Divina in mente.

Pro Pythagoreis arguit Ferchius, quòd iste animarum circulus videatur vel ab Arist. admitti, qui putavit, mundum fuisse ab æterno; quia in hac hypothesi, nisi extaret animarum transmigratio, jam infinitæ fuissent Animæ rationales in actu.

Resp. primitur in sententia eorum, qui opinantur, Arist. non agnovisse Animæ rationalis immortalitatem arg. nihil valet.

Præterea, & satiùs ex dictis 3. Phys. Resp. quòd Stagyrita mundum ab æterno fuisse voluit, humana dempta genesi. Legi potest Mastrius ubi supra n. 172.

8. Arg. 1. probando, quòd nonnunquam semel destructa eadem numero redeant pluribus experimentis. Primò. Musca suffocata in aqua (dummodo non sit organis læsa, si soli postea exponatur, vel tepido sepeliatur in cinere, brevi reviviscit, qua de causa Lucianus Philosophus librum edidit inscriptum *Encomium Muscæ*. Secundò. Nasus abscissus interdum aut auricula, arte medica interdum reuniuntur, eademque vivificantur anima.

Resp. ad 1. forsan consopitam fuisse potiùs, quàm mortuam; cujus est signo, quòd si multum temporis differatur pro illo experimento faciendo postquam suffocata fuit; quamquam Adversarii protervum judicent id inficiari, eò quòd nullum vitæ indicium præbeat. Præterea Resp. quòd non eadem est numero, sed alia numero, ex materia sic disposita virtute corporum cœlestium, ut consuevit de Phœnice dici.

Ad 2. Resp. nos loqui postquam totum fuit destructum. De quo videri potest Guerinois.

Alia quædam videri soluta possunt apud Guerinois, cui quia nil aliud addendum occurrit, idcircò eum adeas.

9. Arg. 2. probando, quòd quantùm est ex parte ipsius causæ redire queat. Causa postquam suum produxit effectum, adhuc suam retinet virtutem, in qua illum continebat: ergo reproducere illum valet. Conseq. sequitur, quia eatenus effectum producere causa potest, quatenus illum in sui continet virtute. Ant. prob. Virtus saltem principalis, qua causa effectum continet, est suæ entitatis perfectio, sed postquam suum produxit effectum, adhuc suam retinet entitatem: ergo &c.

Si respondeas negando conseq. & ad prob. dicas, quòd causa eundem potest producere effectum, non solùm quatenus illum virtute continet, verùm & quatenus actionem in virtute continet. Et quia, ut probatum est, nequit eadem numero redire actio. Idcircò nec idem numero effectus.

Contra est, quoniam eadem est de actione, ac de effectu difficultas, & eodem potest modo probari, quòd in virtute actionem contineat. Aliter itaque

Resp. primiter, quòd virtutem suam retinet materialiter, & entitativè, non verò formaliter, & in ratione virtutis relatè ad illum effectum; quia cùm illum jam extra sui emiserit virtutem producendo, non ultra eundem in eadem sua continet virtute.

Præterea dico, quòd eandem retinet virtutem, sed tamen jam expletam, adeoque non ultra explebilem in ordine ad effectum illum.

10. Arg. 3. adversus secundum ratiocinium nostrum. Stat unitas effectus cum duplici fieri, ut patet, si idem à Deo reproducatur effectus: ergo etiam duplici cum actione.

Resp. dist. ant. cum duplici fieri tantùm materialiter duplici, concedo, formaliter duplici, nego. Tunc etenim est unum formaliter fieri, quatenus Divinam respicit actionem, quæ est eadem vel formaliter vel eminenter.

Aliud fieri posset arg. nimirum quòd res per unam actionem producta potest per aliam conservari, ut dum aquæ ab igne calefactæ admovetur idem, vel alius ignis denuo post aliquod temporis intervallum.

Verùm facillimè Resp. quòd tunc conservatur conservatione, non intrinseca, & per se, sed extrinseca, & per accidens, nimirum removendo oppositum.

Alia quædam legi apud Cav. possunt hic §. 2. ad 1. & 2. arg.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Res permanens etiam totalem post ruinam potest eadem numero divinitùs reproduci.

11. QUantùm ad Hominem, in quo partes separatæ ambæ superstites perdurant est Fidei dogma resurrectio futura.

Quantùm ad alia prob. miraculis Sanctorum, quorum meritis, & precibus, Bruta nonnunquam mortua ad vitam revocata sunt, & præsertim miraculo illo, quo D. Sylvester Papa Taurum resuscitavit Romæ, præsentibus Constantino, & Helena tunc recenter conversis.

12. Prob. præterea ratione. Actio Dei continet eminenter actionem causæ creatæ: ergo eundem reproducere potest effectum creatæ causæ.

Prob ulteriùs. Etenim (ut Durandus annuit) potest Homo supernaturaliter resuscitari; sed in Hominis resurrectione reproducentur complura accidentia eadem numero ad perfectam Hominis unitatem: ergo &c.

Conf. Tametsi tum materia Hominis, cùm ejus Anima rationalis foret annihilata, adhuc idem posset Homo à Deo reproduci: ergo & aliæ res penitùs destructæ. Ant. prob. ex D. Aug. qui 22. de civit. Dei, *si caro*, inquit, *humana omnibus periisset modis, nec alia ejus materies in illis naturæ latebris remansisset, undè vellet eam repararet omnipotens.*

Prob. denique. Nulla est adducibilis implicantia: ergo &c.

§. V.

Solvuntur istorum Adversariorum argumenta:

13. ARg. 1. Arist. 6. Ethic. cap. 2. approbat Agatonis dictum, quòd *hoc solùm privatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt*. Ob idque communis ea est maxima, quòd *ad præteritum non datur potentia*.

Resp. loqui naturaliter, ac de Deo ordinaria utente Providentia. Et interpretationes aliæ legi apud Mastrium possunt hic num 159. Eò vel maximè quòd axioma illud ad *præteritum non datur potentia* intelligitur, fieri non posse, quòd id, quod fuit factum, non fuerit factum, licèt possit destrui; at non quòd id, quod est factum, nequeat iterum fieri si destructum fuerit.

Contra. Hæc privatur etiam de absoluta potentia, quod est facere, quæ contradictioni sunt obnoxia; sed reproducere destructum involvit contradictionem: ergo &c. Prob. min. Esset idem, quod reproduceretur, & non esset idem: ergo &c. Ant. quò ad p. p. supponitur. Quò ad 2. prob. Esset discontinuatum à seipso: ergo non foret idem. Prob. ant. Inter ipsum ut priùs existens, & ut posteriùs existens mediaret duratio, nimirum mediaret tempus inter corruptionem, & reparationem: ergo quemadmodum hac ratione Thomista dicit, nec supernaturaliter posse idem corpus simul in pluribus replicari locis, quia foret à seipso discontinuatum per corpora interjacentia, adeoque non foret unum, ita quia mediaret duratio, &c.

Resp. nego min. Ad prob nego ant. quò ad 2. p. Ad prob. nego ant. cujus ad prob dist ant inter ipsum existens priùs, & existens posteriùs sumpto ly *existens priùs, & posteriùs* in sensu composito, nego, in sensu diviso, concedo. Dum enim existens esset posteriùs, non ultra esset existens priùs, & dum fuit existens priùs non erat existens posteriùs, sicque in statu existentiæ nihil mediat; quia non simul foret existens priùs, & posteriùs, sed duntaxat succedaneè. At si corpus simul in pluribus replicaretur locis, inter ipsum existens in uno loco, & existens in alio, simultaneè in sensu composito mediaret distantia.

Hinc habes, quòd minùs benè Guerinois hic §. 4. præfato utitur ratiocinio ad probandam tertiam sequentem conclusionem.

Dices. Ex hoc sequitur, quòd foret præteritum, & non foret præteritum: ergo &c. Prob. ant quò ad utramque p. Quò ad primam quidem, quia præteritum est id quod fuit; illud autem fuisset antequam destrueretur. Quò ad 2. etiam, quia quod est præsens non est præteritum; sed hoc ipso, quod reproductum foret, existeret præsens: ergo non foret præteritum.

Nec quorundam valet solutio dicentium, quòd hæc minimè sequeretur contradictio, quia licèt reproduceretur id, quod esset præteritum, tamen non reproduceretur ut præteritum. Non, inquam, valet. Quandoquidem licèt non reproduceretur ut præteritum, re vera tamen præteritum foret. Cùm igitur foret simul præsens, jam foret, & non foret præteritum. Aliter igitur

Resp. ad hunc cavillum, nego maj. quò ad p. p. Ad prob. dist. ant. quod fuit, & non est, concedo, quod fuit, & est, nego. Eapropter dici deberet, fuisse præteritum, quia aliquando fuit præteritum; quod enim fuit nequit non fuisse: at non quod est præteritum, quia nunc dum est reproductum, est præsens, & non præteritum.

14 Arg. 2 Si res semel extincta reproduceretur, foret & non foret eadem numero: ergo &c. Prob. ant. Foret ut supponitur, & non foret, quod prob Res ut eadem sit numero, debet eandem habere existentiam; sed tum duas sortiretur existentias: ergo &c.

Resp nego ant. quò ad 2. p. Ad prob. dico, quòd eadem foret existentia bis producta, per quam bis existeret.

15. Arg 3. Si res semel destructa reproduceretur, nec inciperet in sui reproductione per primum esse, quia antea habebat esse, nec per ultimum non esse, eandem ob rationem: ergo nullo modo.

Resp. quòd inciperet vel per primum esse, vel per ultimum non esse; non quidem absolutè, & simpliciter, ut est in prima productione, sed duntaxat relatè, nimirum comparando hoc primum esse productionis ad non esse immediatè præcedens.

§. VI.

TERTIA CONCLUSIO.

Res successiva (cujusmodi est Tempus, vel Actio, aut Motus) semel extincta, nec supernaturaliter potest eadem numero reproduci.

16. Sic S. Th. quodl. 4. art. 5. cujus verba refert Guerinois.

Prob. Si tempus elapsum posset idem numero redire, sequeretur, quòd Juvenes possent fieri Senes remanendo Juvenes, & Senes fieri Juvenes persistendo sua in senectute; sed in hoc est aperta contradictio; quia Juvenes forent, & non forent Juvenes, Senes essent, & non essent Senes: ergo nec divinitus ens successivum, quale est tempus redire potest postquam elapsum est. Prob. maj. Juvenis est, qui posteriùs est natus, Senex verò, qui longè priùs est natus; sed tum qui nati diù priùs fuissent, forent multò posteriùs nati: ergo &c. Prob. min. Cogita V. G. quòd rediret hodie dies illa felix, qua lucem aspexit Clemens XI. patruus Emin. Annibalis Albani, tum patruus natus foret post Nepotis ortum, quia patruus hodie natus esset, cùm hodie illud idem foret numero tempus, quo Clemens XI. Mundum intrasset, sicque Nepos ejus prior fuisset inter natos.

Ad hoc haud difficilis cuipiam videbitur solutio quadam ex Mayronis, Conimbricensium, & Mastrii doctrina, quæ adhiberi hic posset, dicendo, non ita tum fore; quia licèt idem numero tempus redire queat, non tamen eodem, sed diverso modo, & inverso ordine.

Verùm enim verò haud ita facilis est solutio. Quandoquidem si idem posset redire numero tempus, posset quoque idem numero redire modus, & ordo, seu, quod idem est, idem tempus eodem cum modo, & ordine: ergo semper fieri aliquod posset contradictionem involvens. Prob. ant. Potissima ratio, qua Adversarii probant, idem posse redire numero tempus, & in qua vim grandem Mastrius facit num. 156. probat, eundem quoque redire posse modum, & ordinem: ergo &c. Prob ant. Eorum ratio est, quia res destructa non evadit impossibilis, & sicut priusquam produceretur, & destrueretur erat possibilis, ita & postea, quia idem est terminus *à quo*, & *ad quem* in creatione, & productione, ac in reproductione; quia res per annihilationem, & corruptionem ad eandem redigitur nihileitatem, quam ante creationem, & productionem habebat, & non majorem. At quis non cœcus non videat, rationem istam æquè de illo eodem modo improbare, ac ordine.

17. Prob. 2. Cùm ens successivum importet ordinem prioris, & posterioris, si ens succedaneum posset idem numero reproduci, sequeretur, idem esse prius, & posterius; sed in hoc emicat contradictio: ergo &c. Prob. maj. Pars prior motus jam producti, si reproducatur, subsequetur partem motus primò producti posteriorem: ergo &c.

Respondet Mastrius num 161. nullam adesse hic implicantiam; quia foret prius, & posterius secundùm diversa, nimirum secundùm quòd diversis coexisteret temporibus.

Contra 1. Eadem emergit implicantia, quia nimirum eadem res corresponderet priori, & posteriori temporis, sicque corresponderet, & non corresponderet tempori priori, coexisteret, & non coexisteret tempori posteriori.

Secundò. Idem potest arg. fieri de ipsomet tempore, & tamen de isto respondere non sic valet, cùm tempus non coexistat tempori, secùs daretur processus in infinitum.

Nec dicere ex Conimbr. & Basil. valet, quòd prioritas, & posterioritas sunt quid accidentale, & non essentiale enti successivo, nil proinde ipsi derogans, quemadmodum si partes aquæ uno ordine concitatæ, concitentur postea inverso ordine.

Non, inquam. Hoc siquidem est falsitate plenum. Quandoquidem idem est essentiale constitutivum, ac distinctivum; id autem in quo ens succedaneum à permanenti distinguitur, est habere partes per modum prioris, & posterioris, idest quòd una pars posterior succedat priori, ut ex ipsomet nomine sonat. Aqua autem licèt sit corpus fluidum, non tamen est ens successivum, saltem successione destructionis, de qua impræsentiarum sermo est, & qua conspicimus, partem temporis ita aliam antetre, quòd hac adveniente illa perit, & sic de aliis entibus succedaneis. Eapropter successio aquæ est purè quò ad locum, non

quò

quò ad entitatis existentiam. Ultraquamquod non omnis aqua actu fluit.

Per quod sponte sua corruit alia Mastrii solutio num. 565. dicentis, quòd tunc non essent partes continui per modum prioris, & posterioris, sed partes discontinuatæ.

Corruit, inquam. Si quidem non foret tum ens successivum, de quo modò lis est, cùm istud, ut diximus, dicat essentialiter hunc ordinem. Sicque cadit extra chorum.

Præterea jam probavimus num. 56. quòd tunc deberet esse possibilis etiam idem ordo.

18. Posset denique probari ratione indigitata num. 5. sub finem. Illò adeas.

§. VII.

Solvuntur Adversantium argumenta.

19. ARg. 1. præcipuum Adversariorum argumento. Quicquid est possibile potest à Deo fieri; sed quod ens successivum productum, & destructum, idem numerò redeat est possibile: ergo &c. Prob. min. Postquam fuit productum non evadit impossibile, & eandem retinet possibilitatem, quam priùs habebat antequam primò produceretur: ergo &c. Prob. ant. Tum quia est idem terminus *à quo*, & *ad quem* in creatione, seu productione, ac in recreatione, seu reproductione. Per annihilationem siquidem, aut corruptionem res ad eandem redigitur nihilitatem, quam habebat priusquam primò produceretur. Tum quia si creatura aliqua evaderet impossibilis, destrueretur Divina omnipotentia, Thomisticè loquendo; sed postquam est semel productum, & destructum aliquod ens successivum, non perit Divina omnipotentia: ergo &c.

Quàm inutile, imò & præjudiciale sit Adversariis arg. istud, cui adeo fidit Mastrius num. 156. pænitet, Tum quia si quid probat, probat etiam esse possibilem eundem modum, & ordinem, ut num. 56. ostendi; quod tamen nec Mastrius, nec ex obversariis ullus annuit: Tum quia ipse Mastrius ibi quæsito 8. à num. 180. scribit, rem semel productam dum adhuc existit, nec diviniùs reproduci posse; & meritò quia fieri est essentialiter transitus de non esse ad esse; & tamen fieri eadem posset objectio, quia non evadit impossibilis, secùs, cùm impossibile sit id, quod contradictionem involvit, sequeretur aliquod extare existens, quod contradictionem involveret.

In forma itaque Resp. nego min. Ad prob. nego ant. cujus ad 1. prob. dist. ant. est idem terminus cum iisdem circumstantiis essentialiter connotatis, nego, in diversis circumstantiis essentialiter connotatis, concedo ant. & nego conseq. Hoc ipso namque quòd destructa fuit, essentialiter connotat, fuisse priorem. Si autem reproduceretur, foret posterior. Redintegrentur nuperrimè dicta. Repetantur quoque dicta num. 18 Et objectio quædam, quæ fieri hic posset, videatur soluta 1. Phys. q. 2. art. 6. vestigando *num materia prima appetat formas amissas* §. 3. sub num. 6. ad objectionem factam contra solutionem datam ad 2 arg.

Contra. Esse prius, & posterius est quid accidentale, non verò essentiale enti successivo: ergo non officit talis circumstantia reproductioni ejus. Prob ant. Pars, quæ fuit prior, potuisset esse posterior, & fuisset, si Deus voluisset; tunc enim non fuisset contradictio illa, quòd fuisset prior, & posterior, cùm fuisset duntaxat posterior: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob permisso ant. dist. consequens est quid accidentale enti succedaneo secundùm ejus partes divisivè acceptas, concedo, vel transeat, collectivè sumptas, nego conseq. Hoc enim modo, cùm dicat, partem unam alteri succedere, essentialiter dicit, unam esse priorem, & alteram esse posteriorem.

Dices. Ergo saltem divisivè poterunt reproduci.

Resp. nego conseq. Et suppositum consequentis. Supponit namque quòd partes successivi entis valeant consistere seorsim una ab alia divisivè, ac discontinuatè. Quod tamen est impossibile. Tunc siquidem forent, & non forent quid succedaneum. Forent, ut supponitur, quia forent entis successivi partes, & præterea si non forent quid successivum, essemus extra casum. Et non essent, quia non haberent successionem, quæ in prioritate, & posterioritate consistit.

Ad 2. prob. min. Resp. maj. fore veram, si creatura aliqua evaderet impossibilis absolutè, at non si evadat impossibilis ex aliqua duntaxat suppositione, ut in casu nostro de impossibilitate reproductionis entis succedanei ex suppositione, quòd fuerit destructum.

Præterea nego suppositum. Nusquam enim ens successivum fuit possibile sub ratione reproducibilis.

Dices. Deus sua in activa virtute infinita continet eminenter hoc mense Maii 1719. virtutem activam, qua ignis hanc numerò produxit calefactionem, sive calefactivam actionem (quæ est ens successivum mense Aprilis hujusdem anni 1719. prægresso) ergo non est illi impossibilis in ratione reproducibilis, & ex suppositione.

Resp. dato ant. nego conseq. quæ, ut esset exacta debebat sic inferri: *ergo Deus eam producere potest*. Quod verum est. Quandoquidem repugnantia, & impossibilitas se tenet, non ex parte Dei, sed ex parte ipsius calefactionis, quæ ampliùs reproduci nequit, estque impossibilis in ratione reproducibilis, propter rationes à nobis adductas.

Oppugnabis. Adhuc continetur in Divina omnipotentia: ergo est adhuc possibilis.

Resp. dist. ant continetur in Divina omnipotentia absolutè, concedo, secundùm circumstantiam illam præteriti, & posterioris, nego. Responsum ex dictis elucescit.

Præterea respondet Guerinois, quòd continetur in Divina omnipotentia secundùm speciem, at non secundùm esse numericum.

20. Arg. 2. Nullum ens creatum est impossibile in ratione annihilabilis, taliter quòd semel productum nequeat annihilari: ergo nullum quoque est impossibile in ratione reproducibilis.

Resp. nego conseq. & parit. Disparitas est, Tum quia de annihilabilitate non sequuntur incommoda illa, quæ sequuntur de reproducibilitate. Tum quia plùs requiritur ad construendum rationes.

21. Arg. 3. Si ens successivum postquam destructum fuit non ultra posset reparari, id esset, vel quia non existit, vel quia præcessit, vel quia corruptum fuit. Non primum, quia nec ante primam productionem existebat; nec secundum, quia plures existunt res, quæ præcesserant. Nec tertium, quia quando primò non existebat res erat possibilis: ergo etiam modo post corruptionem. Prob. id duntaxat destruit annihilatio, vel corruptio, quod ponit generatio, vel creatio; sed hæc non ponit possibilitatem: ergo si &c.

Conf. Non magis distat impossibile à possibili, quàm possibile ab impossibili; sed per nullam potentiam potest impossibile fieri possibile: ergo & per nullam potentiam possibile potest fieri impossibile.

Secundò. Quod est Deo possibile per nullam actionem causæ secundæ potest fieri illi impossibile: ergo nullum ens possibile productum, si postea per secundæ causæ actionem destruatur, potest fieri Deo impossibile.

Resp. ad arg. ideo esse, quia præcessit, non quomodocunque, sed modo successivo per modum prioris, & posterioris, ut displicatum est cùm num. 8. tum hic sub prægresso num. 59.

Ad 1. Conf. primiter ut dixi ad 1. arg. hic de re existente etiam urget. Præterea dist. maj. quantùm est ex parte extremorum distantium, concedo, quantùm est ex modo distandi, nego maj. & data min. nego conseq Impossibile namque dicit negationem possibilitatis. Negatio autem ceu malignantis naturæ, ut à Dialecticis docetur, destruit totum, quod post se invenit. Denique nego suppositum. Illa namque res in ratione reproducibilis nusquam fuit possibilis.

Ad 2. iterum primitùs dico, militare quoque de re existente, quæ à causa secunda producta, & conservata, nequiret Deo impossibilis fieri. Præterea quòd tunc occasionaliter duntaxat, non verò formaliter à causa secunda fieret impossibile, quatenus illius productio, & destructio foret occasio, quòd reproduci ampliùs nequiret. Ulteriùs non à sola causa secunda, verùm etiam à causa prima, nimirum à Deo concurrente cum causa secunda ad illius eversionem, aut productionem, impossibilis fieret. Tandem, ut nuper, nego suppositum, quòd fuerit aliquando possibilis sub ratione reproducibilis.

22. Arg 4. Arist. hic cap. 3. docere videtur, quòd si agens est idem, & materia est eadem, est idem effectus.

Resp. Stagyritam velle, quòd effectus sit idem specie, at non numerò. Vel dicatur, eum loqui de eodem agente, eademque materia cum iisdem circumstantiis, secùs sequeretur, quòd non tantùm possibiliter, verùm etiam neces-

ſariò idem rediret numero effectus deſtructus. Præterea ſequeretur, quòd idem ſemper foret lumen productum in aere quotidie à Sole; idemque *Ubi* eodem à corpore pluries in eodem loco repetito.

23. Arg. 5. Ideo abnuitur, poſſe idem numero redire tempus, quia partes temporis realis individuantur à tempore imaginario; ſed falſum id extat: ergo &c. Prob. min. Non eſt poſſibile, aliquod reale individuari ab aliquo rationis.

Reſp. rationem illam utique familiarem apud noſtrates eſſe; nos tamen ab illa abſtinendum duximus, tunc ut tanta prolixitas vitaretur, tum quia caliginoſa non parùm res eſt, profundiorem continens matheſim.

De cætero ad arg. facilis ſolutio eſt. Negatur ſiquidem min. & ad prob. dicitur, quòd tempus imaginarium licèt quid fictitium ſit inſpectum ad modum entis, & poſitivi; tamen eſt realis capacitas negativa replebilis, ut inquit Jo: à S. Th. & nos ſcripſimus 4. Phyſ. q. 2. quæſito 4. de ſpatiis imaginariis.

Sané etiam Ubicatio, & locus realis in ſui entitate dependent ab unitate ſpatii imaginarii, ut vel obverſarii annuunt. Et in Logicæ prodromis conſpeximus, quatenus ſcientia realis, quæ eſt quid reale, poteſt cauſari à demonſtratione, quæ eſt ens rationis, & Logicæ objectum.

Videatur de hoc Jo: à S. Th.

§. VIII. & ULTIMUS.

Quæritur

Num ſaltem ſupernaturaliter ab eadem numero cauſa queat idem reproduci effectus.

24. RESP. negativé, Tum quia nec ſupernaturaliter poteſt creaturæ virtus fieri infinita. Od idque & hic urget prima noſtra ratio num. 16. poſita. Tum quia nec ſupernaturaliter poteſt eadem numero actio redire, ceu & ipſa quid ſucceſſivum.

Nec reſpondere cum eo ſæpiùs laudato in m. ſ. juverit, quòd redire ſupernaturaliter poteſt eadem numero actio, non ut quid ſucceſſivum eſt, ſed quò ad ſua inſtrinſeca, & eſſentialia; eò quòd actio ut actio dicit duntaxat, eſſe actualitatem agentis, ac per conſequens eſſe quid ſucceſſivum eſt quid accidentale.

Non, inquam, Tum quia eſſe quid ſuccedaneum licèt non ſit actionis prædicatum eſſentiale ſpecificum, eſt tamen illius prædicatum eſſentiale genericum. Actio ſiquidem eſt actualitas agentis, non permanens: ergo ſucceſſiva. Tum quia ſic reſponderi poſſet, quòd queat redire idem numero tempus, non ut ſucceſſivum eſt, ſed ut menſura motus eſt; quòd poſſit idem redire numero motus, non ut quid ſucceſſivum eſt, ſed ut actus entis in potentia eſt. Item quòd eſſe ſucceſſivum ſit accidentale tempori, & motui; eò quòd tempus ut tempus eſt, dicat duntaxat, eſſe menſuram motus, &c. & motus ut motus eſt dicat ſolummodo, eſſe actum entis in potentia, &c.



SYNTAGMA
DE METEORIS,
Ideſt Mixtis Imperfectis
Ad Quatuor Libros Meteororum Ariſtotelis.



Unctis, quos hactenùs peregimus delectabilior evadere consuevit tractatus iste; quoniam naturæ arcana, quæ in eo Philosophi vestigant, sunt causæ quorumdam effectuum, quorum quia vel causæ, & materiæ remotæ interdum sunt in locis distantibus, vel saltem formantur hujusmodi effectus procul à nobis (licèt ad nos usque, aut saltem nostros ad sensus pertingant) ut nives, grandinea, fulmina, tonitrua supra nos; vel infra nos fontes, terræ-motus, &c. Idcircò eorum origo, & notio nos præterit.

Nihilominùs tractatus iste non est, nisi appendicula quædam ad præcedentem tractatum de Ortu & Interitu. Aristoteles namque postquam ibi egit de Generabili & Corruptibili in communi, agit hic postea de quibusdam generabilibus & corruptibilibus in particulari nuper recensitis.

Et quia quæ in eo pertractanda occurrunt non præbent singularis discussionis materiam; idcircò prætermisso consueto nostro procedendi modo per articulos, per varias considerationes incedemus. Igitur

CONSIDERATIO PRIMA.

De Nomine, Natura, Causis, Locisque Meteororum.

1. MEteora latinum nomen à græco derivatur vocabulo *Meteore* quod latinè idem sonat ac eminens & elevatum; ideò tractatus iste de Meteoris inscribitur, ejusque notitia Meteorologia nuncupatur, eò quòd ejus objectum saltem magis principale sint res in sublimi apparentes, quamquam saltem ut objectum minus principale integrans objectum ejus primarium consideret nonnulla etiam in imo, ut diximus, nimirum Maris motus, terræ-motus, fontes, metalla &c. Licèt secundum aliquos ista non sint objectum nisi secundarium, & dicantur esse meteora duntaxat reductivè.

§. I.

In qua sita sit natura Meteororum, & quænam sint ejus causæ.

2. QUò ad primam quæsiti partem nonnulli putant, Meteora nullatenus substantialiter differre ab elementis, sed esse elementa attenuata, in qua facilè resolvuntur, V. G. nix, & nubes in aquam. Aliqui verò dicunt, esse quoddam conflatum ex duobus elementis, non quidem idem mixtum unum per se habens duas formas, sed aggregatum quoddam per accidens ex illis materiis singulis cum propriis formis, V. G. nivem ex aqua & aere, & sic de aliis.

Nos autem cùm videamus, interdum nubes in ventos, & non in pluviam erumpere dicendum putamus juxta dicta lib. 2 de Gener. & Corrupt. q. 2 a. 2. de vaporibus, ex quibus ipsa Meteora fiunt §. 2. in fine num. 6. quòd habent formam diversam, diversitate tamen inadæquata, & reducuntur ad illam, ac ad ejus speciem, idest sunt reductivè ejusdem speciei cum elementis, ex quibus fiunt; quia sunt formæ quædam viales, & imperfectissimæ; ut etiam diximus, formam cadavericam spectare reductivè ad illam speciem, ad quam spectat formaliter elementum prædominans.

3. Quantùm ad secundam quæsiti partem pro resolutione recolendum est, quatuor esse causarum genera, materialis nempè, & formalis, efficientis & finalis. De his ergo notulo pro Meteoris pervestigatur.

Causa materialis remota, idest materia remota, ex qua Meteora fiunt assignatur ab Arist. hic lib. 1. tex. 5. terra & aqua; proxima verò vapor, & exhalatio. His addi potest aer, & ignis, qui intra terram inclusi plures recipiunt meteorales impressiones.

Exhalatio est pars terræ subtilior, virtute caloris Solis sursum elevata, quæ solet appellari spiritus, seu spiratio, sivè anhelitus terræ calidus, & siccus. Non solùm autem ex terra, verum etiam ex ligno, ex corpore pingui, corpore oleoso, & aliis hujusmodi fiunt exhalationes. Si exhalatio extrahatur ex ligno, aut alio simili corpore solido, vocatur *fumus*; si ex corpore pingui dicitur *fuligo*; si ex corpore oleoso appellatur, *nidor* inquit Arist. 4. Meteorologic. c. 9.

Vapor est anhelitus, idest spiritus ab aqua emissus, qui est illius pars subtilior, quique calidus, & humidus sursum calore Solis levatur, & constat ex aqua in olla effervescente ascendere. Nec tantùm ex aqua verùm etiam ex mixtis quibusdam humidis, ut ex vino, cæterisque succis oritur.

4. Causa formalis Meteororum est eorum forma, quam jam diximus non differre substantialiter adæquatè à forma elementorum, ex qua fiunt, sed ad illius speciem reduci, hoc est reductivè pertinere; Idcircò facillimè ad eam redeunt, dum in elementa resolvuntur.

5. Causa efficiens Meteororum duplex est, principalis una, & instrumentalis altera. Pro instrumentali potissimum assignatur calor, qui aquam, & terram pervadens, easque attenuans in vapores, & exhalationes solvit. Pro principali plerumque assignantur Sol, cæteraque corpora cœlestia, quæ sua vi, suoque influxu tales vapores, aut exhalationes in sublime tollunt; & nonnunquam Deus ipse immediatè per seipsum, ob absconditos fines illa producens.

6. Finalis causa Meteororum est eorum finis. Hic autem duplex est, ordinarius unus, & extraordinarius alter. Ordinarius, qui semper naturalis est, est Mundi ornatus, & viventium commodum. Quædam siquidem Meteora habent aerem expurgare, reprimere Solis, & ignis activitatem. Quædam terram fœcundant, ut nix. Extraordinarius iterum duplex est. Unus naturalis, aut præternaturalis, sed per accidens, ut aeris infectio, aliique adversi eventus, ut præcipuè suo loco de Cometis dicetur. Alter supernaturalis; & est singularis quædam Divinæ voluntatis manifestatio, juxta illud Joelis 2. *Dabo prodigia in Cælo, & in Terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi.*

Hinc Meteororum portenta, alia naturalia sunt, naturalesque causas habent; alia non; quædam verò de utroque participant. Sic cometæ naturales non infrequentèr habent causas, quia cùm sint exhalationes accensæ, calidos & siccos inducunt morbos, aerem inficiunt, quo infecto animalium quoque corpora inficiuntur, bilique accensa, præcipuè in delicatis, indè excitatur ira, & ex hac vindicta, & ad illam sequitur bellum. Insuper Divino ex beneplacito significant ad futurum quidquam portendendum. Et sic dum apparent armari exercitus in aere cum curribus &c. ut pluries visum fuisse, præcipuè apud Turinum legitur, hæc naturalibus causis non putantur facta, sed ex solo Dei beneplacito ministerio Angelorum vel dæmonum. (de quibus infra consideratione tertia §. 6) Sic enim fertur Augusti tempore apparuisse in sublimi aureum circulum,

in cu-

in cujus medio erat Virgo puerum gestans, quæ Beatam Virginem cum Christo Domino in orbe regnaturos præsignabat, ex quo circulo vox audita est supra cameram, in qua Sibilla degebat: *Hæc est Ara Cœli*; ex quo Romæ templum fuit constructum, quod in præsenti Ara Cœli vocitatur. Non pauca alia contingere solent prodigia in morte magni Principis. In octaviano bello calamitatum prænuncius fuit Cometa. Pluvia sanguinea ante Castellum Civitatis Vestarum in Apulia habita, post paucos dies terræmotu corruit, cum majori Urbis parte. De singulorum impressionum prodigiis infra.

7. Pro dignoscendis locis, in quibus Meteora fiunt, recolendum est quod in lib. de Cœlo diximus q. 1. art. 5. n. 13. in fine nimirum, tres esse aeris Regiones. Una est infima, & est quæ est nobis proxima, designaturque à superficie terræ, & aquæ ad usque certum terminum altitudinis, ad quem pertingant radii solares resilientes à terra, sicut pila dùm resilit. Suprema Regio, seu Zona designatur à superficie ignis residentis in concavo Lunæ ad usque illum terminum, ad quem ignis pertingit calor. Residuum aeris illas inter duas dicitur secunda Regio aeris, in qua cuduntur pluviæ, nives, grandines &c. quia est frigida; non quidem ex natura sua, ut patet ex dictis lib. 2. de Gener. & Corrup. in præambulo §. 7. *Dico secundo*; nec per distantiam ab igne aut radiis Solis resilientibus; quia frigus, cùm sit qualitas positiva, ut probavimus lib. 2. de Gener. & Corrup. debet habere causam positivam; nec per solam antiperistasim, quia ista auget, non verò producit qualitatem; sed quia illo evehuntur vapores terrei, aut aquei, qui licèt sint calefacti à Sole, eos medio calore evehente, tamen dum ibi sunt evecti, tunc propter distantiam ab igne, & Sole, ad naturalem redeunt algorem, qui frigefacit aerem, & antiperistasi augetur.

Loca igitur, in quibus Meteora fiunt quinque sunt. Primus est suprema aeris regio, in qua fiunt Cometæ, stellæ vagantes &c. Secunda est media aeris regio, in qua fiunt corruscationes, fulgura, fulmen, lancea &c. Tertius est infima aeris regio; in qua fiunt ros, pruina &c. & nonnunquam etiam Meteora nonnulla ignita, ut candelæ ambulantes, seu lampades accensæ. De quibus locis videatur Mastrius in lib de Cœlo disp. 4 q. 3. art 5.

Quartus est aqua, in qua fiunt glacies, salsedines, & interdum Meteora etiam nonnulla ignita, ut puta in mari Helena, Castor, & Pollux super naves adhærentes. Quintus demùm est terra, in qua nonnunquam fiunt flammæ discurrentes, & faces accensæ in Cœmeteriis, & patibulis mortuorum. Et quia cavernosa est terra alicubi, interdùm halitibus exitum quærentibus concutitur, habetque multos ignes subterraneos.

De tempore, quo Meteora fiunt dicetur agendo de singulis Meteororum speciebus.

CONSIDERATIO SECUNDA.

De Meteoris in particulari, & Primò de Meteoris ignitis.

MEteora ignita interdum in aere, interdum in terra, interdum in aqua formantur, ut diximus. Obidque, ut debita cum claritate procedamus, priùs de Meteoris ignitis, quæ in aere fiunt, disserere, ut fas est, adorimur.

§. I.

De Meteoris ignis in aere apparentibus, & Primò de Meteoris ignitis supremæ regionis aeris.

1. IGnita Meteora, quæ in suprema aeris regione conspici occurrit sunt quatuor ultrà Cometam, quam, quia nonnulli volunt, interdum in ipsis Cœlis adesse, pertractandam §. sequenti mittimus.

Primum est *lampas*, ab aliis *Fax*, ab aliis *Flamma* dictum, si dum posteriores partes successivè inflammantur, quæ priùs fuerant inflammatæ extinguantur. Et tunc formatur cùm exhalatio magna in longum & latum æqualiter porrecta, tota simul inflammatur ob eam, quam habet subtilitatem. Quod nonnunquam tanto cum splendore contingit, ut quamdam diei similitudinem noctu exhibeat. Si verò partes omnes simul inflammatæ durant, dicitur *Bolis*, quæ in Mantuana destructione conspicuam se præbuit.

Secundum est *Torris* (vulgò italicè *Tizone infuocato*) ab aliis Jaculum nuncupatum, estque impressio quædam ignita in longum extensa ex unctuosa & crassa, ac uniformi exhalatione genita. Si sit longior vocatur *Trabis*. Hanc igneam impressionem se adhuc puerulum vidisse testatur in Novoli secunda noctis hora æstare annò 1639. ac si fuisset longa trabs ignea P. Benedictus Mazzotta Cœlestinus in sua triplici Philosophia pag. 39. & per horam durasse dicit, ac eo anno magnam fuisse ventorum copiam, ac siccitatem.

Tertium est *Pyramis* alio nomine dictum *Columna*; sivè *Lancea* estque idem, ac supradictum *Trabs*; quia tunc si exhalatio benè coherens sit, ac dissimiles habeat partes in crassitie, ac subtilitate, ita ut subtiliores partes eleventur, & crassiores subtùs sint, tunc æqualiter accensæ figuram pyramidis columnæ, & perpendiculum effigurant, in qua partes inferiores basim, subtiliores verò figuram columnæ referunt.

Quartum est *Capra saltans* sic dicta, quia est impressio, seu exhalatio quædam ignita formam præseferens barbatæ capræ, vel quia ardendo, Caprarum in morem saltat cum quibusdam filis veluti pilis hinc inde pendentibus. Et tunc accidit quando exhalatio est in longum, magis quàm in latum extenso sibi cohærens, & non interrupta, fila quædam, sivè fibras quasdam habens ad latera inter se sejuncta, quæ dum ignem concipiunt, flamma videtur hùc, illùc discurrere, & instar Capræ saltitare.

2. Tempus, quo apparent non solum esse de nocte, verum etiam de die testatur supradictus P. Mazzotta, & sic Lycii se vidisse anno 1650. subdens, quod Capræ mortem insignium virorum præsagire habent. Undè narrat Seneca, post hujusmodi Capras saltantes mortem Augusti contigisse, & in senatu de morte Sejani decretum fuisse; quamquam (inquit idem Mazzotta) vanis Priscorum superstitionibus acquiescendum nequaquam sit.

3. In fine hujus §. notandum cum Guerinois, quòd dicta Meteora ignita, licèt ut plurimum in suprema aeris regione fiant; attamen nonnunquam in media regione formantur, immò (addit Mazzotta) interdum etiam in infima regione. Omnia verò supremæ regionis Meteora ignita incenduntur, vel motu, vel collisione exhalationum, non secùs ac ignis ex silice elicitur; vel antiperistasi, ad eum modum, quo calx viva aquæ injecta inardescit; vel actione Solis, simili quodam modo, quo pulvis sulfuratus beneficio speculi Ustorii, & influxu Solis concipit ignem; vel denique forsan ab igne elementari, cujus scintillæ non rarò descendunt, ut in lib. de Gener. & Corrup. agendo de mixtione diximus.

§. II.

De Cometarum natura.

4. COmeta sic dicitur (ut innuit Arist. hic lib. 1. cap 7.) à coma, eo quod ad instar stellæ cujusdam comatæ sit, protendendo quædam fila, seu quasdam fibras ignitas ad modum capillorum, proindeque *stella crinita*, idest cum crinibus nuncupari solita; & ideò Cometa ab Arist. sic describitur *Astrum comatum*, idest ut plurimùm, licèt interdum nonnulli non cincinnati, & sine coma contingant.

5. Circa Cometarum naturam & locum variæ & oppositæ extant scriptorum opiniones, omissis, quæ fabulosè cecinere Poetæ, Heroum nimirum animas esse &c.

Prima igitur circa Cometæ naturam (quæ & apud ipsos Democritistas hisce temporibus exoleta habetur) fuit Democriti, & Anaxagoræ existimantium Cometam nihil esse aliud, quam multos ex septem Planetis, sivè errantibus stellis inter se conjunctos, idest ita sibi invicem propinquos, ut confuso in unum lumine unius sideris similitudinem exhibeant; hincque fieri arbitrabantur, propter majorem, vel minorem illarum Planetarum distantiam inter se, variumque situm, aut diversam dispositionem, nunc majores, nunc minores Cometæ, modo cum una, modo cum alia figura. Ad quam opinionem reducitur opinio aliorum dicentium esse combinationem variorum corporum cœlestium lucidorum.

Contra quam opinionem ab omnibus instatur. Tum quia si ex tali congressu sive stellarum, sivè corporum lucidorum consurgeret, priùs deberet videri dimidium Cometæ, & posteà totus. Nam si plures stellulæ debent coaduuari, ac

corpo-

corpora lucida, priùs utique duo vel tres coibant quam ao. Quod respuit experientia. Tum quia sequeretur alternis diebus cometam videri notabiliter immutatum, itaùt si una nocte conjunctæ sunt sex, altera nocte plures essent disjunctæ, quia cœlorum motus, ex quibus ea conjunctio dependet semper variantur. Tum quia Planetæ non exeunt à Zodiaco, & Tropicis, cometæ verò videntur in aliis Cœli regionibus. Tum quia Planetarum conjunctio brevi tempore, cometæ verò per dies, interdum per menses, & interdum per annos durant. Tum quia eodem tempore, quo Planetæ observati sunt divisi, visus est cometa, & è contra conjuncti observati sunt Planetæ, sine eo, quod cometa visus sit. Tum denique quia Cometas, vel omnes, vel saltem plerosque luna inferiores observatos esse dicemus infra.

6. Secunda opinio fuit Senecæ, & Apolonii Mundii asserentium, Cometam esse reipsa stellam errantem, seu Planetam à septem vulgatis diversam.

Contra quam opinionem nonnulli instant, ex eo quod sequeretur, non posse eodem tempore simul duos Cometas apparere, cujus contrarium testatur Scaliger exercitatione 70. in Card. & Arist. lib. 1. cap. 5. nimirum quod alter matutinus, alter vespertinus diversis diebus cum diversa latitudine & figura observati fuere. Quæ tamen refutatio, licèt urgeat Pythagoreos, qui unam tantum dicebant esse stellam, tamen non urget horum opinionem, quia hæc opinio docet non semper esse eamdem stellam, sed diversas, quæ separatim variis temporibus se videndas exhibeant, quæque diversum habeant motum, & modo sursum, modo deorsum ferantur, appareantque, cum nobis propinquiores per descensum fiant.

Alii refellunt, ex eo quod idem Cometa modo major, modo minor evadit; quæ variatio in Cœlis incorruptibiles cadere nequit.

Nec tamen ista ratiocinatio urget. Tum quia plures denegant Cœlis incorruptibilitatem, & soliditatem. Tum quia dicunt non fieri majorem & minorem, sed solum sic credi à nobis, quia modo magis, modo minus apparet, secundum quod diversimodè situatur, vel Sole illustratur. Aliter igitur

Instatur ut supra, quia omnes stellæ errantes moventur sub Zodiaco. Insuper cum solis motus determinatus sit, accessus & recessus hujus stellæ ab ipso, determinato tempore fieri deberet, quod non experimur.

7. Tertia opinio fuit quorumdam innominatorum apud Mazzotam de Philosophia naturali pag. 13. eamque renovarunt Cartesiani, volentes nullos ex Cometis esse meteora ignita, sed esse ingentis crassioris materiæ massam, solaribus radiis collucentem in Cœlis, addentes proindè, Cometas non in suprema aeris regione, sed in spatio, quod inter stellas fixas, & Saturnum interiacet haberi.

Quæ opinio ex eò falsa constat, quia (ut §. sequenti constabit) negari nequit quosdam cometas inferiores Luna, seu infra Lunam dari.

Aliæ, & quidem efficaces, hujus opinionis oppugnationes videri possunt apud Guerinois.

Remanet igitur, quòd (ut inquit Arist. & Ptolomæus, cæterique) Cometæ Luna inferiores (si naturaliter sint facti) esse exhalationem valdè pinguem, crassam, & viscosam, cujus partes inter se benè cohærent, & coagmentantur. Cometas autem Luna superiores, si quæ sunt, esse vel de novo à Deo creatos, vel esse quædam corpora Cœlestia à conditione Mundi sicut alia corpura cœlestia, licèt non corpora æterna, ut Seneca prætendebat. Pro quo sit

§. III.

De Cometarum loco.

8. Cometarum locum esse solos Cœlos tenentur dicere omnes, quos præcedenti §. 2. confutavimus profitentes, Cometas nihil aliud esse, nisi Planetas conjunctos, aut stellam quamdam, aut etiam Cœlorum crassiores exhalationes.

Ast quia ex una parte Philosophi tuentes Incorruptibilitatem Cœli, nolentes proindè mutationem aliquam in Cœlis evenire posse, tenent, omnes Cometas naturaliter genitos esse ultimo Cœlo inferiores: Astronomi verò prætendunt etiam in Cœlis cerni. Idcircò varios in dicendi modos Philosophi abierunt, licèt omnes conveniant, aliquos procreari versus Orientem, aliquos versus Occidentem, aliquos versus Austrum, aliquos versus Aquilonem.

Arriaga disp. unica de Cœlo num. 24. dicit si non omnes, saltem ferè omnes Cometas, esse miraculosè à Deo creatos, sicque omnes illi, qui in Cœlis comperiuntur, erunt creati, non verò geniti; imò etiam eorum, qui infrà Cœlum ferè nullum esse, qui non sit specialiter à Deo creatus, & sit naturalis.

Verùm hoc paradoxum videtur Mastrio dicenti, quòd persæpe effectus illi, qui per Cometas præsagiri solent veniunt sivè præviis cometis, & adducit varios casus, quibus addi potest præseos, cum in hisce annis contigerit mors Caroli Secundi Hispaniarum Regis, & post eam tot bella adhuc grassantia: duo Reges in Hispania, Carolus III. Archidux Austriæ, & Philippus Dux Andegavensis Borbon, duo in Polonia, nimirum Augustus Saxonum Dux, & Stanislaus, iste Svecorum ac Turcarum, ille Moscorum auxilio fretus: Pestes in Polonia, & in Ungaria. Item obiit Joseph Primus Imperator, & tamen nullus præivit Cometa.

9. Mihi tamen non videtur paradoxum illud Arriagæ dictum, sed valdè probabile reor id, quod inquit Arriaga, nimirum complurimum specialiter à Deo produci, quia ut plurimum portendunt aliquod futurum liberum pendens à voluntate Hominum, vel bella gravissima, vel seditiones, vel violentas Magnorum Principum cædes. Sic Josephus lib. 7. de bello Judaico inter alia prodigia, quæ Hierosolimitarum excidium præmonstrarunt integro anno antea pependisse supra Civitatem ad instar gladii Cometam. Similem narrat Cornelius Gemma lib. 1. de divinis naturæ characterismis cap. 8. in ditione Palatinatus visum esse anno 1527. die 11. Decembris, post quem irrupit Turca potenti exercitu, & Roma à Borbonio capta est. Supernaturalis certè etiam ille fuit, quem referunt Conimb. apparuisse Attalo Regnante: Ingentis enim adeò magnitudinis erat, ut totam viam lacteam occuparet, ad quem prorsus formandum nec totus terraqueus globus satis fuisset si in exhalationes solutus fuisset, ut idem Mastrius recitat. Et vix in historiis invenietur unquam Cometa, qui aliquid simile non portenderit. Et præsertim id colligitur ex illis duobus Cometis, qui apparuerunt 1558. & 1559. Nam tunc temporis mortui sunt Carolus V. Imperator, Paulus IV. Pontifex, Henricus Secundus Rex Franciæ, Rex Angliæ, Rex Lusitaniæ, Rex Daniæ; non paucæ quoque Reginæ, scilicet Poloniæ, Angliæ, Hungariæ, Franciæ, Dux Venetorum, & Ferrariæ, ac quindecim Cardinales, ut refert Albertus Lazari pars 2. *motivo* 20 pag. 534. & Zanard. part. 3 univers. element. quæst. 8. sub Mauritio item Imperatore alias fuit Cometa dictus *Xiphias* à forma ensis, quam habebat, & eo tempore Padua combusta fuit, & Roma obsessa ab Agilulfo Rege Longobardorum, & à Saracenis Trinacria passa multa mala fuit, & tunc infamis ortus Maumethi accidit. Quot sanè mala non prædixit ille Cometa 1618. qui & mortem prædixit Imperatoris, totque bella, quæ posteà in Italia, Germania, Gallia, Hispania, & tota Europa.

Ad oppositionem Mastrii Resp. quòd licèt non semper, imò nec ità frequenter ad istos effectus præcedant Cometæ; quia Deus solùm quando ei placuerit vult eos prænunciare: benè tamen è contra ad istos cometas subsequantur tales effectus, ut dictum est, eò vel maximè, quod aliundè prænunciari possunt, puta ex siderum aspectibus, & conjunctione.

Verùm quicquid sit de hoc, potest dici cum Casino apud Jo: Bapt. du Hamel in sua Philosophia veteri & nova parte 2. Physicæ, quæ est tomunculus 5. dissert. 3. quæ est de siderum motu cap. 10 & Goudin hic in sua ultima editione, nonnullos esse specialiter à Deo creatos, nonnullos verò esse corpora quædam cœlestia condita ab initio Mundi, illa nimirum; quæ nonnunquam in cœlis (si verum est) cernuntur; quæ non semper nobis apparent, vel ratione distantiæ, vel impedimento aliorum corporum cœlestium, vel alio impedimento nobis occulto, aut quia radiis alicujus Planetæ occultantur.

Nec hoc mirum esse debet (inquit prædictus du Hamel) quia patet, quòd Mercurius plures interdum revolutiones absolvit, nec sub obtutum cadit: stella, quæ est in collo Ceti, quæ per 7. aut 8. menses singulis annis oculorum aciem fugit: & de illis quatuor, de quibus diximus lib. de Cœlo q. 1. art. 2. §. ad 4. argu.

His addere possumus, ideò non semper videri ad modum Cometis, quia plerumque cauda est illi adventitia, & sublunaris. Quod explicari potest doctrina Arist. s. Meteor. sum. 2. cap. 3. & 4 dicentis, interdum comam appendi alicui ex Stellis nobis notis, vel fixæ, vel errantis; sicut interdum fiunt quædam areæ lucidæ circa Solem, & Lunam; Imò (quod mirabilius est) moventur eadem latione, qua fertur Stella illa ex peculiari attractione sideris, secum illam ferentis. Quod quomodò contingat eleganter declarat vir eximius Cortunius sect 31. caput enim ipsius Cometæ, vel corpus exhibet ipsa Stella, reliquum verò coma, vel cauda ejus, perpendiculariter supposita in suprema aeris regione, ita tamen ut eam nobis non tegat. Quæ quidem cauda, vel coma licèt distet à Stella ferè per immensum spatium, adhuc nobis apparet contigua cum illa, quia est sub ea in eadem linea recta cum oculo. Est enim regula apud Perspectivos, quòd duo vel plura corpora æqualiter distantia ab oculo, si in eadem linea recta cum oculo sint situata ab eo apprehenduntur conjuncta, quia oculus non apprehendit corpora aliqua inter se distare, nisi visis corporibus interjacentibus.

10. Objicies contra præfatam doctrinam, quòd semper ex hoc sequeretur aliqua mutatio in Cœlis, quia Cometes modo est major, modo minor.

Resp. nego sequelam. Ad prob. annexam dicatur vel id non evenire in Cometis, qui in Cœlis habentur, licèt eveniat in aliis: Vel si in illis evenit, provenire ex coma, vel cauda ei adventitia, modo prædeclarato: Vel demum non fieri majorem, aut minorem, sed ita apparere, ex eo quod modo magis, modo minùs sit nobis conspicuus.

11. Hæc dixi, ne quam lib. de Cœlo q 1 art. 2. §. 3. ad 4. & ult. arg diximus toties repetamus deceptionem, quam suis in observationibus quidam recentiores Mathematici & Astronomi patiuntur, asserentes proindè Cometas in cœlesti regione generari, ac existere. At si repetere voluerimus non inutile erit; quoniam persæpè ipsi suas repetunt observationes, ad quas recurrunt quotiès aliquid rationi pugnans propugnare conantur; volentes nos eorum observationibus acquiescere, quamquam adeò discordes inter se ipsi sint; quando nullatenus ipsi rationibus nostris acquiescere volunt, ut inquit Mastrius.

Quibus addo, quòd Jn: Saguens, qui alliàs systema Tychonicum cæteris cunctis præfert videns tot incohærentias in illo, compulsus est, fateri, quàm modica sit certitudo & magna incertitudo in iis, quæ ab Astronomia suis in observationibus dicta vel cogitata sunt, ut ibi etiam nos retulimus in Tychonico systemate, quod rejecimus in lib de Cœlis q. 3. Et quidem probabilius est, decipi eos, quam deceptos fuisse illos omnes, qui ante Tychonem scripserunt, præsertim verò Regiomontanus, & Volgelius solertissimi viri in observationibus mathematicis, imò insignes quoque Mathematici Viennenses, & Græcienses, Bartholomæus Sculterus, Thomas Erastris, Andreas Nolthius, Thadæus Hagerius, & alii, quos refert Aversa, illum eundem Cometem, qui apparuit 1577. ansam Tychoni scribendi præbuit, diligenti indagine sublunarem ostenderunt, præ cæteris verò doctissimus Claramontius in suo Antychone, & lib de tribus novis Stellis, & rursus in Apologia contra Heplerum, ac demum libro italicè inscripto *Difesa dell' Anticone*. Hi omnes adversus Tychonem & Tychonistas incunctanter monstrarunt & illum Cometam 1577. & alios esse sublunares, non verò cœlestes.

12. Objicies contra hoc, quia videmus Cometas moveri motu pernicissimo Cœlorum diurno ab Ortu ad Occasum spatio 24. horarum, licèt motu particulari, vel ex impetu prædominantis sideris, vel allicientia materiæ modò ad Aquilonem, modò ad Austrum aliasvè locorum positiones moveantur; non possent autem tanta pernicitate moveri si essent in aeris regione etiam suprema, cum multum ista distet à Cœlis, & præcipuè primo mobili: eò vel maximè, quòd inter aerem, & Lunæ Cœlum mediat sphæra ignis per nos.

Resp. primitèr dici posse sympathia quadam aliquo sidere trahi, sicut num. 10. de Solis & Lunæ aeris, ac de coma, aut cauda alicui Stellæ adventitia. Deindè dici potest illam distantiam non minuere sensibiliter motus pernicitatem: sicut videmus Cœlum Lunæ moveri motu diurno, & tamen inter ipsum & primum mobile mediant septem Cœli, videlicet sex aliorum, sex Planetarum, & Firmamentum.

Alia quædam argumenta desumpta præcipuè ex Cometarum parallaxi videri possunt soluta apud Mastriam in lib. de Mundo, & Cœlo disp 4. art. 4. num 47. & præcipuè ex parallaxi dictæ Cometæ, quæ apparuit anno 1577 ubi ostendit quod regula parallaxis pro astris sit aptissima, secùs tamen pro Cometis, quia illi non habent motum semper regularem, ut præsertim compertum est in Cometa, qui apparuit anno 1680 qui irregularissimè movebatur, ut videre est apud du Hamel cit. & haber refractionum diversitatem. Videatur ipse.

Libet verò rei hujus occasione dicere obiter quid sit Parallaxis. Parallaxis igitur est differentia loci, in quo videtur aliquod corpus eminùs sivè cœleste, ut Planeta, sive Cometa &c. ab eo loco, in quo reipsa est corpus illud. Locus verus Planetæ, aut alterius est ea pars Firmamenti sub qua videretur si à centro terræ spectaretur; at cum non simus in centro terræ, sed ab eo integra terra semidiametro distemus, hinc fit, ut Planetæ, vel Cometæ &c. nobis semper non appareant sub iisdem Firmamenti partibus, sub quibus reipsa existunt, sed eò sensibiliùs varietur hic aspectus, quo talia corpora sunt nobis viciniora. Hinc ex Parallaxi majori certò infertur Planetam esse nobis propiorem. Exemplo illustratur hoc. Nam lampas ex laqueari fornici pendula spectatori ad latus posito non videtur esse sub ea laquearis parte, sub qua re vera est, & videretur à centro Fornicis spectata. Quæ differentia loci veri & visi eo major est, quo lampas est propior spectatori, & longiùs distat a laqueari, à quo pendet. Hæc itaque differentia loci visi, & veri *Parallaxis* dicitur, & major est para laxis sideris propinquioris, quàm remotioris. At ut hæc differentia certò nobis constet, necesse est scire, eam partem Firmamenti, in qua sidus, vel corpus aliud apparet, & in qua esse debet. Quod fieri vix potest, non habitu respectu ad aliquam Stellam in Firmamento positam, quatenùs Planeta ei videtur propior, aut remotior. Hinc quia Sol omnes nobis Stellas sua luce eripit, ejus *Parallaxis* observari vix potest.

13. Et sanè quosdam Cometas esse sublunares inficiari nequeunt Adversarii, Tum quia non est probabile Astronomos à nobis relatos fuisse toties & jugiter hallucinatos, Tum quia ut refert du Hamel cit Cometa, qui anno 1665. die 20. Decembris postmodum circa 4. Januarii diem fuit terræ proximus.

14. Cometas autem frequentiùs generari intra tropicos observavit Arist quia extra tropicos motus Solis, & Lunæ non solum non attrahit, & congregat materiam cometarum, sed & congregatam dissipat.

Demum in media, aut ultima regione aeris non congregantur Cometæ, quod patescit tum ex eo quòd Cometæ moventur ab Ortu in Occasum, qui motus non pertingit ad mediam & infimam regionem aeris; Tum ex altitudine observata illorum, quæ omnes superat montes, cum tamen media regio aeris sit infra aliquos sublimiores montes. Verum est tamen quod postquam sunt geniti, interdum descendunt.

§. IV.

De Cometarum tempore, figura, & colore, eorumque diversitate, ac significatis.

15. QUòad primam partem tituli, nempè de tempore Cometarum communiter dicitur omne tempus esse pro Cometis aptum, quamvis unum tempus possit esse aptius alio.

Quòd omne tempus aptum sit patet ex eo, quòd aliqui cernuntur in Æstate, aliqui in Autumno, alii Hyeme, alii Vere. Sic enim Arist. teste, imperante Athenis Hercule, mense Januario dicitur, Cometam apparuisse; Et anno 1652. A die 17. Decembris usque ad 12. Januarii 1653 Item ille, quem retulimus §. antecedenti num. 13.

Quòd vero aliquod tempus sit magis proportionatum communiter etiam docetur, & dicitur esse Autumnum, & Verem, quia Æstate exhalationes ascendentes facilè Solis calore dissolvuntur, & Hyeme ob frigus sursum ascendere non ita facilè permittuntur & concrescunt frigore.

Item nocturnum tempus, in quo non sicut in die virtute Solis dissipantur exhalationes opportunius videtur sivè de mane etiam, sivè de sero. Unde ut vidimus §. 2. num. 6. interdum unus matutinus, & alter vespertinus apparuit.

16. Quò ad secundam partem tituli, scilicet de Cometæ figura patet quænam sit generalis figura Cometæ ex dictis §. 2.

ſ. 2. In principio, ut ex ipſomet nomine liquet. Undè ex diverſitate comæ varietatem ſortitur. Idcircò ſi per totum gyrum coma diffunditur dicitur Cometa *crinitus*: Si verſus unam partem, dicitur *Barbatus*: ſi verſus unam partem cum notabili longitudine dicitur *Caudatus*.



Qua autem ex cauſa proveniat barba ac cauda in Cometa; dicit Mazzotta, provenire ex exhalationibus levioribus verſus illam partem diſpoſitis & accenſis, quæ ob ſui levitatem, & raritatem cauſant albicantem colorem, vel (ſi non ſunt accenſæ) illuſtratis à radiis Solis, propter quod lumen emittunt, & ideò ſemper videmus majorem partem Cometarum habere caudam Soli oppoſitam. Cæterum (ſubdit idem) non tantum ex illuſtratione evenire poteſt, quia ſic non daretur Cometa Crinitus ex omni parte. Unde ego provenire crediderim, quia Cometa comatus ſeu crinitus generatur ex exhalatione rotunda ſpiſſiore in medio, & in extremis rariore. Tunc enim fit, ut filamenta ſint circa corpus Cometæ. Cometa Barbatus generatur ex exhalatione modicè in longum verſus terram porrecta. Denique Cometa Caudatus fit ex exhalatione longiore tractu verſus unam partem extenſa.

17. Quò ad 3. 4. & 5. partem tituli, ſcilicet de Cometarum colore, diverſitate, & prognoſticis in unum ſub hoc num complecti debemus propter quam præſeferunt connexionem, & ex eorum ſivè in coloribus, ſivè in aſpectuum poſitionis diverſitate varia præſagiri ſolent.

Primò igitur communiter loquendo Cometæ rarò quid bonum prænunciant, & ut plurimum mala prænunciant, videlicet Cometæ naturales ſignificant morbos V.G. peſtes: Cùm enim eo tempore aer, quem ſpiramus multis terræ exhalationibus infectus ſit, multorum morborum popularium originem præbet. Secundò ut plurimum ſterilitates. Terra enim ferè tota ſucco deſtituitur in exhalationes reſoluto; unde annus Cometarum admodum aridus eſt, ac flatuoſus. Tertiò famem indè ortam. Quartò bella populis extra patriam ſuum victum quærentibus; eò vel maximè quia tempore, quo generantur Cometæ, abundat calor, & præſertim ſiccitas, quæ qualitates, utpotè igneum temperamentum ſoventes accendunt corpora, animoſque hominum ad bella, lites & jurgia inducunt. Quintò tempeſtates, & procellas aeri, & mari turbulenter agitatis. Sexto tandem mortes, & præcipuè Principum. Non quòd Cometæ ſpecialem influxum habeant in Principes, aut connexionem cum illis, ſed quia cum Principes ut plurimum delicatiùs vivant, & tenuiores habeant humores, ab aere, quem ſpirant faciliùs inficiuntur. De quo præſertim vide quod narravimus ſ. 3. ſub num. 8. de Cometa, qui apparuit 1558 & 1559. Tum quia Principum mors potiùs notari ſolet quàm vulgarium Hominum interitus, ideoque (ut advertit B. Alb Magnus lib 1. tract. 5. cap. 2.) Principum mortes à Cometis prænunciari creditum eſt.

Credendum etiam eſt cum Damaſceno lib 2. de fide ortodoxa cap 7 Cometas denunciare Principum mortem, tamquam ſigna ad id divinitùs deſtinata ad terrorem, & converſionem populorum, ob cujus delicta ſæpius tolluntur æqui, boni que Principes; ſicut ſæpè in pœnam diutiùs vivere mali Principes permittuntur.

18. Sigillatim autem de diverſis Cometis loquendo, placet verbaliter hìc exſcribere, quæ habet P. Mazzotta. Sic

Ex Cometarum colorum, ac motus & figuræ diverſitate Cometis dedere naturam Planetarum Aſtrologi ex Ptolomeo, quod juxta Planetarum naturam dicunt prædicere.

Sic ipſi varios diſtinguunt Cometas, ſicut & aſtra. Undè ſicut quia Mars rutilanti ſplendet luce, & veluti accenſi carbonis: Saturnus lumine ſplendet pallido, plumbeo, & lucido: Jupiter aureo, & ſic de reliquis: & ex hoc deduxerunt etiam ſidera prout colore aſſimilantur naturam illius Planetæ induere, ſicque Bootes naturam Jovis ob ſimilitudinem coloris imitatur; Spica Virginis naturam Veneris, & Martis; Arcturus naturam Martis, & Jovis, & omnia ſidera rubentia dicuntur martialia; pallida, & plumbea ſaturnina; ſi color fuerit varius, mercurialia; ſi roſeus, venerea; ſi aureus jovialia: ſic ante prognoſticum Cometarum priùs colorem (etſi ſolum apparentem) & magnitudinem debemus conſiderare, & indè cujus naturæ ſit; & ex hac colorum, ac magnitudinis diverſitate variæ aſſignantur Cometarum ſpecies.

Primus eſt *Verù* qui horrendus eſt propè Solem incedens de natura caudæ Draconis, prædicit defectum fructuum, mortem Regum, & eorum qui apti ſunt regimini. Secundus dicitur *Aſconè*; vel Mercurialis, qui ceruleus eſt parvus, & longè caudatus, prædicit mortem Regum ac divitum, ventos, ſeditiones, & hæreſim, & eſt ad modum cornu. Tertius dicitur *Aurora* vel *Matutinas* de complexione Martis coloris rubei, caudæ longæ, licèt non tantæ longitudinis ſicut Mercurialis, & cum in occidente apparuerit depreſſo capite deorſum prædicit famem magnam, combuſtiones, & bella.

Quartus dicitur *Miles* de natura Veneris, vel ab aliis *Nubes* magnus ad modum Lunæ, in tergo crinitus, cauda ad modum radii longi, poſt ſe habet crines, & emittit radios coloris Lunæ, & prædicit mortem nobilium, & ignobilium.

Quintus dicitur *Argenteas* de natura Jovis habens radios veluti puriſſimum argentum, qui habet caudam in claritate ſuperans omnes ſtellas. Prædicit hic annos fertiles in regione, ubi apparuerit, præcipuè ſi tunc Jupiter fuerit in Piſcibus, Cancro, vel Scorpione.

Sextus dicitur *Roſa*, ſive criſeus, coloris argentei auro mixti, habet rotunditatem, & humanam effigiem. Aſcribitur Soli, prædicit adventum magnarum rerum, & obitum potentiorum.

Septimus dicitur *Niger* naturæ Saturni caudatus, coloris cerulei tendentis ad plumbeum, & ſubnigrum. Prædicit annum omnium lethalem, & maximè obitum multorum bipennibus, & gladiis.

Octavus dicitur *Pertica*, oblongus, quandoque duos habens radios aliquantulum craſſiores, & ſplendidiores de natura capitis Draconis. Prædicit hic defectum annonæ, & alia.

Nonus, & ultimus dicitur *Tenaculum* emittens radium ſubcinericium, & aliquando mittit duos radios coloris plumbei. Quidam dicunt eſſe de natura Saturni, & alii Martis. At (quicquid ſit de hoc) ipſe tamen ſecundùm omnes prædicit mortem popularium, defectum annonæ, & jacturam in viribus & Regnis.

19. Super omnes obſervandi ſunt illi, qui barbam & caudam habent, num longa vel brevis, & verſus quam partem dirigatur ipſa cauda. Quæ omnia ſignificant juxta naturam Planetarum, quam participant.

Inſuper conſideranda ſunt ſigna, in quibus Cometa apparet, & ſub quibus incedit. Nam in aqueis ob affluentiam pluviæ importat ſterilitatem & peſtem: In terreis ob ſiccitatem ſterilitatem: in aereis ventos inuſitatos, ſeditiones, & aliquando peſtilentiam: In igneis bella, incendia, & æſtus &c. Præterea ſi eo tempore, quo primum apparent, erecta figura cœleſti, & cognito ſigno, in quo fuerit, conſideretur iſte, in duodecima, aut in octava affert contagia, mortem popularium, peſtem & jacturam annonæ: in undecima mortem nobilium: in ſecunda poſt Solem occidentem (ſi fuerit) Regum mortem: In nona Religionis jacturam.

Præterea notetur diſtinctè, ſemper Cometam malum ſignificare circa ea, quæ ſignificat domus, in qua fuerit in figura cœleſti.

Ulteriùs notatum eſt, Cometam apparentem in ariete ſignificare bella, & mortes, Principis alicujus interitum, & aliquando incendium, notabilem ſiccitatem, capitis & oculorum læſionem, & morbos; exaltationes collum, & dejectionem nobilium; quia in ariete exaltatur Sol, & domus eſt Martis.

In Tauro validos ventos, corruptionem annonæ; frigora, terræ-motus, deſtructionem pecudum, & ruinas ædificiorum. In Geminis bellorum initia, ægritudines, & mortem præcipuè puerorum, & prægnantium abortum, avium interitum, famem, ventos, tonitrua, vivendi luxum, morum intemperantiam, Religionis contemptum, & Religioſorum perturbationem. In Cancro bella, ſubmerſiones, viarum obſeſſiones, famem, peſtem, Principis, vel hæredis Regni mortem. In Leone bella cum cæde multorum (maximè in Oriente) Principum mortem, ſegetum deſtructionem à locuſtis, quadrupedum luem, ac canum

rabiem. In Virgine Mercatoribus damna, injustitias, vexationes, febres, præsertim in fœminis, armorum strepitus, & Principum cœdes. In Libra nobilium mortem, proditiones, jacturas mercium, penuriam pluviæ, ventos & terræ-motus. In Scorpione contentiones inter Principes, iram inter populares, nobilium mortes, pericula prægnantium, & frugum corruptionem. In Sagittario nimiam austeritatem, contumelias & bella. In Capricorno bella, rixas, Regum mortes, persecutiones hominum piorum, grandines & nives. Quod totum significat Cometa, tametsi non sit in Capricorno, dummodo sit de natura Saturni. In Aquario diuturna bella, mortem Regum, dissidium inter nobiles, aeris obscuritates, repentinas mortes, & pestem. In piscibus contentionem magnam ob Religionem, pericula in navigatione, bella inter Reges, Ecclesiasticorum damna, dissidium inter cives, & inobedientiam plebis. Quæ quidem denotat ob naturam, quam assumit à signo, in quo est, & à dominio illius.

Insuper Cometa apud Saturnum, quia naturam illius induit, significare dicitur pestem, proditiones, sterilitatem. Circa Jovem legum mutationem, & Magnorum Ecclesiasticorum mortem. Juxta Martem bella. Juxta Solem toti orbi magnam cladem. Juxta Lunam inundationes, aliquando siccitates. Juxta Venerem Principum, ac nobilium Mulierum mortem. Juxta Mercurium varia & multa mala. Juxta Lyram deliciosis, & nobilibus damna. Juxta coronam, & in tropicis, ac Aequinoctiis, Regum, ac Principum interitum. Juxta Serpentes, & in Scorpione pestem. Juxta Trigonum aereum perniciem ingeniorum, In signis fixis terræ-motus. Juxta caput Gorgonis, & signas armatas, juxta Andromadam, & Cassiopejam servitutes, & desolationes. Juxta Eridanum, & Argo, inundationes valdè notabiles, aliquando siccitates, & ventos pariunt.

Insuper notant Astrologi, quòd si Cometa matutinus fuerit, & manè ante Solis ortum in parte Orientali conspiciatur, dicunt, significare mortem, vel destructionem, & molestiam magnam Regis, aut Principis illius Regionis, aut Civitatis, quæ subjecta est signo, in quo apparet Cometa. Et hoc multò magis significat Cometa vespertinus, & si in Occidente apparet. Cardanus tamen dicit, quod Cometæ (maximè in Oriente) significant ortum magni viri legislatoris: In medio Cœli ortum præpotentis Regis in ea Regione, quæ subjicitur signo Cometæ; tardò verò significat hoc in Occasu, & succedente.

Cometæ immobiles ostendunt seditiones, mobiles verò bella ab externis.

Item motus Cometarum extra ordinem signorum. Ut si ex Geminis veniat ad Taurum, ut fuit Cometa anni 1653. importat mutationem legum, & statutorum: hostes item externos, & peregrinos. Secundum verò successiones signorum V. G. à Geminis ad Cancrum, importat bella civilia, & seditiones internas. Si ab Oriente in Septentrionem moveatur, adducit ex partibus Orientis, vel pestem, vel legem, aut Principem, qui borealem nationem perturbet. Si ad Austrum multas humiditates affert, & annonæ penuriam.

Nocent insuper Cometæ illis partibus, versus quas dirigunt extremum caudæ, aut barbæ, quia ignis semper respicit minerale suum, undè nascitur exhalatio: & quia versus illud radii influunt, quod respiciunt. Et præcipuè inquiunt Astrologi nocere Cometas partibus illis, quibus perpendiculares fiunt. Nocent etiam illis hominibus, quibus figura nativitatis suæ concordat cum figura Cometæ, vel qui habent pro ascendente signum, in quo est Cometa.

Tempus quando accidunt Cometarum effectus sic non ignoratur. Si Cometæ apparent in Ortu effectus eveniunt quatuor primis mensibus. Si in medio Cœli, secundis quatuor mensibus. Si in Occasu in ultimis quatuor. Si diù durat Cometa, diù durabunt effectus; si parùm, parùm durabunt, & magis, vel minùs stabilem statum significant in perturbatione, quam afferunt, juxta majorem, vel minorem durationem, quam habent Cometæ.

Miraculosè autem plura significare observatum est, de quibus nulla assignatur regula, sed hæc tantùm naturalibus ex causis importat. Nec tamen horum omnia se credere vera fatetur idem Mazzota, & si ita contigerunt, hoc tantum ea divino beneplacito fuit; eo quod naturaliter cum tot enarratis effectibus non judicet Cometam connecti. Quod & ego lubenter confirmo.

§. V.

De Meteoris ignitis Mediæ Regionis aeris, & Primo De Fulmine, Fulgure, Corruscatione, Tonitruo, & Fragore.

20. CUncta hæc in unum complectimur, quia Tonitruum, & Fragor ex fulmine aut fulgure causantur; fulmen verò, & fulgur, & corruscatio eandem sortiuntur materiam. Quæ materia est exhalatio terrea magis crassa, nitrosa, sulphurea evaporata. Ob idque loca, quæ minus cretacea sunt, minus quoque fulminosa sunt, licèt & ibi fulmina eveniant propter materiam, quam ex propinquis locis illuc afferunt venti, & nubes.

Ista igitur exhalatio vel intra nubem, vel in spatio inter nubem superiorem & inferiorem inclusa, & ibi vel agitatione, vel antiperistasi, ad instar calcis vivæ in aquam injectæ, vel ex refractione radiorum solis, sicut in speculo ustorio accensa rarescit, & ad majorem locum se extendit, adeoque dum ampliorem situm quærit, cum inveniat nubem clausam, hinc indè discurrit ad nubis latera, sicque strepitum edit, & tonitruum, ac postea deorsum tendit cum impetu, diciturque fulmen, iterumque fiunt tonitrua in scissione nubis; & quia in scissione nubis intervenit major violentia, ideò & major sonus formatur, qui dicitur Fragor, quem nonnulli distinguunt à Tonitruo, dicentes, quod Fragor est ille horrendus sonus in nubis disruptione à fulmine exeunte prodiens, simili quodam modo, quo castanea ad ignem posita incalescente spiritu intùs existente cum strepitu frangitur, dum quærit ampliorem locum, & sonum edit. Fulgor autem dicitur si usque ad terram non perveniat exhalatio illa, sed per aerem cadendo resolvatur; Fulmen verò si usque ad terram pertingat.

Eamdem igitur materiam sortiuntur Fulmen, ac Fulgur cum sola varietate raritatis, aut densitatis, quatenus materia fulminis non est adeò rata, seu rarefacta, & aliquando nonnullæ ejus partes ita sunt condensatæ ut lapidis duritiem sortiantur, & evadant *Lapis fulmineus*. Unde non est idem Fulmen, & Lapis fulmineus, cum multotiès sit fulmen, scilicèt quotiès ad terram pertingit, etsi lapis non adsit; & ideò fulmen ut tale nihil plus habet supra fulgur, nisi quod fulgur in aere dissipatur, & usque ad terram non pertingit: imò nec semper fulmen fert lapidem, sicut ex tormento bellico non semper globus, sed aliquando solus pulvis accensus exploditur: ars enim in hoc, sicut in aliis naturam imitatur. Et hinc Seneca inquit, fulgur non aliud esse, quàm flammam futuram fulmen, si plùs virtutis habuisset. Ad fulgur reduci potest etiam corruscatio, quæ in hoc à fulgure solum differt, quia corruscatio non colluctat cum nube impediente, undè etiam sereno cœlo, & stellato æstivo tempore erumpunt flammæ quædam formatæ istis accensis exhalationibus.

Figura Lapidis fulminei est ad modum piramidis, quia imitatur figuram ignis, à quo includebatur, & ignis intendebat illum depascere, & assimilare sibi; Et quia vapor, cùm decoqueretur (ut lateres ad ignem) inclinabat in eam partem.

Fulmineam flammam non concipi intra nubis sinum dixit Petrus Gassendus, cui probabiliter adhæret noster Goudin, sed duntaxat fulgureæ flammæ impetu exhalationis compactiores partes nubis partibus circumvolutas vibrari; quæ aliquando in aere præmaturè ignescentes innoxio ictu crepant, qui videtur immediatè supra caput nostrum, & ad aures nostras editus, cujus fulgor penè oculos nostros excæcat, & obruit. At oppositum sentit Guerinois, quia videmus fulmineam flammam e nube egredi.

21. Utrumque nimirum tum Fulgur, tum fulmen sunt Tonitruorum causa, ut vidimus. At ad ipsa sola non restringi tonitruorum causam plures addunt.

Quidam namque ut Seneca lib. 2. natural. qq. cap. 17. & Lucretius lib 6. sui Poematis, & velut probabile recipiunt Conimb. hic tract. 2 cap. 3 & Jo: de S. Th. hic tract. 3 c. 3. & Cottunius sect. 27 sentiunt tonitruum contingere absque ulla exhalationum eruptione ex sola vehementi ipsarum nubium ad invicem collisione. Tum quia majorem densitatem habent nubes quàm aqua; ex vehementi autem aquarum collisione immanis resultat strepitus. Tum quia nubes est ipsamet exhalatione densior.

Ad hanc opinionem reducitur alia Cartesii, qui hic cap. 3. num. 3. dicit oriri ex eo quòd complures nubes tabu-

latu-

latorum instar unæ in aliis superstratæ sint, interdum contingit, ut superiores magno impetu in inferiores dilabantur, & probo à simili, quod scilicet magnarum molium nivis devolutio à Jugis Alpium soni cujusdam Tonitrui similis causa est. Cartesium autem impugnat Guerinois, eò vel maximè quòd si ita dilaberentur certè usque ad terram dilaberentur. Vid. Guerinois.

Ut quod in hoc sentio proferam dico, posse quidem aliquem sonum veluti tonitrui ex tali collisione generari, sed valdè modicum, & potiùs sibilum, quàm Tonitruum dici debeat. Nec obstat, quòd nubes sit densior exhalatione accensa. Non, inquam. Nam licèt sit densior, non tamen est tantæ activitatis, cum ignis sit maximè activus.

Alii, ut Tataretus, & Orbelius tenent, posse Tonitruum contingere per extinctionem ignis in nube, quatenus illa exhalatio ignita per aerem discurrens potest in nubem multum aquosam impingere & extingui, in qua extinctione formatur sonus. Sed & hic crediderim nonnisi sibilum formari posse, velati quidam stridor; & sic etiam dici potest de opinione Anaxagoræ, qui dicebat ignem descendere de sphæra ignis in nubem, & ibi cum fremitu, & strepitu extingui, ut contingit de ferro ignito in aquam immerso.

Demum Conimb. citantes alios, non esse improbabile dicunt, etiam sine exhalatione è nubibus posse in aere Tonitrua edi. Idque vero simile fieri dicunt experimento montis Ætnæ, Vesuvii, aliorumque montium ignem eructantium, in quorum eruptione aere sereno tonitrua audiuntur, At in hoc casu (inquit Mastrius) non est dicendum, re vera aerem tonare, quia bombus ille non fit in aere, sed potiùs intra Voraginem ex collisione saxorum ejaculatorum ad se invicem, vel ad latera montis ex fremitu venti in cavernæ visceribus, & insuper fit Tonitruum illud in violenta eruptione exhalationis ignitæ cum arena, & cineribus ex cavernæ latibulis, eo modo quo generatur in eruptione globi ex bellico tormento.

Tonitruis interdum vina deteriorantur per vehementem aeris agitationem.

Complura alia de Tonitruis videri possunt apud Mazzottam, qui extenso calamo de illis pertractat.

§. VI.

De Motu, Multiplicitate, & Effectibus Fulminis, eorumque loco, & tempore.

22. 

FUlmen movetur motu irregulato, plerumque obliquo.

Nec pro hujus ratione assignanda fas est recurrere (ut prætendit Saguens) ad illam suam Maignani, aut Ponii doctrinam, quod nempè ignis ex natura sua quaquaversùm moveatur. Non, inquam. Quandoquidem si hæc esset ratio, deberet nonnunquam fulmen etiam sursum moveri & ascendere.

Ratio igitur est, quia ignis natura, quam in se habet Fulmen sursum movet illud; vis vero, qua à nubibus propellentibus fuit dejectum, addita ejus gravitate, deorsum impellit. Qui conflictus durat donec cedat ignis, & interim media fertur via, sic concursando, & superato tandem igne, deorsum tendit, & multotiès speciali Dei nutu in peccantium vindictam ejaculantur, sicut legimus Fulmina e nubibus ejaculata esse ferientia Ægyptios, & non lædentia Hebræos.

23. Fulmen triplex vulgò assignatur his nominibus Græcis significatum, nempè *Argeta*, *Præster*, & *Psoloexta* latinè *Terebrans*, *Discutiens*, & *Urens*. Primum est valdè subtile, & flammeum, & per angustissima intrat, scindit, & dividit, ac fragmen facit. Secundum alio nomine dictum *Dissipans* ictu rumpit, non perforat propter materiæ crassitiem. Tertium urit, & percutit, imprimitque notas. Sunt etiam fulmina alia, quæ dicuntur *bruta*, quæ tantum fontes, & aquas feriunt.

Superest exponere fulminum effectus. At hoc opus & labor est. Adeò enim mirabiles sunt, ut humanum superare videantur captum.

Juxta diversitatem materiæ, qua constat, diversos habet effectus, penes sui viscositatem, densitatem, aut velocitatem: sicut etiam juxta diversitatem rerum, quas ferit:

Igitur si tenuissimæ sit materiæ; nec tanto cum impetu vibratum, minùs nocet.

Quando exitum facilè reperit in re, in quam impingit, ut ipse detineri non possit, lambit, & denigrat aurum, non consumit. At e contra ubi resistentiam invenit, fortiùs insistit, ut inquit Arist. lib 3. cap. 1. Unde de fulmine sicut & de tormento bellico illud scribi potest: *In molli frangitur*.

Quæ ratio valebit ad dignoscendum undè proveniant quamplurimi fulminis effectus.

24. Primitèr enim quando aurum, æs, argentum, aut ferrum dissolvit, illæsis crumenis, vaginis &c. Sicut & dum consumit aurum, aut argentum in vestibus, aut alio panno, intacto panno, ultra quod dici posset, provenire ex qualitate aliqua minerali antipatica elata in exhalationibus elevatis ex mineris, sicut de grano, aut pulvere nitri dictum est lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 5. statuendo, quod in concavo orbis Lunæ sit elementum ignis §. 2. sub num. 2. ad experientiam secundam Joannis Saguens. Ulteriùs dici potest provenire, quia ensis durior est vagina, aurum, argentum durius crumena, & panno &c.

Propter eandem rationem dici potest interdum evenire, quòd fulmen illæsa carne, nullaque prorsus ignis nota in carne impressa, ossa comminuat, quia scilicet caro mollis parum resistit, ac facilè cedit; ossa vero admodum dura summopere obsistunt.

Verum est tamen, quod interdum etsi vestis sit durior carne, adhùc consumit corpus, non consumpta, aut fracta veste, sed hoc provenit quia vestis est magis porosa, eo quòd partes ejus sunt minus compactæ quàm partes corporis. Fulmina autem ista sunt de illis, quæ quidem usque ad terram pertingunt, sed de illis, quæ secum lapidem fulmineum non ferunt.

At è contra fulmen interdum ob sui debilitatem comburit tantum vestes, & pilos, intacta carne illis unita, quia tunc. sicciores tantum absumit partes, & ob suarum virium debilitatem nequit carnem, quæ humidior est, pervadere. Dum hæc scriberem casus evenit Romæ hoc anno 1710. die prima Septembris hora 23. in Ecclesia S. Augustini ante Sacellum S. Nicolai de Tolentino, cuidam fœminæ Angelæ Cecconi Uxori Joannis Bapt. Crudeli annorum 36. Nec prætereundus casus, qui longè priùs item Romæ evenerat apud nostri Ordinis Moniales S. Sixti, quibus existentibus in Choro fulmen quoddam circuivit ad pedes cunctarum Monialium, nec læsit ullam. Ex propter istam animalium humiditatem, quasi semper fulminata non comburuntur.

Præterea (quod mirabilius est) interdum homines & animalia interfecit fulmen, intactis, & incorruptis remanentibus corporibus. Quod ex eo esse potest, quia eitò sua velocitate maxima fulmen transitet, tamen suo calore nativum suffocavit animalis calorem, & exterminavit humidum naturale internum, & internum aerem, ac spiritus vitales sua pestifera qualitate venenavit, se insinuando per angustissimos animalis meatus.

25. Quædam alia consideratio digna cernuntur in hominibus, aut aliis animalibus fulmine occisis. Nonnunquam intumescunt, quia fulminis calor intrans rarefacit partes corporis, vel quia relinquit partem materiæ suæ, vel partem aeris, quæ partes majorem occupant locum.

De fulminatis docet ex D. Th. Mazzotta, caput vertere contra Fulmen, cujus plures reddit rationes; quarum una est, quia fulminatus curiositate, sentiens spiritum ex ea parte, ut videat quid sit, se ad ipsam vertens, statim in ea positus opprimitur.

Similem rationem ipse, & Guerinois & Mastrius cæterique reddunt alterius observationis factæ, quòd dormientes fulminati apertis oculis obierint, & è contra vigilantes oculis clausis obierint. Cujus causam esse posse dicit, quia dormiens metu auditi sibili antecedentis, Fulmine expergesit, & oculus aperit, in qua oculorum apertione fulmine invasus perit. E contra verò vigilans metu sibili oculos claudit, & tunc immediatè perit. Nam fulmen corpora priùs commovet, quàm feriat; quia spiritus, seu halitus, vel ventus antecedit fulmen, quod impetu suo aerem intermedium agitat.

Volnus à Fulmine inflictum frigidissimum fit, quia in tactu fulminis humidum, ut contrarium fugeret, se retraxit.

26. Quidam alii forsan prodigiosi effectus observari consueverunt circa dolium, aut vinum dolio inclusum.

Interdum compertum est vinum in dolio fulminato concrevisse, cujus ratio esse potest, quam assignavimus num. præcedenti 24. in principio.

Nonnunquam (ut testatur B. Albertus Magnus tract. de Tonitruo cap. 22.) per fulmen fracto dolio vinum nullatenus fluxit, sed tribus diebus stetit. Hoc ideo, quia fulmen siccis suis exhalationibus extremas vini partes addensat, & veluti indurat, à quibus totum dolii vinum, quasi corio inclusum detinetur; vel quasi quædam pellicula per concavum vasis priùs continentis extensa, quæ etiam in ovo cernitur. Quod idem ex eodem declarat hoc exemplo: reperitur herba quædam Psilium dicta, de qua Dioscorides lib. 4. cap. 70. quæ si vino misceatur replet ipsum vinum humore quodam viscoso, quem humorem (si vinum calefiat) transmittit ad partes exteriores, sicque vinum cooperitur veluti quadam crusta, qua vinum cohibetur per aliquot dies, ne effluat etiam fracto vase. Quod & in lacte experimur, cui apposito pauco coagulo magna lactis quantitas coagulatur.

Ferunt autem, vinum, quod Fulmine concretum fuit, cum ad liquorem redit perimere potantes, vel dementiam inducere; nimirum quia fulmen habet in se noxias sulphuris qualitates, aut alterius similis materiæ, quibus vinum inficit.

Et hujus occasione considerare libet, quòd venenata interdum post Fulminis ictum venenum deponunt; & è contra, quæ veneni antea nihil habebant ipsum concipere; quia Fulmen venenatis venenum exurit; non venenatis autem imprimit venenum per sulphuream qualitatem. Cæterum si etiam in venenatis relinqueret suam qualitatem, itaut ista agendo, & repatiendo consumeretur in exsiccando venenosam qualitatem venenati fulminati venenum ei adderet, & non tolleret.

Illæso è contra dolio, interdum consumptum est teste Lucretio; & hoc ideò quia partes dolii rariores Fulminis indole germano, locum dederunt ad introitum, & exitum ut vinum consumeret.

Quòd autem ibi vinum dispareat, provenit ex illo motivo, ex quo contingit interdum, quòd quædam etiam alia fulmina dispareant, ut nihil amplius ipsorum appareat, quia scilicet vehementi fulminis calore ac impetu non tantum interna, sed etiam externarum partium humiditas fuit consumpta, & corpus in cineres redactum; quibus cineribus à Fulminis vehementia dispersis nihil amplius appareat.

27. Inter effectus Fulminis supputari potest etiam timor, quem incutit: quamvis *nemo unquam fulmen timuit, nisi qui effugit*, ut inquit Seneca ultimis verbis lib. 2. quæst. natural. quia qui fulmine interimitur non multum timuit, eo quod non audivit fragorem, qui non auditur, nisi postquam fulmen cecidit, & quando videtur priùs præcedentia notabili ad fragorem fulgur, adhuc multum distat fulmen; licèt enim flamma videatur priusquam cadat fulmen, non tamen priùs auditur fragor. Discrimen est, quia species visibiles, utpotè puriores immittuntur in distanti, non sic verò species aliorum sensuum, sed successivè. Quod etiam in sclopis & bombardis ab arte, naturæ æmulatrice, formatis, constat.

Timore isto inducti sunt plures ad investiganda ea, quæ à Fulmine immunitatem præseferant, inter quæ solent supputari laurus, corallium, pellis vituli marini, Hyacinthus, lapis fulmineus, ferri quantitas secum portata, præcipuè si tempore fulminis aqua aspergatur; sicut etiám nec prægnantes fulmine lædi vociferatur, aut portantes fœminarum menstruum.

At hæc omnia gratis dicta videntur, eo vel maximè, quod (ut refert Mazzorra) à pluribus Historiographis hæc omnia fulminata feruntur.

Alii consultiùs ad subterranea loca descendunt, & sub cellariis se abscondunt, quia (ut ex Plinio asseritur) non plusquam quinque pedes (licèt quidam dicant quinque passus) fulmen infra terram non penetrat, eo quod terræ frigiditate fulminis activitas adeò debilitatur, ut ampliùs non noceat ob distantiam à nube, à qua vibratur.

Timorem istum pellere saltem in parte voluit Goudin. Nam (inquit ipse) cum Fulmina in integra Provincia vix singulis annis unum hominem perdere soleant, quamplures è tectis ruentibus tegulis obruuntur, naufragiis involvuntur, veneno pereunt, à latronibus enecantur &c. & tamen sine pavore per vicos discurrimus, flumina trajicimus, naves conscendimus, cibos indiscriminatim comedimus, longiora itinera conficimus.

At non video quomodo his motivis timor minui possit. Nam sicut quando scitur latrones esse in viis, omnes timent per vias ire: ubi advertitur tegulas non firmiter hærere est de eis timor: Et quoties Mare agitatur procellis, quilibet pavet vela dare ventis: ac demum quando dubitatur, fecisse inter personas, quæ probabile est, quod teneat venena alios tollere, timetur de veneno: sic etiam quando vehementer turbato aere probabiliter creditur fulmina esse in aere rationabile erit de eis timere.

Sic fas est pavere cunctos, & metu perduci ad perpurgatum servare animum, Divinamque opem implorandam. Sic metuebat S. Thomas, vitam licèt ageret Angelicam, qui proinde adversus fulmina, illam adeò veneratione, & usu dignam efformavit Crucem, quam hic uniuscujusque pro juvamine consulimus.

28. Pro istius §. complemento dicenda aliqua sunt de loco, & tempore Fulminum.

De eorum loco patet ex dictis in hujus §. principio num. 21.

Quò ad tempus dicimus, nullam posse assignari determinatum tempus. Nihilominùs Verno, aut Autumnali tempore maximè vigere fulmina solent, ut experimento comprobatur. Cujus ratio est, quia in Æstate exhalationes calore nimio attenuantur, & ferè dissipantur: hyemali verò tempore frigent exhalationes, difficiliusque ignem concipiunt.

De Fulminibus autem, quæ interdum etiam sereno tempore accidisse narrantur, dico non fuisse generata ibi, cum (ut vidimus non nisi intra nubem fulmen generetur), id vel miraculosè id evenisse in alicujus vindictam materia subitim disposita, aut à Deo immediatè, aut Angelis, aut etiam à dæmonibus, qui *aereæ potestates* nuncupantur, maximè Hominum ruina, eorumque strage gaudentes, quique proinde libenter non solum nubiloso, verum etiam sereno tempore, ubi Deus permiserit in fulminibus se ingerunt, quibus nocere possint. Vel dicendum est ibi ventorum vi à locis distantibus nubilosis fuisse portata, quæ in motu isto potuerunt durare ratione majoris crassitiei suæ materiæ.

§. VII.

De cæteris mediæ Regionis aeris Meteoris, nimirum De stella cadente, & Dracone volante.

29. QUamquam interdum, & in suprema aeris regione ista Meteora generentur, imò & in Cœlis secundùm eos, qui Cœlos corruptibiles adstruunt; tamen quia ut plurimum in media regione aeris generantur, idcircò hic explicamus: sicut *Trabem*, *Lanceam*, *Jaculam*, & *Pyramidem*, ac *Capram saltantem* licèt interdum in media aeris regione generentur, quia tamen ut plurimum in suprema aeris regione generantur, idcircò in §. 5. explicuimus. Igitur

Sidus errans, seu *Discurrens*, sic dictum si ad latera moveatur *Volans*, si sursum ascendat *Stella Cadens*, si ratione majoris crassitiei deorsum descendat, quæ est quædam exhalatio uniformis, & in longum protensa docet Arist. quod duobus modis fieri potest. Uno modo, itaut re vera non moveatur, nec discurrat, sed sensus decipiatur: quatenus si per aerem sint dispersi in plures partes spiritus sulphurei, hoc est facilè accendibiles, & per longum dispositi; sic tamen ut pars suprema, vel propter impulsum habitum à nubibus, vel propter majorem antiperistasim accendatur, & propagetur flamma per materiam illam tenuem dispersam videatur scintillare, & stellam causare, & discurrere, dum successivè accenduntur partes dispersæ in longum. Exemplum erit si ponas pulverem tormentarium in plures partes dispersum post unam massulam sine motu accenditur, quia successivè partes illæ inflammantur pernicissimè, & sic videntur discurrere, & localiter moveri, ut ego pluries fieri vidi in Arce Anconæ recurrente festivitate Almæ Domus Lauretanæ, vel Anniversario coronationis pro tempore Regnantis Pontificis.

Altero modo evenit, cum exhalationum multitudo accensa

censa

censa, benè compacta ab uno loco in alium fertur, vel quia sit levior, idcircò movetur, vel quia reperit partes vaporosas, & frigidas, à quibus uti à contrario fugit, & impellitur.

Interdum etiam, nec tam rarò, solent etiam in infima aeris regione generari.

Magna stellarum cadentium copia dum apparet magnos denotat ventos, quia signum est ascendisse materiam ventorum, quæ nimis viscosa est, & si diversis ex locis appareant tempestatem ob ventorum varietatem denunciant. Siccitatem insuper important, quia tunc exhalationes, & vapores ascendunt, & hæc frequenti stellarum cadentium copia, cum tunc magna sit per aerem exhalationum sulphurearum copia accensa, aerem non nihil possunt inficere, & notabiliter calefacere, morbosque inducere.

Effectus suos producunt versus partem illam, versus quam dirigunt, quia ibi relinquunt nocuas partes suas; & etiam propinquo loco, ubi accenduntur, quia signum est indè materiam illam fuisse elevatam.

30. *Draco volans* est exhalatio densa, & non uniformiter accensa: dicitur autem Draco, quia figura protendit Draconis, quia dum ad altum elevatur occurrit nubi frigidæ, à qua repellitur, & post talem impulsum incurvatur ad instar ventris Draconis; partes verò circa nubem positæ, ubi curvatur, alas repræsentant, & idcirco dicitur *volans*. Ex parte anteriori fit subtilior, & acquirit figuram capitis, ex quo videntur exire scintillæ tanquam ex ore, vel propter scintillas ex incendio emanantes, vel propter partes exhalationis tenues, quæ circa materiam capitis accenduntur, idcircò videtur caput Draconis ignem evomentis. Pars, quæ nubem attingit restringitur, sicque caudam formare videtur. Ex quo patet, quod Draco volans in sola media regione aeris, ubi sunt nubes, formari valet.

Ferunt, quòd ferè, semper quod Meteorum Dracones pestilentiam, aliosve morbos prædicant ob maximam exhalationum ascendentium copiam pro hoc Meteoro sic ingenti efformando.

§. VIII.

De Meteoris mediæ regionis aeris, nimirum Igne fatuo, Igne lambente, Castore, Polluce, & Helena.

31. TRia, vel etiam quatuor ista (Castor enim, Pollux, & Helena possunt pro uno computari, ut num. 32. videbimus) unico absolvemus §. quia non multa de eis dicenda occurrunt.

Ignis fatuus est exhalatio viscosa, quæ vel per antiperistasim nocturni temporis, vel per mutuam invicem collisionem accenditur. Iste ignis magnam in admirationem trahere solet vulgus. Nam eos, qui ibi pertranseunt, vel comitatur, vel præcedit, seu fugit, quia agitato aere facilè propellitur, vel attrahitur, utpotè tenuissima exhalatio.

Esse verum ignem suppono contra quosdam volentes, esse exhalationes à stellis illuminatas. Suppono inquam, quia candefacit.

Solet apparere in Cœmeteriis, & propè patibula, ut ex Aogesto refert Mastrius, atque etiam in locis paludribus, ac pascuis propter viscosas materias, quæ in eis locis habentur. Idem vulgus opinatur esse animas, & vetulæ garrulant esse animas infantium, qui sine baptismo decesserunt: eo vel maximè quod dicunt videri formam pueri, & audiri voces humanas. Quod tamen (nisi illusio sit earum alteratæ imaginativæ) provenire potest, vel ex nova inflammatione, vel crepito materiæ ardentis, sicut crepitus & sibilus auditur in quibusdam lignis dum candefiunt. Item forma illa humana provenit ex dispositione materiæ, ut dictum est supra de Capra saltante, & Dracone volante: & nonnunquam visæ sunt in aere hominum figuræ in aere equitantium quasi in dispositione pugnæ.

Fertur ducere etiam ad præcipitia, quia materia illa utpotè viscosa, ac densa, proindeque gravitans, paulatim loca decliviora petit.

Appellatur autem *Fatuus* quia inconstans est ejus motus: accedit enim, recedit, movetur ad latus, saltat, inclinatur pro diversa aeris agitatione.

Non improbabile reputat Mazzotta interdum (præcipuè si eveniant extra tempus consuetum) hujusmodi ignes fieri arte dæmonum, quos observatum esse dicit è domo vocantes statim avolare, & vocantes necare, nisi fenestra claudatur; ad quos ejiciendos dicit clara voce esse Deum invocandum.

Quoties autem naturales sunt hujusmodi ignes eveniunt circa primas noctis horas, quia tunc adhuc vi caloris fumat terra, & adest antiperistasis nocturni frigoris. Media nocte, cum non sit materia, & frigus majus non habetur accensio. Videntur hujusmodi ignes tempore æstivo, cum tunc ingens Solis calor materiam sursum elevat; & etiam autumnali tempore, quia etiam tunc terra fumat ob calorem tunc, & in æstate conceptum.

Cum ignes isti frequenter suscitantur protendunt sterilitatem ob nimiam siccitatem, quæ fit, quia terra privatur viscosis, & bituminosis illis exhalationibus terram incrassantibus, inquit Mazzotta.

32. *Ignis Lambens*, est exhalatio subtilis, & rara modo supradicto, vel attritione vehementis fricationis accensa; dicitur *Lambens* quia plerumque in capillis hominum, equorum, aliorumque animalium, & hominum calidiorum, exhalantium spiritus pingues, qui in capillis, & pilis sæpè detinentur, accenditur sine eo quod comburat ad instar ignis ex aqua vita excitati, qui sudariolo illæso adhæret.

De isto Historiam refert Mazzotta ex Cardano de varietatibus lib. 8. cap. 42 per plures annos accidisse cuidam Carmelitæ, ut dum capucium ad occiput perducebat, è capillis favillæ erumpebat: sicut etiam de quodam in Corsica, qui dum manibus fricabat brachia apparentes excitabat flammas: Et de quodam Medico Aquilano sæpè ex brachiis, & dorso flammas emittente. Ex collo equi vehementer perfricato, pilo inverso scintillæ prodeunt, & multò magis ex dorso felium.

Addit idem Mazzotta narrari, quòd animalia quædam ignem evomerint. Cujus rationem adducit, quia scilicet halitus ab ipsis exeuntes uberrimo cordis calore accendi possunt, vel si ignei non exeunt, calidissimi tamen ad aerem frigidum exeuntes antiperistasi intenduntur calore, & accenduntur: vel si ignei verè sunt, quia tamen validissimè, ac vehementer expulsi sunt, in unum coacti efformant igneam lucem per illuminationem à planetis aut sideribus, ut accidit in halitibus aquarum vehementissimè expulsis, & per foramina exeuntes coacti colorem iridis per illuminationem efformant, ut se vidisse in Frascate dicit in villa Aldobrandina.

33. Postremo loco explicandus venit Castor, Pollux, & Helena, qui sunt pinguis quædam exhalatio viscosa, vel vapores ex mari, aut etiam è navibus elevatæ, aut etiam spiritus ex ipsis nautarum vasibus elati, & accensi. Quando hæc exhalatio est divisa in duas, dicitur Castor, & Pollux. Quando est conjuncta, & una, dicitur Helena, quæ malorum, & tempestatum significatrix habetur præcipuè si discurrat.

Exhalationes istæ faciliùs accenduntur levissimo etiam funium motu, & attritu.

Si duæ, nimirum Castor & Pollux appareant, solent vocitari à nautis *Ignis sanctus*, & putantur S. Nicolaus, & S. Telmus, alio nomine Corsalvus ex Ordine nostro, à quibus eis prænuncietur quod sit cessatura tempestas. Nam præcipuè si quiescant circa navium malos, & antennas, ut plerumque contingit, sedatum indicant aerem, certiosque serenitatem prædicunt. Cujus rationem physicam licèt Conimb. dicant assignari non posse: tamen communiter assignatur; quia scilicet cum immotæ adhærescunt signum est cessasse ventos, quibus hùc, illùc compellunrur.

Si autem una duntaxat appareat, nimirum *Helena* solet ab eis dici *Sancta Clara*, & ut signum malorum habetur, quasi quod *Sancta Clara* eos præmoneat de futuris malis. Nam primitèr habetur ut prænunciatrix tempestatis, quia dum totus ignis est unitus, signum est esse in aere multam crassam, densam, ac benè compactam materiam exhalationum, cum indivisa extat, quæ si resolvenda omnino est vehementiores excitabit ventos; cæterum cum geminatus emicat significat, exhalationem esse ferè dissipatam, ac dissolutam; proindeque cito defecturam.

Insuper si una tantum adest accensa, & immota, imminet periculum aliud; quia eam habeat partes crassas, quæ proindè difficilè moventur, si intra navim fortè ruerent navis conflagraretur, ut non rarò contigisse fertur. Undè Mazzotta ex Cardano refert, hujusmodi ignes ænea

vasa

vasa colliquasse; & ex eodem cum Plinio dicit adurere, cum ad navis imum descendunt, quia ibi crassiorem reperiunt materiam. At e contra ab omnibus nautis observatum dicit, non comburere, quando sunt duo, sed albicantem habere colorem, & capita hominum lambere, ac velia impuré adhærescere ob nimiam materiæ subtilitatem, & raritatem, sicut supra num. 31. de igne lambente diximus.

Tandem dicit quòd tres istos ignes simul apparere in usu est in Oceano, & etiam in Mediterraneo conspecti sunt; & postea Castorem, & Pollucem, Helena apparente, illos disparuisse. Cujus rationem assignat, quia scilicet adveniens nova materia viscosa accenditur, & illi spiritus non adeò viscosi, qui Castorem & Pollucem construebant cohærent per commixtionem cum viscosa materia, & ob naturalem simpatiam in unum, atque accensam Helenam efformant.


Reprobat autem cum Seneca, quod nonnulli dicunt, Helenam menstruo mulieris fugari.

Et hæc sint satis de Meteoris ignitis in aere apparentibus, quorum insigniorum figuram pro faciliori captu cum Mazotta hic ponimus.

















§. IX.

De Ignibus subterraneis.

34. INter ignita Meteora locum habent etiam ignes, qui subtus terram accenduntur. Hinc postquam de ignibus, qui supra terram in aere accenduntur, agimus modo de ignibus, qui infra terram accenduntur pertractandum assumimus.

Ignes intra terræ viscera accendi qui dubitet est nemo, cum de se perspicuum sit. Nam licèt non omnes viderint, tamen innumeri sunt, qui viderunt, & quisque alius videret si eas ad regiones pergeret, ubi ex terræ meatibus erumpunt. Celebris est Æthna in Trinachia ad Catanense litus, & Vesuvius in Campania propè Neapolim.

Hoc

: fupposito videndum eft, quomodo ibi ignes illi ge- ur; quos dicendum eft, ibi accendi ex quadam exha- : fulphureæ, & bituminofæ terræ cum napta unctuo- nixtæ, vel per antiperiftafim, ad motum illius exha- is exitum perentis, vel etiam ab aliquo fuperiori fyde- ijus minifterio non eft improbabile poffe ignem gene- ficut fyderum virtute metalla intra terræ gremium inrur.

n defunt, qui putent, nonnulla hujufcemodi loca effe ıædam inferni, ut de Æthna, fivè Mongibello, & vio, ac agro Puteolano, nempe Greg. Papa lib 4. 3. cap. 35. S. Bernardinus de Senis tom. 2. ferm 65. s ad annum 1537. citans, Marionem celebrem Scoti- , Pionem Sacerdotem, & Martyrem apud Alphon- Toftatum, fivè Abulenfem lib. 5. de Parad. cap. 99. ud Menochium cap 3. Centuria 8.

hanc fententiam videtur inclinare P. Mazzotta, qui ıdè quædam hoc probabile reddentia narrat, videlicet, Capacini apud Capacium proximi agro Puteolano au- : fe narrent horreados ululatus, & propè à Dæmonibus .tos, Dæmonum appari:iones accidiffe. Item ibi qui- am ftatutis diebus aves quafdam nimis monftruofas cir- volare fine cibo, quarum nulla hucufque capi potuit, l nutum cujufdam corvi in aquas projici, nec unquam lios confpici nifi in folemnibus, ac ftatutis illis diebus: lè exiftimatur, ignem illum effe Purgatorii, & illis us animas à pœnis vacare. Nonnulla etiam de S. Patri- uteo in Hybernia de Œno milite, qui propriis oculis gatorii pœnas, & vidit, & paffus fuit, in quo etiam ıt inferni ora, in quæ damnatorum animæ cum fœtore ximo projiciebantur.

. Segneri fuo in Quadragefimali concione de inferno :, S. Thomam negare, quòd dentur hujufmodi inferni , ex quibus ignis erumpat; quia, inquit ipfe infernus undique pœnitus occlufus ulla vel minima abfque rimula, ignis nullatenus exire valens, feu magis unitus majorem quendi vim habeat. Tamen non citat locum, ubi S. Do- or id dixerit. Nihilominùs dicta ratiocinatio, quam ex dem adducit, valdè confona videtur.

Quicquid de hoc fit, fi ora inferni non funt, jam habes dictis, quomodo ignis ibi gigni queat. De quo fufiùs deri poteft Maftrius in lib. de Cœlo, ubi fupra difp. 4. q. 2. t 5 à num 63.

35. Quod majorem ingerit difficultatem eft quomodo ice in montibus ignem evomentibus continuò cum flam- iis poffit durare nix, ut in Æthnæ jugo videtur.

At hæc difficultas fortaffe non erit tam grandis, fi confi- eremus montis illius verticem pertingere ad fecundam uf- ue regionem aeris, quæ frigidior eft. Ignis autem confur- ,ens fuo calore illùc non pertingit, quia vehemens aeris agitatio eum difpergit. Aliæ rationes videri poffunt apud Mazzottam.

36. Maximam poftea difficultatem ingerit ignis quarum- dam lucernarum perpetuò ardentium. Nam dici nequit id provenire quia erant fub terra inclufæ. Non inquam. Nam fub Alexandro Papa VI. Viterbii repertæ funt lucernæ ad- hùc aperto aere ardente, quæ vi extinctæ exiguum pulve- rem reliquerunt.

Communiùs dici folet id effe factum ex oleo extracto ex quibufdam terreftribus corporibus, quæ compertum eft fe- mel inflammata diutiffimè ignem retinere ob materiæ pin- guedinem, ac vifcofitatem, ut funt bitumen, & fertur etiam de Amianto, & Arbefto, ut nec aqua extingui va- leant, adeò conftanter retinent, ficut etiam Petrus Meffias in Silv. p. 5. cap. 26. fart juxta Urubam in novo Orbe effe li- gnum quoddam, quod femel igne accenfum ad longiffima tempora accenfum viget.

Sed (ut inquit Maftrius) difficile, & forte impoffibile eft explicare quomodo poffit materia aliqua tàm diù ignem reti- nere, cum ignis extra fuam fphæram femper indigeat pabulo.

Nihilominus dici poffet, quòd per fe loquendo extra pro- priam fphæram ignis pabulo indigeat, proindeque femper afcendat. Per accidens tamen poffe oppofitum evenire, qua- tenus oleum illud ex dictis corporibus extractum quafdam ha- beat qualitates æquivalentes qualitatibus loci naturalis ignis in concavo Lunæ, præcipuè corporum cœleftium influxu, & chimicæ artis induftria genitæ ex dictis corporibus.

Modum autem illud oleum conftruendi dicit Mazzotta fuiffe antiquis notum, ejufque notionem amiffam effe, & nobis effe ignotum.

Nihilominùs quofdam alios modos illud conftruendi tra- dit ipfe, quos quia funt valdè incerti, & fœtidi, omitto apud eum videndos, eò vel maximè quòd ipfe quamquam experientiis delectari profiteatur, nullam de hac à fe factam experientiam prodit.

Non improbabile mihi videtur refponfum, quod ex Jaco- bo Gutber lib. 2. de jure marium dat Maftrius, nimirum non femper lucernas illas arfiffe, fed tunc primum, cum effoffa terra apertus eft locus accenfas fuiffe externi aeris afflatu.

Nec obftat quod contra hoc objicit Mazzotta, anno vi- delicet 1500. prope Patavium repertam fuiffe Lucernam cum nomine auctoris, ubi quod à principio fuerit accenfa, & Plutoni dicata, fic fcriptum habebat.

—— *Namque gravi claufit digefta labore*
Vafe fub hoc modico maximus Olybicus &c.

Non, inquam, obftat. Nam dici poteft, quòd licet fuerit ab initio accenfa, non tamen femper ad illud ufque tempus arfiffe. Vel, & fatiùs, eum eodem Maftrio ex Divo Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap 6 hoc, & alia in antiquorum fepulcbris, & templis referendum effe ad Dæ- monis operam.

De quadam verò alia, quæ fertur ante imaginem Chrifti per annos 500. inventam fuiffe accenfam ad miraculum di- vinum refert.

Ubi etiam notandum eft ex Arefio in opere infcripto ita- lieè: *Imprefe Sacre* lib 2. imprefs. 7. & Flavio Querenco in lib. item italico *delle lucerne de' Sepolcri antichi*, non om- nes dictas lucernas effe veras, fed quamplures faltem effe fabulofas.

CONSIDERATIO TERTIA.

De Meteoris aeris.

POft fermonem de Meteoris igneis, fermonem de aereis Meteoris inftituimus, quæ novem numerari folent, nempè *Iris*, *Halo*, feu, *Corona*, *Pareliam*, *Parafeli- nam*, *Virgæ*, *Hiatus*, feu *Vorago*, *Exercitus & Au- rora*, *nec non Crepafculum*, quibus à nonnullis addun- tur Venti, eò quòd putant Ventos confiftere formaliter in ipfa aeris, commotione, de quo dicetur in confidera- tione 4.

§. I.

De Iride.

1. IRis definitur ex Arift. 3. Meteor. Sic: *Iris eft arcus difcolor in nube rorida ex illapfu radiorum Solis oppofiti apparens*. Non aliter Iris natura capi poteft quàm ex definitionis explanatione. Undè enucleatur defi- nitio. Dicitur primo *Arcus*, quia Iris ad differentiam *Vir- gæ* protendit figuram arcuatam, feu in arcum curvata. Di- citur *difcolor*, quia folet effe variis permixta coloribus, & ideò multicolor appellatur. Dicitur poftea *in nube rorida*, quia talis nubes eft veluti tabula, in qua talis imago forma- tur, & pingitur à Sole. Dicitur demùm *ex reflexione, & refractione radiorum Solis oppofiti apparens*, quia com- plurimum à Solius Solis radiis formatur; licèt nonnun- quam etiam à Luna Iris aliqua imperfecta, & non difcolor fiat. Dicitur *apparens*, quia illi colores funt tantùm ap- parentes non tantum reales.

Pro uberiori notione reaffumamus fingulas dictiones.

2. Figura itaque Iridis curva repræfentatur. Ubi adver- tit Guerinois ex D. Th. poft Arift. 3 Meteor cap. 7. Iri- dem femper efformari in modum femicirculi, cujus ratio- nem ex eifdem affignat, quia nimirum ignis fit, & veluti procreatur à Sole, eftque quafi ejus pictura. Undè quia Sol figuram habet circularem, & Iris figuram circularem ha- beat neceffe eft. Sed nihilominùs circularis figura Iridis nunquam fit integra, fed femper eft femicircularis, quia in- terpofitione terræ, & Orizontis impeditur. Alia hujus ra- tio videri poteft apud Goudin.

3. *Multicolor*. Inter multos autem colores, quos Iris protendere folet, tres præcipuè obfervantur, Puniceus nempè, feu citrinus, & Purpureus, qui in tres veluti re- giones, fivè femicirculos Iridem diftinguunt. Primus, qui in parte fuperiori ipfius arcus confpicitur. Puniceus ad mo- dum coloris mali citrini. Secundus, qui in medio femicir-

culi est viridis ad modum coloris virentium herbarum. Tertius in infima parte apparens est purpureus, & veluti croceus.

Quomodo autem evenire hoc queat declaratur exemplo Iridis in vitro triangulari contingenti. Dum enim radii luminosi transeunt per partes ipsius vitri minus crassas, adeoque minus opacas; diversos producunt colores ab illis, qui producuntur per lumen transiens per partes magis crassas, in quibus magis opacantur, licet ista varietas colorum non sit tanta, & adeo distinguibilis ut in Iride; quia vitrum non habet tantam opacitatis varietatem, totque partes diversæ opacitatis; proindè in Iride sunt valdè vegetiores. Similiter Solis radii transeuntes per circulos vitri fenestrarum magis crassos alios producunt colores, ac per partes minus crassas. Idem experimur in collo Columbæ, licèt non tanta cum multiplicitate colorum, quia non habet tot partes diversæ opacitatis. Sic (inquit S. Th. 3. Meteor. lect. 3. & alii) lucis radius cum exigua opacitate efficit colorem puniceum; cum mediocri autem opacitate efficit viridem colorem, & tandem cum majori opacitate colorem efficit purpureum. Opacitas autem nubis, atque Iridis exigua est in parte altiori, mediocris vero in media parte, & major in infima parte, ut experimento patet.

4. In nube rorida, quia nubes roralis, seù potiùs ejus pendulæ guttulæ sunt causa materialis Iridis, & veluti subjectum illius. *Rorida*, quia non quæcunque nubes est materia apta pro Iride formanda, sed rorida, talis nimirum, quæ in aquam stillicidiis, seu guttis dissolvi incipiat. Nam (ut inquit S. Th. ex Arist. ubi supra, scilicet 3. Meteor. lect. 3.) ignis propriè non pingitur in ipsa nube, sed in ejus guttulis levi aspergine ex ea stillantibus, quæ sunt magis aptæ ad dictos colores exhibendos. Palam hoc est circa remos navigantium. Aqua siquidem vi remorum agitata in minutas stillas rigans & rotans excipit Solis radios, nobisque exibet eosdem colores, quos Iris.

Debet autem nubes esse diaphana ea ex parte, qua nos & Solem respicit: sic enim injectum à Sole lumen facilè recipit. E contra verò debet esse opaca ex alia parte, videlicet à tergo, ne lumen transfluat adeò faciliter, & modificationem aliquam recipiat.

Qua ex re inferre licet, quòd causa formalis Iridis est ipsa lux, ut ita modificata ex illa opacitate, seu ipsa lucis modificatio.

5. *Discolor*, seu *Multicolor*. De hoc satis dictum est num. 4.

Apparens, quia dicti colores sunt solum apparentes, non verò reales. Ratio est, quia si essent reales, colores de natura Iridis sive nubis, sequeretur quod in diversis locis, in quibus prospicientes constituerentur viderentur ab omnibus iidem colores in Iride. Quod tamen sensus experientia respuit. Et provenit, quia ut diximus non per easdem partes lumen transfunditur. Hinc optimè Arist. dixit quòd à diversis hominibus nunquam ejusdem coloris videtur Iris.

De coloribus purè apparentibus dicemus in lib. de Anima agendo de objecto sensus visus. Undè P. Saguens, qui ibi libidinosè colores apparentes profligare voluit, hic tom. 4. disp 59. art. 3. num. 51. desperavit se posse Iridem explicare, ut ipsemet fatetur.

6. *Ex refractione, & reflexione radiorum Solis*, quia causa efficiens Iridis est solus Sol, non verò Luna, quia Sol efficaciorem habet lucem. Undè etsi à Luna Iris aliqua formetur, tamen est valdè tenuis, unicumque colorem, scilicet subalbum protendens, & solo plenilunii tempore.

Oppositi, quia Sol debet esse è regione, seu ex opposito nubis, ut radios in eam recta linea vibrare queat. Et hinc fit quod necesse est oculum esse constitutum veluti inter Solem, & nubem, in qua formatur Iris, vel in medio, vel circa medium, ut radii Solis possint à nube in oculum reflecti.

Hujus oppositum tamen tenet Mazzotta dicens sufficere, quòd radii Solis appareant ibi colorati, licèt non refrangantur, nec ad nos reflectantur. Et probat, Tum de refractione, quia ista non colorat radios, sed solum ad aliam partem vertit eos. De reflexione etiam apparet in speculo, ubi reflectuntur radii, & tamen non apparent varii isti colores.

Nihilominus hallucinatur. Quandoquidem refractio licèt non coloret verè & propriè, benè tamen apparentes ex ipsa radii varia modificatione & commistione cum opacitate. Undè habet vertere in aliam partem, & sic vertendo magis immiscere opacitatem, coloremque exhibere, nec altera ex utraque simul sufficit nisi adsit partium notabilis major, & minor opacitas. Unde in speculo, in aqua &c. licèt modica aliqua colorum varietas, non tamen tanta simul, quanta in Iride cœlesti, licet successivè, possit apparere.

Hinc experientia constat, quòd si Sol in parte Orientali extiterit Iris, in Occidentali parebit; & è contra si Sol fuerit in Occasu Iris, parebit in Ortu, vel Septentrione.

7. Hinc etiam potest explicari, quare interdum duæ appareant Irides, una superior, & altera inferior, vel è latere. In quarum ratione reddenda, velit, nolit, concordat cum Arist & ipsemet Mazzotta. Nam tunc secunda fit ex reflexione imaginis primæ causatæ à Sole ad aliam nubem oppositam: eo simili modo, quo in speculo videmus. Unde illi colores in secunda Iride apparent ordine inverso: Imò etiam aliquando secunda imago, seu species, etiam reflectit in aliam nubem, sicque nonnunquam, & tres visæ sunt Irides; quia contingit tunc duas, vel tres nubes roridas inveniri.

Imò interdum duæ Irides à Sole immediatè causari; Una V. G. in Oriente, & altera in Occidente; dum nempè Sol in medio cœli positus est, & nubes hinc indè dispositæ reperiuntur. Quo casu dato istæ Irides possent per eamdem reflexionem alias tres Irides formare; sicque sex essent Irides. Et quidem Cornelius Gemma lib. 1. de divinis naturæ characterismis cap. 8 narrat anno 1551. prima die Martii visos fuisse septem Irides.

8. Nec prætereunda Iridis supra terram altitudo, quam refert Mazzotta ex Geometricis dicentibus se Iridis altitudinem metiri graduum 45 Refert etiam, quod Cardanus dixit miliarium 700 Et quod nonnulli dicunt Cardanum dixisse miliariorum 700 Quæ altitudo probatur excedens ab eodem Mazzotta. Tum quia Iris fit in nube rorida, & nubes non transcendunt mediam regionem aeris, imò & infimam, quæ secundum communiorem sententiam est passuum 500. Et in quod in tanta altitudine, Iridem se observasse dicit Fromundus.

Distantiam quoque ab oculo Iridem videnre non se extendere ultra medium miliare belgicum, dicit ex eodem Fromundo addenre semel se observasse Sole ad Occasum accedente unam, quæ ad 30. passus erat propinqua. Et subdit quod B Albertus Magnus docuit raró ultra tria miliaria videri.

Iridis amplitudinem asserit ex eodem Fromundo eamdem esse eum distantia à nobis. Nam cum Iris consistat in coloribus purè apparentibus, quanto nobis apparet tanto est ampla. Quanto autem res est propinqua tantò apparet, dummodò non sit nimia propinquitas.

9. Jam exponenda post materialem, formalem, & efficientem, causa finalis Iridis.

Igitur si loquamur de fine à natura intento tales sunt omnes effectus Iridis. In primis pulchritudo Universi, quæ oculis delectationem affert. Deinde gustus complacentia, quoniam Iride apparente, tunc ros cadit, quæ est mellis materia, undè tunc apes maximè mellificare inspiciuntur. Insuper delicia olfactus medio odore. Siquidem post Iridis apparitionem olentes sentiuntur quædam herbæ, saltem in æstate, quando ejus humidum sit calore Solis benè concoctum, & in loco sicco locatum. Undè Cardanus lib 4. veritatem refert, quod Iride evanescente in æstate tota arbor jam arescens maximum expiravit odorem. Ulteriùs ordinatur ad esse signum pluviæ, quia importat nubem rorantem.

Quantam autem pluviam, aut diluvium, quando, & ubi, Iris prædicat, attentiùs considerandum est.

Primirèr igitur dicimus cum D. Th. quodl. 3. art. 30. quòd Iris estò pluviam prædicat, non tamen magnam aquarum eluvionem. Tunc enim duntaxat futura est magna aquarum eluvio, quando calor Solis vapores, (qui pluviæ materia sunt) acervatim in sublime evectos disjicere non valet. Eo tempore autem nunquam fit Iris, quia tunc nubes sunt nimis opacæ.

Deindè quò ad *quando*. Quidam dicunt, quòd Iris in mane apparens significat pluviam; Iris verò in serò apparens serenitatem indicat, quia in matutino ortu Sol vapores calore suo divertit. Alii vero ut Mastrius, & cum eo præcipuè Mazzotta dat regulam ob experientias, quòd si

Iris

Iris contingit antequam sit facta pluvia, signum est, aut pluviæ, aut venti, quia vapores nondum fuerunt resoluti. Si post pluviam serenitatem indicat ob oppositam rationem. Et subdit quòd potest etiam tunc ventos, aut nebulam importare, quia post pluviam signum est, remansisse partes aliquas tenues, quæ sint magis cum terreo commixtæ, & quæ non ita de facili poterunt in aquam resolvi, & hoc de Iride locuti sunt Virgilius & Homerus, vocantes Iridem ventorum significationem. Dicit ulteriùs, quòd cum duplex est Iris, certiùs est magnæ aquæ signum; quia signum est, majorem nubium, & vaporum copiam adesse. Quod & docuit Plinius lib. 18 cap. 35. Intellige tamen de pluvia majori comparativè ad illam, quam significaret una sola Iris, non verò de magna aquarum eluvione, propter rationem supra cum D. Th. adductam.

Quantum ad *Ubi*. Seneca 1. natur. quæst. cap. 6. *Arcus* inquit *à meridie ortus magnam vim aquarum* vehit (intellige de magnitudine comparativa ut mox diximus) *si circa Occasum refulsit rorabit*.

Quòd demum *ad quos Irides* dicendum sit pluviam significare. Eucherius, Strabus, Albinus, D. Greg. & alii tradunt, quòd Arcus, in quo vegerior est color rubeus indicat ea Divina voluntate diluvium ignis futurum. Arcus autem, in quo est vegerior color cœruleus indicat diluvium aquarum jam præteritum. Et iste est arcus ille, quem Deus voluit esse signum non ultra futuri diluvii aquarum.

50. Hic solet inquiri, an Iris ex natura sua, vel tantùm ex Divino beneplacito sit signum non ultra futuri diluvii aquarum?

Ad quod solet communiter responderi, esse tantùm ex Divino beneplacito (quicquid in oppositum dixerint aliqui antiqui apud D. Th.) quia Iris erat etiam ante diluvium, cùm & tunc posset habere causam naturalem, sicut modò, licèt non extaret tunc ut signum Divinæ clementiæ, ut modò extat secundùm promissionem à Deo Genesis 9. factam: *Arcum meum ponam in nubibus Cœli & recordabor fœderis mei, & non erunt ultra aquæ diluvii*, ut exposuit D. Th. ad cap. 9. Genes. & quodl. 3. art. 30. Abulensis, Eugubinus, Cartusianus, & alii: Verum est tamen, quòd habet quamdam aptitudinem, ut à Deo assumatur in signum suæ clementiæ, quia est arcus sine sagitta. Insuper ego dicerem, quòd si loquamur de diluvio naturali est signum ex natura sua non ultra futuri diluvii, quia (ut diximus cum D. Th.) non indicat magnam aquarum eluvionem. Si autem de non naturali, ut fuit illud in diebus Noe, dico, esse signum ex Divino duntaxat beneplacito.

51. Accedit modo investigandum tempus solaris Iridis. Circa quod, licèt in quolibet tempore possint Irides apparere: tamen propriè tempus ejus est Ver, & Autumnus, quia tunc vapores ascendentes possunt consistere. In Æstate autem Solis calore vapores nimis exsiccantur. In Hyeme autem propter aeris crassitiem, & Solis imbecillitatem Arcus non valet lucere.

Qua autem hora accidat? Dicendum cum Arist. hic lib. 3. cap. 3. in Æstate Iridem non fieri nisi in hora ortus Solis, incipiente die, vel in hora occasus inclinato jam die, quia medio die Sol calidissimus nubes dissipat.

De alia Iride, quæ potest formari circa lucernas, & aliis videri potest Mazzotta, qui in fine mirabilem quendam effectum de quadam herba coloris Iridis in oppido Corropoli in Aprutio pro ære in argentum mutando.

52. Nos vero §. hunc complebimus producendo modum, quo Cartesius dixit Iridem formari.

Cartesius sic loquitur. Globuli secundi elementi à corpore lucido recta impulsi sensum efficiunt, sed ubi circa suum centrum velociùs moventur, aut tardiùs varios colores imprimunt: album vel flavum colorem inducunt, cum illa rotatio ferè æqualis est recto globulorum impulsui, ubi circumvolutio globorum celerior est quam rectus eorum impulsus, tum color ruber emergit: contra verò evenit in cœruleo, & nigro.

Verùm contra hunc dicendum ultra ea, quæ diximus 8. Phys. & dicemus in lib. de Anima agendo de objecto visus, instatur; quia non est perceptibile, quòd radii luminis, aut potiùs globuli secundi elementi circa suum centrum tanta velocitate moveri posse, ut rectam luminis emissionem, quæ in momento perficitur longè superent.

Adde, quòd licèt præsumat se cœteris in hoc clariùs loqui, tamen cum varietatem colorum à globulis secundi elementi circa suum centrum gyrantibus repetit, rem satis, superque obscuram majori obscuritate involvit.

Adde, quòd ea, quæ de hoc habet Cartesius tota in conjecturis sunt posita.

§. II.

De Halone, seu Corona.

53. HAlo Græcè, latinè Corona, sive area definitur sic: *Est circulus lucidus ac multicolor in extremitatibus nubis alicujus sub Sole, aut alio astro in orbem sparsæ apparens*.

Quòd si contra objicias, quòd interdum etiam aere sereno interdum Halones contingunt.

Resp. cum Aversa, quòd tunc licèt aer non sit absolutè & notabiliter nubilosus, tamen non erit prorsus omni nube destitutus saltem circa illud astrum. Imò necesse aerem non esse simpliciter nubilosum, aut turbatum, quia venti dissipant, & dispergunt illos vapores.

Explicatur definitio. Dicitur *circulus*, quia est quædam impressio circularis circa Solem, aut Lunam, aut aliud nobile astrum in nube, ut docet Arist. hic lib. 3 cap. 4. Dicitur *lucidus*, quia in nube satis diaphana excipiente radios, licèt aliqualiter opaca, ut mox dicetur. Dicitur *multicolor*, quæ particula explicanda venit sicut supra de Iride, & fit sicut Iris, vel per reflexionem, vel per refractionem. Per reflexionem quidem quando nubes in medio rarior, & densior in extremitatibus per solas extremitates reflectit, & remittit ad nos lumen. Fit vero per refractionem, & quidem frequentiùs quando nubes est densior in medio, & in extremitatibus rarior: tunc enim refrangitur, & remittitur lumen à medio ad extremitates, & per ipsas solas lumen pertransit. Dicitur *sub Sole, aut* &c. ad differentiam Iridis, quæ Solem è regione opposita petit; Halo verò petit supra se Solem, vel aliud astrum, & ei supponi. Dicitur *in Orbem, sivè in gyrum* sparsa; idcircò Appellatur latinè *Corona*, quia apparet ut corona luminosa, nisi sit fracta, aut interrupta. Videatur Gondin.

Ex his habes quòd Halo non transcendit secundam regionem aeris, supra quam non sunt nubes, & halo est nubes quasi rorida, nec primam, estò propè sidera coronata esse videantur, ut docet cum Arist. B. Albertus Magnus; quia in secunda regione vapores addensantur ratione frigoris, adeoquè non essent materia rara.

Aliqui dicunt, frequentiùs circa Lunam, & magis coloratæ, quàm circa Solem apparere, inter quos Guerinois. Hujus tamen oppositum docet sæpè citatus Mazzotta, propter rationem, quam supra de Iride assignavimus §. præcedenti num. 7.

54. De tempore, quo coronæ apparere solent videtur dicendum sicut supra §. præcedenti num. 53. diximus de Iride propter eandem rationem, scilicet tempus opportunius esse Verem & Autumnum. Non tamen ad ista sola tempora determinatur, sed aliquando etiam in Æstate, ac Hyeme contingunt. Unde P. Mazzotta se vidisse anno 1652. Mense Augusti Bononiæ hora 18 circa Solem coronam durantem per unam horam albicantis coloris cum aliqua cœruleitate. Et Lycii in Hyeme 1651. noctis hora se vidisse coronam propè Lunam. Videatur ipse, qui prosequitur discursum de horis magis aptis, & de diversis regionibus magis, vel minus calidis, in quibus pro variis temporibus sunt faciliores, & docent qualiter solo aere sereno fiant, quia vento flante disperguntur vapores.

55. Tractat quoque de præsagiis Halonum dicens, quòd lunares ut plurimum indicant ventos, solares verò aquam. Undè Æstate anni 1652. cit. post Solaris coronæ apparentiam albicantis coloris cum aliqua cœruleitate, tam magnæ fuerunt aquæ Bononiæ, ut fluvii eruperint, & per vias Civitatis aquæ ad instar fluviorum fluxerint, & hoc per multum temporis, ita ut vix fruges triturari, & uvæ colligi possent. Quod totum tamen dicit adjutum fuisse à Solari Parelia ejusdem anni, & à Solis ecclypsi celebrato in signo aqueo, circa quod adnoto ego, quòd dum hæc scriberem die 29. Martii 1711. visa est corona Lunaris, sive halo lunaris, nec tamen alius secutus est ventus, non obstante quod esset Martii Mensis.

Porrò (persequitur Mazzotta) Corona si magis, magisque addensetur aquam prænunciat ex Ptolomeo; quod si vel à multis, vel ab una parte dissipetur ventos promittunt, quod idem dicitur si fuerint duæ, aut tres in Hyeme etiam

ex nulla parte dissipatæ, subrubræ ultra Hyemem, quia signum est multum terrei subtilis opacantis in illis adesse, unde rubeus color, qui in flatus dissolvitur. Si niger color sit vegetior aquas; si calignosus color sit vegetior cum spissitudine nives annunciabunt. Si denique Corona fuerit una, tota pura & absque distractione evanescat serenitatis indicium est.

Præterea P. Mazzotta dicit esse observandum sub quo signo Planeta, aut astro sic, sicut dictum est de Cometis, quia juxta illa diversa prænunciant pro diversis regionibus, personis, personarum statibus &c. licet non cum tanta efficacia sicut Cometæ.

Colorata Corona visa fuit cum Augustus ex Apollonia reversus Urbem intravit, idipsum testatur Plinius, & Cardanus de subtilitatibus cap. 70. accidisse eo anno, quo Carolus Imperator coronatus fuit, quam se vidisse Picus Mirandulanus testatur.

§. III.

De Pareliis, & Paraleliis.

16. PArelium est nomen Græcum, significans collaterale, seu id, quod est ad latus, & in proposito sumitur pro illis Solis imaginibus, in quibus Solis effigies exhibetur, & fiunt cum ad latus, vel ad latera Solis ponitur nubes rorida, & splendida mediocriter à tergo densa. Unde potest sic definiri: *Est imago Solis, aut Lunæ in quadam nube rorida ad latus illius astri.* Idcircò nubes illa ad instar speculi se habet. Si est Parelium Lunæ vocatur Paraselinum.

Nec debet adeò difficile videri, sicut Goudino visum fuit, quòd nubes illa speculi vicem gerat. Cum de facto id contingat in fonte; & aqua placida lacus, in quibus facies Solis apparet. Multò melius igitur in nube, quæ subtilior est, magisque diaphana quàm aqua, & licèt nubes, dum non est adhuc proxima rorare se habeat ut fumus, cujus superficies non est levigata, & teria, ut requiritur ad speculum, benè tamen dum est quasi rurida, quia tunc habet dispositiones aquæ.

Rectè verò Goudin impugnat Cartesium dicentem, quòd nubes Pareliorum sint concretæ in circulos glaciatos. Rectè inquam. Nam hoc (inquit) omninò impossibile, adeoque fabulosum videtur. Cùm enim vapor ille sola levitate & raritate pendulus in aere sustineatur, necesse est ut decidat, ut primum concrescit in rem tantisper gravem ut est aqua & glacies.

Neque verò hi circuli glaciei tam graves sustineri possent à vaporibus ascendentibus, cum eorum ascensus absque insigni impetu fiat, sintque res fluxæ, quæ rei gravi ad cadendum conanti se ultrò aperiunt.

17. Omni tempore anni, & hora accidere possunt Parelia, cum interdum uno, interdum alio tempore, interdum una, interdum alia hora visa sint, quorum plures eventus videri possunt apud Mastrium & Mazzottam.

Similiter in quovis loco, licèt frequentiùs in partibus septentrionalibus, quia ibi ratione algoris, & vaporum faciliùs nubes concrescunt, & redduntur materia apta pro Pareliis.

18. Parelia aquas plerumque prænunciare habent. Nihilominùs cum distinctione loquitur Ptolomeus dicens, quòd si Parelii color est subruber, ventos promittit, & si longos extendat radios ventos calidos, & ita evenisse anno 1651. Arimini occasione similis Parelii narrat tanquam testis de viso P. Mazzotta, tum in Mari, tum in terra, adeo ut ventus domos penè subverteret. Si autem sit coloris subnigri pluviam interdum cum grandine indicat, cujus etiam præsagii effectu prædictionem adimpletam, se vidisse narrat idem Mazzotta, qui addit ex Theofrasto, quòd cum duæ apparent coronæ, & duo Soles celebrem indicant imbrem.

Nonnunquam ad quid rarum significandum adhibet Parelia Dominus. In primis nato Salvatore, ipso nativitatis die tres apparuerunt Soles, quorum meminit S. Th. 3. p. q. 36. art. 3. ad 3. Gallatius lib. 4. cap. 10. & alii. Id ipsum evenisse in nativitate S. Parentis, & Patriarchæ nostri Dominici habemus; ut videre est in Diario Marchesii, & apud alios in ejus vita. Istos tamen prodigiosos fuisse non est dubium, Tum quia fuerunt fulgidissimi; Parelia autem naturalia lucem longè inferiorem luce Solis præseferunt. Tum quia in Occasu in unum coaluerunt, & fuerunt sereno Cœlo. Et præcipuè in nativitate Christi probabile est significasse Trinitatis mysterium in unitate naturæ cum in unum coaluerunt. Universaliter quando Parelia adeò fulgida sunt quid magnum portendunt.


Triplicati Solis Parelio triumviratum significari dixit Cardanus, & suo tempore significasse Imperia Caroli V. Henrici Secundi Galliarum Regis, & Solimani Turcarum Imperatoris. Cornelius autem Gemma nova fœdera, conspirationes clandestinas, alicujus dolo, aut vi destructionem ait significari. Sic enim sex Solibus apparentibus Franciscus Primus Galliarum Rex in possessionem Hispanorum venit. Ex quo habes posse etiam sex apparere, immò & plures etiam propter eam rationem, quam vide §. 1. n. 5.

Dum hæc scriberem anno 1711. apparuerunt Mantuæ die 17. Aprilis tres Soles, & ea die mortuus est Viennæ Josephus Primus Romanorum Rex, & Imperator, sed & quædam alia apparuere, ut in sequenti Schemate, quod ex actis Mantuæ habuimus, suo verbaliter cum narrato deprehendere potes. Ubi & Virgæ nonnullæ, de quibus §. sequenti.

Adi

Adi 17. Aprile 1711. In Mantova.

SI vidde la mattina levarsi il Sole molto rosso, e quasi infocato, mezz'ora doppò levato si scoprirono altri due Soli, l' uno alla destra del Sole primo sùddetto, e l' altro alla sinistra, ma più comparve grande, e lucente quello della destra segnato A, che quello della sinistra segnato B. Poco dopo si formò una mezza circonferenza, che haveva i suoi termini nelli due Soli paralelli, come si vede segnato C. Mezz' ora doppo si vide, & osservò quasi nel Zenit un segno con figura di mezza Luna colorata d' Iride, come si vede segnato D. Si vedeva pure altro segno di mezza Luna per roverscio più sottile dell' istesso colore d' Iride, come si vede segnato E. Trà il mezzo Circolo poi segnato C. sotto il Sole di mezzo, e trà le due figure di mezze Lune segnate D, & E, si formò altra figura come à segno F. tramontata poi à Ponente. Si vide pure un quarto di Circolo di colore cenericcio, come si vede à segno G. quale traversava un globo luminoso alla forma del Sole segnato B mà non così luminoso. Il Sole segnato A. avanti di levarsi fù osservato parere diviso in due nel lume, e tutte queste figure stettero apparenti sopra il nostro Orizonte circa due hore, e doppo smarrirono.



De hoc vide Opus recens, cui Epigraphe: *Giornale de Letterati d' Italia* tom. sexto art. XIII.

Complurima de Parelin lunari, seu Paralesino, videri possunt apud sæpe citatum P. Mazzottam. Hoc unum observo cum Gueriools, quòd si tres appareant Lunæ (sicut contigisse Cnejo, Domitio; & Cajo Fannio Consulibus, refert Plinius lib. 2. c. 32.) tunc quæ est in medio vera est Luna, quæ verò ad latera cernuntur sunt duntaxat apparentes; sicut etiam dum tres visuntur Soles, solus medius est verus Sol.

§. IV.

De Virgis.

19. VIrgæ definiri possunt sic: Sunt *similitudo quædam virgarum multi colorum à radiis Solis causata.* Undè fuit id, quod apparet in longum protensum in modum longæ virgæ, & habent figuram rectam ad differentiam Iridis, quæ habet arcuatam figuram.

Duobus modis fieri possunt. Uno modo per reflexionem luminis Solaris in materiam exhalationum vaporum, seu nubem roridam alibi magis spissam, alibi raram, propter quod alibi apparet color viridis, alibi albicans, alibi puniceus, & alibi flavus juxta diversam opacitatem materiæ cum coloris commixtione. Exemplum dat Arist. de aqua maris. Nam si Sol ex obliquo feriat leniter superficiem Maris, crispata videbitur aqua, & quasi sulcis exarata, & videntur veluti quædam virgæ luminosæ, sed frequentes, pro ut undæ luminosæ erunt, quas in mari virgas videntes Laureti personæ vulgares solent dicere, ibi esse viam signatam, per quam Alma Domus transierit.

Alio modo fieri possunt, cum radii per angusta foramina nubes tenuiter, & parum inter se distantes diriguntur, & non procul positi sunt, inter quos sæpè videmus ex nubibus erumpere. Quam luminis radiorum formam imitantur Pictores, dum Cœlum luminosum pingunt.

Pluvias indicant, & certiùs si sint ad Austrum, quam si sint ad Septentrionem. Frequentius apparent in Occidente, quàm in Oriente. Raró tamen evenire solent.

§. V.

De Hiatu, & Voragine.

20. VOrago sive *Hiatus* definitur. *Magna quædam veluti fovea, aut foveæ similitudo in nube aliqua, vel exhalatione apparens.* Et fit dum ita congregantur vapores, ut circumdent lumen, & in medio fit densior materia, & in extremitatibus rarior. Tunc enim in illo medio, utpotè obscuriori profunda apparet cavitas: Sicut Pictores cum aliquid cavum, & profundum pingere volunt utuntur obscuro, & nigro colore apposito circa illud albo. Sicut è contra cum volunt pingere eminentias appo-

apponunt colorem obscurum circa album. Ex quo etiam habes, quomodo interdum montes in aere appareant, nimirum quia cum aer illustratur, cingitur ab aere obscuriore. Siquidem nigrum ambit distantiam quantam repræsentat. Si foveæ extremitates latiores sunt dicitur *Hiatus*, seu *Vorago*, si verò parum latæ dicitur *Fovea*.

Interdum ex illa Voragine decidere videtur Trabs ignea. Quod provenit, quia si exhalatio illa illuminatur aliqualiter accensa resugit ab atro illo colore, dum separat se à vapore illo densato. Et tunc significat siccitatem, ventos, & morbos propter alterationem humorum animalis ratione illarum exhalationum sulphurearum.

21. Si petas, an solo lumine Solis, aut etiam Lunæ fieri queat?

Resp. fieri posse utriusque lumine, & etiam alterius planetæ, aut nobilioris astri, sicut de Halone, seu Corona dictum est. Imò noster Goudin, Guerinois, Maihat, & alii solum de iis, quæ lumine Lunæ fiunt mentionem faciunt, nulla facta mentione Solis. P. autem Mazzotta principalius Solis mentionem facit, dicit tamen evenire nisi vel noctu, vel vesperi, vel mane, quia in meridie vel lumen Solis abscondit sivè opprimit lumen Voraginis, vel quia calor Solis non permittit vapores in unum concrescere.

Dicit insuper tempore sereno, ac quieto fieri, quia aeris agitatio non sinit materiam concrescere.

§. VI.

De quibusdam spectris, sive Hominibus armatis per modum exercitus in aere apparentibus.

22. NOn est existimandum fabulas describi cum fetur classes etiam cum curribus & equis & etiam navibus, per aerem visas esse pergere, interdum dimicare, interdum etiam auditas clamare. Nam (pluribus aliis omissis) anno 1590 Mense Martio antequam ab Henrico IV. dissolveretur obsessio Urbis Dreux visi in aere nocturno tempore sunt duo maximi exercitus certamen horribile congredientes, qui postea inter fragorum grandinum, ac densissimas pluvias evanuerunt; ut fert Henricus Caterinus Davila de civilibus Galliæ bellis lib. undecimo. Item anno 1599. visæ sunt Amstelodami in ipso aere paulò ante Solis occasum navium pugnæ impressiores hostiles exhibentes, hoc victos, alios victores, hoc mille Hominibus per duas horas inspicientibus. Item tubarum clangores auditi, armorumque strepitus, hoc post bellum inter Persas, & Carthaginenses evenisse refert Pausanias apud Mazzottam in loco pugnæ, ubi sequentibus temporibus armorum strepitus, hinnitus equorum, & pugnantium hominum clamores singulis noctibus audiebantur. Similes quoque apparentiæ præcesserunt bellum civile Marii & Sillæ.

Non desunt, qui hæc dicant naturaliter facta, quorum proinde causam docent esse ipsam nubium dispositionem ad luminis reflexionem, aut refractionem, propter quod diversas etiam nos observamus in aere figuras, ut etiam in fumo videmus diversas interdum exhiberi figuras, ob variam ipsius dispositionem, quò ad situm, & densitatem, & illuminationem. Sonitum autem, aut hominum confusas voces ibi audiras, causari dicunt, vel ex motu, vel ex collisione nubium, vel ab exhalationibus, & spiritibus ventosis intra nubeculas illas contentis, qui suo motu nonnonquam exhibent tympanorum sonitum.

Nonnulli etiam dixerunt, fieri à sideribus: Ensis ab Orione, milites ab Hercule, Naves à Navi, & alia ab aliis constellationibus, quæ juxta variam sui dispositionem, & situationem in Cœlo habent attrahere, & disponere quò ad situm ipsas exhalationes, & illas causare figuras.

Verùm quamquam dictæ rationes sint valdè via naturali consentaneæ; tamen (ut inquit P. Mazzotta, qui omnia recensita refert) credibile nullatenus est, cum tanto motu, ordine & exercitu cuncta ea etiam cum nostrate armorum genere, ac pugnandi usu sic exercitd naturali via posse evenire. Et quis credet hujusmodi arma nostris tempestatibus inventa, ut bombardas, tympana, tales enses, currus, & alia, quæ non ita priscis temporibus erant tales habere modo in Cœlo figuras? eò vel maximè quod estò constellationes nonnullæ habeant figuram similem iis, non tamen omnes; & etiam si omnes haberent nunquam omnes simul constellationes corruerent eodem tempore, ut quælibet tunc attrahat vapores, & formas hujusmodi efformet.

Quapropter communior, quam etiam profitetur Mazzotta, sententia tenenda est, scilicet esse opus Divinæ Providentiæ ad denunciandas clades, vel calamitates impendentes hominibus ut à peccatis caveant, & de præteritis doleant.

Idque præcipuè sentiendum est de spectris illis, quorum mentio fit in scriptura Machabæorum 2. ubi dicitur per totam Hierosolymam auditos esse armorum sonitus, & equites discurrentes auratas stolas habentes. Quæ certè Hierosolymitani referebant in Deum, vel per se immediatè, vel Angelorum ministerio talia efficientem, cum rogabant monstra illa in bonum converti.

Idem dicas de iis, quæ apparuerunt anno 1653. (ut refert idem Mazzotta evenisse temporibus suis) propè Tannum in oppido Fregatoli, ubi apparuerit armatus exercitus portans cadaver cum tubarum clangore, & à tergo sequebantur currus multi pleni Hominibus mortuis, qui portabantur ad flumen, hoc septem testibus fide dignis spectantibus.

Non improbabile reputat idem Mazzotta, posse contingere Dæmonum ope, aut etiam ope Animarum purgantium militum, & equitum prætéritorum, & eo loco mortuorum, si eveniant hæc peracto bello.

§. VII.

De Aurora, & Crepusculo.

23. MIssis variis poetarum fabulis circa *Auroram* veritatem puram habebimus. *Aurora* igitur, & *Crepusculum sunt colores quidam in aere apparentes ex diversa vaporum combinatione, & propinquitate vel distantia à Sole*, ex qua fiunt color roseus, purpureus, cæruleus &c.

Si matutino tempore appareant dicuntur *Aurora*, si vespertino *Crepuscula*.

Dissidium autem inter Doctores emergit, quanta esse debeat Solis distantia ab Orizonte verticali quando incipit illuminare vapores. Quod nos relinquimus peritis in arte. Et videri potest sæpè citatus P. Mazzotta, ubi supra in sua triplici Philosophia post Quæstiones disput. in Philosophia naturali part. 2. cap. 1. pag. 67.

24. Assignat verò idem Mazzotta rationem, quare in Meridie non appareant hujusmodi colores, qui in Aurora & Crepusculo perspicuos se præbent, nimirum vel quia Sol in meridie magis calidus dissipat vapores illos, vel quia Sol meridionalis majori luce illuminat Emisphærium, & ex omni parte lumen diffunditur, & si æquè penetrat nubes, adeòque non oritur illa colorum diversitas; At verò cùm est in Oriente, vel Occidente Sol ex una tantùm parte lumen impingit, & ex alia tenebrosa remanet.

25. Tandem vestigat, undè evenerit, quòd olim diei lux per totam noctem apparuerit. Ad quod

Respondet, provenisse vel ex refractione nimia Solis ob magnam aeris crassitiem, sicut ait Theophrastus nonnunquam, ante Solis ortum videri radios Solis ob nimiam refractionem; propter quod etiam existens imago Solis in alio Hemisphærio cernitur in nostro. Vel provenisse lucem illam propter ingentem aliquem Cometam tunc occurrentem, præsertim si causatus sit ex multarum stellarum in unum combinatione, vel ex Paraliseue tunc occurrente.

CONSIDERATIO QUARTA.

De Meteoris aqueis.

REcto ordine post considerationem tertiam de Meteoris aeris, accedit consideratio ista quarta de Meteoris aqueis, quæ novem sunt, nempè *Nubes*, *Pluviæ*, *Nebula*, *Nix*, *Grando*, *Glacies*, *Ros*, *Pruina*, *Mel*, & *Manna*. Post quæ, dicetur etiam de Mari, Fluminibus, & Fontibus.

§. I.

De Nube, Nebula, seu Caligine.

1. NUbes perfecta est vapor addensatus aquæ fœcundus secundum Arist. 4. cap. lib. de Mundo ad Alexandrum.

Addensatur in media aeris regione ratione frigoris, partim per

per se sponte sua (ut diximus Consideratione 2. sub num. 6.) sedendo ad nativum frigus; partim per accidens à calore circumstante, à quo per antiperistasim augetur frigus illud, sicque comprimuntur vapores.

Verum est tamen, quòd nubes dum jam sunt formatæ interdum descendunt etiam ad infimam aeris regionem. Et hinc fit, non posse dari determinatam regulam distantiæ nubium à terra; quamquam aliquam determinationem assignent Cardanus & Fromondus, sustinentes, minorem distantiam nubium à terra esse passuum 500. Et majorem distantiam Fromondus dicat esse passuum 4000. Et Cardanus 2000.

Contra id, quod diximus, frigus in media regione augeri per antiperistasim, objicies. Calor in infima regione non augetur frigore secundæ regionis, & frigore terræ: ergo neque frigus in media regione augetur calore primæ, & infimæ regionis.

Resp. nego ant. Experimur namque, quòd acre nubiloso vehementiorem percipimus calorem. Et licèt causæ nequeant in eodem genere causæ esse ad invicem causæ per se, benè tamen per accidens, ut fit in antiperistasi modo explicato in lib. de Gener.

2. Si petas quomodo fiat, quòd nubes in aere pendeant.

Resp. (omissis duobus modis dicendi aliorum, quorum nonnulli putant fieri magnetica, seu simpatica quadam qualitate vel Solis, vel alterius astri vapores, seu exhalationes elevantis, alii ratione minoris levitatis, quam præ aere habeant utpotè valdè per calorem astri elevantis attenuati & rarefacti) dico cum Mazzotta, id evenire, quia cum cavernosæ multùm in se sint, ac spongiosæ multum in se contineant aeris, qui facilè ascendit: sicut propter hoc alibi diximus, lignum ingens supernatare aquam, non verò lapillum, quia scilicet illud utpotè poroium claudit intra poros aerem. Eò vel maximè quòd quòad nubes concurrit etiam hoc, quod est multum attenuari, rarafieri, & in se levitatem acquirere. Coadjuvat etiam aeris profunditas, sicut etiam aquæ profunditas juvat ad navium, aliorumque lignorum supernatationem.

3. Observationes quasdam, quas purè conjecturales existimo pro prædicendo ex nubibus pluvias, & tempestates. Circa colores, tempus, & locum, quibus nubes apparent.

Dicit ergo 1. Nubes albicantes non esse multum timendas, nisi tunc magis addensentur. 2. nubes coloris viridis pluviam indicare. 3. Nubes nigras tempestuosas, & aqueas esse. 4. Nubes puniceas, aut sanguineas, utpotè magis accensas esse fulminum productrices.

Quinto nubem de mane in Occasu nimbum futurum significat cohærenter ad verba Christi Lucæ 12. *Cum enim videritis nubem orientem ab Occasu, statim dicitis nimbus venit.* 6. Subnigram nubem autumno, aut vere ab Oriente manè apparet nubilosum citò futurum tempus, ac pluviam pronunciare. 7. Vespertinas nubes rubeum, & clarum valdè habentes serenitatem indicare spirantibus quoque suavissimis quibusdam venticulis. 8. nubes à meridie Septentrione venientes pluviam indicare. 9. in æstate nubes sero apparentes esse pluviosas, quia non sicut de die Solis calore dissipantur. Quod ego dico esse verum, nisi Luna sit in notabili incremento, quia & ipsa nubes præcipuè sublimes dissipare sua luce & calore solet. Demum ex Theophrasto dicit nubes ut vellera lanarum sparsas, præcipuè si in Oriente, aquam denunciare, quia tunc vapores ex ea parte incipiunt assurgere, & multò magis si tunc Sol sit in Occidente, quia non illos dissipare. Videatur ipse.

4. *Nebula*, seu *Caligo* propriè loquendo est excrementum nubis; & nomine Nebulæ, seu caliginis usurpari etiam solent vapores quidam crassi, & imo terræ sparsi, quæ incem obscurant, ut liberè nequeant objecta videri. Si nebulæ à Sole extenuentur sunt serenitatis signum, si concrescant, & ascendant, pluviam ut plurimum promittunt.

Hujus secundæ nebulæ, seu caliginis causa est plerumque humor aqueus ex rebus humidis extractus, licèt interdum etiam ex re sicca nebulam causari probet exemplis, & experientiis Mazzotta, ubi supra part 3. cap. 2. ubi quædam alia de nebula habet, quæ apud ipsum videre poteris, si de his cures.

§. II.

De Pluvia.

5. Nubilosa nubis exclarata natura lucidiùs pluviæ enitescet natura. Pluvia siquidem *est nubes in aquam paulatim soluta*. Unde ex nube guttatim decidit.

Porrò tres veluti species pluviæ distingui consuevit, quarum diversitas non est, nisi penes quantitatem, nimirum figuram & crebrescentiam. Una dicitur stillicidium, altera Imber, & altera Nimbus. Stillicidium est tenuissima pluvia ob tenuitatem vaporum, quæ pulverulenta dici solet. Imber est pluvia crebrior & mediocris grossitiei. Nimbus denique dicitur pluvia grossior, seu per guttas grandiores. Idcircò Imber est quid medium inter stillicidium & Nimbum. Nimbus persæpè in æstate contingit, vel quia tunc urgente in aere majori frigore ob antiperistasim in majusculas guttas nubes dissolvitur, vel quia tunc aer attenuatus nō adeò sesistit ad guttas frangendas. Nimbus est noxius, quia cum impetuosè cadat, ac parum duret, minus terram penetrat, & cum sit magis frigidus facit, quòd calor intus magis intenditur per antiperistasim, quo fit ut fruges, pampini vinearum, ac flores non nihil arescunt. Et quidem quod Nimbus corruptionem inducat docemur experientia, quia videmus nimbi guttis ruentibus ranas ex terræ putrefactione gigni. Imber verò suaviter penetrat nec cum tanto impetu, nec cum tanto algore, sicut est stillicidium.

6. Quæres quænam sint causæ, ex quibus ortum habeant pluviæ quædam extraordinariæ, & forsan etiam prodigiosæ, uti sunt pluviæ quædam sanguineæ, quales fuerunt Romæ ante necem Neronis, & in Svetia anno 1534. & in Frigus orientalibus 1571. accidit pluvia sanguinea relinquens omnia madefacta, & paucis ab hinc annis in Civitate Vestarum in pede Montis Gargani priusquam terræ-motus eveniret ut refert Mazzotta. Item pluvia lapidea, quam refert Cardanus accidisse in Insubria anno 1510. qualis etiam Bisantii sub Valentino Imperatore, & in nova Hispania, & Romæ eodem Cardano teste apud Mazzottam. Item pluvia metallica, puta ferrea, plumbea, argentea, aurea &c. quæ nonnunquam accidit, & præsertim Romæ Severo Imperatore argentea pluvia cecidit in foro Augusti. Item piscea, & carnea pluvia, idest pisces & alia animalia quædam, ut contigit in Liguria sub Calixto tertio, & sexto anno Ottonis eodem testante Mazzotta. Item pluvia lanea, lactea &c.

Resp. primiter, probabilius esse, plerumque miraculosè evenisse, ut dicunt frequentiùs Philosophi.

Nihilominùs aliquam naturalem causam pro eis assignari posse creditur.

Primodùm igitur quòd ad pluviam sanguineam dici potest, non fuisse verum sanguinem, sed duntaxat pluviam rubro colore tinctam. Id autem evenire naturaliter potuit ex eo, quod cum vaporibus ascendisse, aut commixtam fuisse magnam copiam exhalationum siccarum adustarum nimio calore & abundantia, & ab ipsis coloratos fuisse. Vel post bella, aut magnas cædes evenire potuit, quia plures sanguinis vapores sursum elevati, se cum aliis vaporibus aqueis comiscentibus illos tinxere, cum satis sit minima quantitas rubri pro multo tingendo corpore. Quod si ibi non fuerunt bella, & strages illùc saltem deportati fuere illi sanguinei vapores è locis ubi fuerunt clades ventorum vi, sicut inferiùs de quibusdam aliis dicetur.

Simili quodam modo discurrendum est de pluvia lactea, nimirum albicantem evadere ob commixtionem cum quadam cretacea exhalatione, vel humore albicante.

Quæ quomodo evenire queant nonnullis experientiis chymicis exemplificat Mazzotta videndus.

Quòd ad lapides, sivè lapideam pluviam, ultrà id, quod inquit Plinius lib cap 38. lapides illos fuisse ventis asportatos, dici potest, coqui posse in nube ab exhalationibus adustis, ac facilè coquuntur lateres in fornace, uti etiam de fulminea nube palam est. Vel etiam virtute frigoris vapores exhalationibus mixtos in lapides addensari; sicut etiam in fluvio Tiburis humor cum gypso commixtus in lapidisculos addensatur. Hanc pluviam calamitates futuras denunciare refert Cardanus apud Mazzottam, qui subdit piè credendum, dura Hominum corda significare; & addit post lapideam illam pluviam, quæ Mediolani accidit, Gallorum contigisse expulsionem & occisionem, ac post triennium pestem, nec non magna bella in Mediolanensi ditione.

Quod

Quòd attinet ad animalia, nimirum pisceam & carneam pluviam dici potest cum B. Alberto, & Majolo, quos sequitur idem Mazzotta, naturalem etiam causam non deficere, quæ quò ad pisceam, & carneam esse potest calor è nubibus evaporans, qui cum attrahit humidum habens admixtum aliquid de subtili terreo, quod viscosum est, ex quo postea mediis quibusdam seminibus, seu seminalibus spiritibus sursum elevatis gigni potuerint. De lanea autem pluvia aliter discurrit, dicendo, vaporem exhalationibus mixtum in lapillos in formam lanæ addensari. Sic enim videmus hyeme super pavimenta ratione frigoris humores instar concretæ lanæ colligi & apparere.

De metallica pluvia, argentea, aut aurea simili quodam modo discurrit, ac de lapidea, addito dumtaxat quod in illis habentur metallici spiritus sursum evecti.

Quòd si his acquiescere nolis, dicit, tales vitulos, pisces metalla &c. sursum attracta fuisse ex aliis partibus, & illùc per nubes, ventosque delatos. Neque hoc incredibile esse dicit, cum Mantuæ 1615. mulierem pannos lavantem pernicissimus ventus sursum exportaverit, eaque postea ceciderit narrat Plabeus. Quod etiam credibile reddi videtur, ex eo quod ventorum vi interdum arbores transplantantur. Ille.

7. Vestigari hic solent signa futuræ, ac imminentis pluviæ, cujus signa superiora in Cœlis, sivè superioribus regionibus aeris pleraque diximus supra agendo de Tonitruo, Iride, Halone, Area, de Pareliis, de Nube &c. Alia sunt inferiùs, quorum quamplurium mentionem facit Mazzotta, cum Varrone, Arato, Ptolomæo, Theophrasto, Cardano, Plinio, Seneca, Virgilio, aliisque, sicut & aliorum superiorum.

Primo dicit, quòd pluviæ signum sunt fungi lucernarum (dummodo non proveniant ex nimia crassitie, & terrestreitate olei, aut lychni), quia ibi concrescunt ex aeris humiditate. Item hyrundo circa aquam volitans. Item Ranæ, & Corvi crocitantes, quia de futura aqua lætantur. Nemorum in sonitu, nullo per aerem flante vento; tum aut ventus, aut aqua cum fulmine timendi sunt, quia signum est moveri à vapore, vel exhalatione quadam tenui, & insensibili. Insuper quando Sol paulò ante in Oriente fit nobis conspicuus mane, ac soleat apparere, quia signum est vapores, in quibus tanquam à speculis Solis imago repræsentatur, in Horizonte multos esse, idcircò citiùs repræsentare. Ulteriùs Sol Oriens, vel Sol Occidens, si pallidus appareat, cœruleus, vel fuscus, quia signum est, ibi vapores intercedere multum aquei humoris, & parum terrestris habentes &c.

Rubedo etiam matutina cum aliqua nigredine, quia hæc oritur à vaporibus per Solis splendores illustratis. Item cum Sol est solito calidior, ac esse deberet tempore illo; quia tunc signum est, sursum multos esse vapores in quos reflectens Solis radius magis intenditur in calore.

Cum flat Auster, præcipuè vere, autumno, aut hyeme pluvia significatur, quia isti venti secum vapores portant, & cum calidus ventus sit faciunt aquam simul, ac terram evaporare; undè pluviæ materia præbetur.

Dum etiam deficit ros, ubi maximoperè vigebat, quia signum tum est materiam illam fuisse attractam ad mediam regionem aeris, & in nubem aqueam concrevisse. Quod tamen intelligendum esse dicit, si postquam desinit ros urgeat frigus, quod accidere potest dumtaxat autumno & vere, vel hyeme, quandoquidem æstate materia illa poterat vi caloris dissolvi, & in nihilum abire.

Quando montium cacumina in nubibus operiuntur, quia signum tunc est magnam ascendere vaporum copiam ad pluviam efformandam. Item cum musicorum instrumentorum cordæ remissiores valdè fiunt, quia signum est humidi ac vaporosi aeris humore fuisse relaxatas.

Cùm vulnera, ac partes corporis malè affectæ sentiunt dolorem solito majorem, quia tunc ab humido aere molestantur.

Delphinorum copia super aquas circunvoluta pluviam, tempestatemque significat, quam ipsi naturali quodam instinctu præsentiunt, sicut infra de aliis quibusdam Brutis dicetur.

Pallor, & stridor in igne; Luna nigra, vel astra sub ortu, quia nigredo provenit ex vaporum copia. Item ex Plinio, & Theophrasto observat Lunam quinto die, vel sexto cornibus obscuris pluviam indicare. Rursus mane fulgor, ventum, aut aquam indicat; & magis si nubilosus, ac niger est, nubecula circa asellos in signo Leonis.

Bovea contra pilum se se lambentea, & posterioris pedis ungulam lingentes; Vaccæ olfactantes aerem, sive naribus auram captantes, Oves lascivientes; Aves & Gallinæ tergentes se se, & plus solito saltantes; Galli canentes circa Solis occasum; Anseres aquis se lavantes; Grues præliantes in aere; Noctua solitò citiùs exiens tempore vespertino; Aselli fricantes aures; Formicæ ex suis cavernis ova afferentes; frequentior, ac molestior pulicum, ac muscarum morsus.

Ulteriùs pro signis dicit ex Zanardo, quòd habentur Talpæ plus solito in terra operantes; Gallinæ tectum quærentes; Fulica aquas quatiens; Pavo vociferantior; Sues multum grunnientes; Terræ motus levis, olei scintillatio in lampadibus ardentibus; pedes sudantes præter solitum, & extra tempus, ac causam, aqua scaturiens ubi non solebat; Aves fluviatiles terram petentes; Ardea in mediis arvis tristis manens; Columbæ tardiùs redeuntes ad Columbaria.

His omnibus propriam assignare causam, inquit idem Mazzotta, & longum, & arduum foret. Nihilominùs non est adeò mirum Bruta, præ Hominibus quasdam prævias dispositiones ad pluvias sentire, cum aliquo ex sensibus eos excedant, sicut lib. 2. de Anima dicemus in illo versu: *nos aper auditu* &c. eo vel maximè quod Bruta solis sensuum functionibus vacant.

Verum est tamen, quòd ipse crediderim, talia signa præsertim Brutorum non semper indicare notabilem pluviam, sed interdum etiam stillicidium parum, aut nimbum, imò interdum nebulam &c.

8. Subdit postea serenitatis quædam sublunaria signa, & ista recitat octo, quorum primum est Rubedo vespertina; caligo relicta à pluvia; Sol lucidus, & purus in Ortu; Via Lactea sero lucida, crebræ corruscationes sine tonitruo, & nubibus; Venti boreales in hyeme, & Zephirus in æstate; Luna pura, præcipuè die quarto, & quinto.

9. Docet ulteriùs quantùm intra terram pluvia descendat. Item quæ aquæ sint pro potu probandæ. Tandem cap. 4. agit de Diluvio. Qui plura voluerit adeat ipsum, sicut etiam Conimb. tract. 7 Meteor.

§. III.

De Grandine.

10. Circa Grandinem nullatenus est audiendus Cartesius, qui cum falsò putaverit nubem ex particulis glaciei componi, docuit, grandinem nil aliud esse, quàm particulas glaciei, quæ dum descendunt ventis frigidis supervenientibus magis constringuntur.

Non, inquam, est audiendus, quia nulla est necessitas quòd vapores ascendentes fiant gelu, antequam fiant nubes, & pluvia, ut patet de vaporibus ex olla ascendentibus, dum interdum in aquam iterum resolvuntur. Quod præsertim in arte spagirica elucescit, dum ex aqua in vase posita vi ignis videmus vapores sursum elevari, & sic si superiorem partem alambici frigidam repererint, se se reducentes ad pristinam frigiditatem, statim guttatim in aquam decidunt; Et non nulla alia contra Cartesium videri possunt apud Guerinois.

11. Ut autem veram ejus comparemus notitiam præsupponendum est, quòd non est idem grando, & grandula. Nam grandula, quæ ab aliis etiam glandula dicitur, ex nive fit in minuta grana congelata rotunda ad instar coriandri saccharo confecti; & sic grandula est nix rigens ex frigore venti Septentrionalis, ut inquit Mazzotta.

Grando igitur aqua est congelata, seu guttæ, in quas nubes resolvitur, quæque frigore addensatur. Undè grandinis materia proxima est aqua, seu aquæ guttæ; & idcircò sicut istæ sunt sphæricæ figuræ, seu illæ, quæ ad aquæ figuram se reducunt, ut perspicuum est in guttis interdum herbarum, vel arborum foliis adhærentibus. Ita & grando rotundæ extat figuræ. Materia verò remota est nubes, materia remotior sunt vapores &c.

Circa verò grandinis efformationem variè locutos esse Philosophos putat Mazzotta. Refert igitur, quòd qui cum Arist. sentiunt, tenent minorem frigiditatem requiri in grandine quàm in nive, & nivem dicunt fieri per nimiam condensationem nubis, grandinem vero per majorem condensa-

densationem guttarum aquæ; & quia majoris frigoris vis sequiritur ad condensandam nivem, quam ad condensandam guttam; idcircò minus frigus, proindeque fiat in infima regione aeris, in qua frigus non est adeò per excessum. Idque suadent etiam alia via, quoniam videmus, nubem grandinis interdum non extendi ultra centum passus, ultrà quos sanè extenditur nivis nubes. Et quia Mazzotta dicit id evenire, quia nubes, tunc gravitans descendit, non verò quia ejus grando sit in infima aeris regione formata. Idcircò potest addi quod interdum grandini miscentur paleæ, pili &c quæ in aere volitabant, grandinique dum formaretur adhæserunt. Hæc autem non longè à terra solent ventorum vi elevari. Item grandinis nubes celeriùs movetur, ergo est magis propinqua.

Deinde dicit, quamquam res difficilis sit se magis inclinare in sententiam oppositam, quam sustinere videtur B. Albertus Magnus cap. 27. & Anaxagoras cum Seneca, quos sequitur Cardanus, eisque addi potest Gassendus, prærequirentes frigoris excessum, proindequè in secunda aeris regione fieri volentes. Hinc majori urgente in Æstate frigoris antiperistasi accidunt grandines, non sic in Hyeme. Imò cum ipsemet Arist. dicat congelari antiperistasi pluviam in glaciem, cum major Æstate sit antiperistasis, consequenter magis intenditur frigus, ergo signum est fieri majori frigore. Idque ulteriùs suadet, quia grando congelatur in aqua descensu; nivis autem nubes manet immota, signum ergo est majus esse grandinis frigus, cum majus frigus requiratur ad addensandum id, quod movetur, quàm id, quod non movetur; propter quod mobiles, ac fluentes aquæ frigore non congelantur; immotæ vero per quodcunque, etsi tenue frigus. Quod comprobat exemplo. Nam dum nix in aquam dissolvitur ex tectis guttans, aqua in guttas convertitur pendens è tectis, tunc enim plus frigus viget, ac dum ningit, ac temperato aere, licèt fiat nix, non tamen fit glacies. Addit quòd frigus à grandine causatum terris maximè nocet, & etiam majori impetu cadit: ergo majus urget per antiperistasim frigus.

Pro resolutione, & pro sententiis istis conciliandis, dicendum est, quòd duobus modis grando generari potest. Uno modo per se, nimirum cùm frigus circumstantis aeris congelat, & indurat pluviam decidentem, & hoc modo fit in media regione aeris. Alio modo per accidens, idest per antiperistasim, quando nempe pluvia decidens est admodum frigida; aer per quem transit est admodum calidus; tunc namque frigus pluviæ fit vehementius per antiperistasim calore circumspersi aeris.

Et per hanc doctrinam solvi possunt omnes objectiones Patris Mazzottæ.

Prima quidem. Nam primitèr falsum est, nunquam in Hyeme grandines evenire, soloque æstivo tempore contingere. Imò ut plurimum Vernali, & Autumnali tempore, non verò æstivo contingunt.

Deindè ideò pluries in Æstate, quàm in Hyeme grandines contingunt, quia tunc solum illæ dantur, quæ generantur per se, non verò quæ generantur per antiperistasim.

Secunda etiam. Nam inde solum infertur, quòd requiratur majus frigus quam illud, quod ex se aqua præsefert. Ultraquamquod, ut vidimus lib. 5. de Gener. & Corrupt. q. 7. quæsito posito post art. 1. §. 3 *dico secundo* probabile est, quòd frigoris intensio in antiperistasi fiat per hoc, quod non recedant exhalationes quædam frigidæ, quod est intendi, & fieri majus negativè, quatenus contrario circumstante non permittitur remitti, sed veluti cogitur vire colligere. S

Tertia etiam primitèr, uti mox dictum est, probabile est requiri illud majus per retentionem illarum frigidarum exhalationum. Deindè quod licèt ad congelandum per se requiratur majus frigus in ipso aere circumfuso, quia tunc ab ipso per se causatur, & ab ejus virtute, secùs verò ad congelandum per accidens; imò ad hoc requiritur major calor ut cogat frigus uniri &c.

Tandem non est eadem ratio de grandine, ac de glacie. Nam grando est quid medium inter nivem & glaciem, & idcirco non requiritur tam grande frigus ad generationem grandinis, quantum ad generationem glaciei requiritur. Undè retorquetur potiùs argumentum.

Vel dici demum potest quòd etiam nix est congelata potentiori frigore, sed in tantum non est adeò condensata, sed mollior, quia est facta ex nube subtiliori, ut §. sequenti iterum dicemus.

In tantum autem dum ningit non tam grande sentitur frigus, & quia calor Solis reflectitur deorsum ab ipsa nive, & quia simul cum nive decidunt spiritus multi calidi in nube nivis priùs inclusi.

Et per hæc cessant objectiones Mazzottæ.

Placent tamen ejusdem nonnullæ observationes.

52. Et primitùs, grandinem ut plurimum cum aqua conjungi, quia non omnes guttæ aquæ in grandinem congelantur, & sic quia supersunt in aquam decidunt, quæ semper majuscularum guttarum esse videtur, qualis pro grandine requirebatur.

Deinde alia observatio, nimirum, quòd miræ visæ sunt in grandine interdum figuræ, puta facies Hominum, interdum Equorum, ac Solis &c. Nonnunquam litteræ inscriptæ: & inter cæteras Cremonæ anno 1240. grandinem cecidisse fertur, in qua Crucis signum, Christi facies, cum litteris *Jesus Nazarenus* cernebantur, e cujus stillis lumen fuit redditum cœco.

Circa quæ prudenter discurrit, dicens, quòd estò formæ nonnullæ naturali dispositione materiæ, & situatione locali repræsentantes talem figuram oriri queant; quemadmodum ex talium partium materiæ, situatione in tali loco, taliumque colorum in carta oritur talis figura; non tamen credibile est semper naturaliter evenire; & præsertim de grandine Cremonensi perspicuum esse. Idcircò credendum ad supernaturaliter nonnulla imperscrutabilia Dei judicia indicanda fuisse facta, vel à Deo immediatè creata, vel Angelorum ministerio composita.

Ulteriùs observatio alia, quòd nimirum grandinis color semper observatus est albicans, vel quia humor antiperistasi concoquitur, vel quia aerem includit, sed quia in minori quantitate quam nix, idcirco minus alba quam nix.

Insuper quædam imminentium grandinum signa nonnulla observata, quæ septem enumerat. Primum dicit quod est nubes valdè densa, & obscura, præcipuè in Æstate, nec longè distans à nobis. Secundum est gravida nubes albicans. Tertium Lupus ululans in locis fultis, & planis ut Niphum adnotasse dicit. Quartum Apes non procul ab Alveario volitantes. Quintum canes latrantes, sed vocem subindè variam mutantes. Sextum Boves plus solito comedentes. Septimum Anseres volitantes.

Tandem loquens de remediis contra grandines, neglectis quæ apud Antiquos in usu erant apud nonnullos putà cruentam in Cœlum securim erigere; apud alios noctuam alis patentibus affigere, apud alios agros pelle Vituli marini, aut Cocodrilli circumdare; & insanias alias mille, concludit in hoc nullum Divino auxilio efficacius; Morem autem esse ut campanæ adhibeantur sonantes, tum ut ipsarum sonitu mali pellantur spiritus, qui non rarò tempestatum authores habentur; tum ut per campanæ motum (quod etiam cum sclopis, & bombardis) commoveatur aer, & per motum alibi ejiciatur, secum grandinosam deferens nubem.

§. IV.

De Nive.

53. NIx *est nubes rorida, nondum dissoluta, sed proxima in aquam dissolvi, & in eo instanti vehementi frigore congelata*. Et est quid medium inter pluviam, & pruinam, siccior pluvia, propter quod continua decidit, quia frigore congelata, & antequam in pluviam resolvatur, minùs tamen sicca quam pruina, quia ista acriori frigore congelatur, & idcircò in modum quasi Lunæ extenditur. Item mollior aqua congelata, & grandine, quia nubes, quæ est materia, ex qua nix formatur, est subtilior, exhalationibus non adeò crassis constans.

Hinc est, quòd dum ningit non decidunt tonitrua & fulmina, quia nimirum generatio fulminis, ac tonitrui fit ex materia terrestri intra densiorem nubem clausa: eò vel maximè quòd nix non multum terrestris est.

Propter eandem rationem non lucet sicut glacies, quia in ea, utpotè nimis mollis, ac rara lumen transmittitur, ac penetrat facillimè, nec radios reflectere potest.

Figuræ autem nivis sunt variæ, quoniam cum sit valdè flatuosa, utpotè ex nube illa rorida, & aere efformata, sicut spuma ex aqua, & aere, idcircò aere dilaceratur dum movetur cadendo, ac in variarum figurarum floccos decidit.

Color nivis albus ut plurimum est, quia vapor ille jam de aqua participans, & multo permixtus aere colorem albicantem exhibet, quoniam licet nec aer, nec aqua sint alicujus coloris, tamen utpotè corpora diaphana sunt luci magis apta sicut est color albus, sicut & de spuma constat. Et idcirco nix, utpotè sic alba, proindeque nimis luminosa disgregat visum, oculosque videntes hebetare habet, si in magna sit quantitate.

Ex his apparet, quàm verum sit, quòd diximus supra, nimirum ad efformationem nivis majus frigus concurrere, quàm ad efformationem grandinis. Nam frigus multum ad album colorem conducit, ut in Septentrionalibus viris apparet.

Num autem talis color sit realis vel apparens? Guerinois dicit, quòd sit realis, quia multum durat. Nihilominus sicut in spuma est tantum apparens, sic & in nive apparens probabiliter dici potest, utpote ex aere, & aqua conlurgens, in quibus nullus verus color adest. In tantum autem durat, quia durat illa permixtio aeris, & vaporis, vel illa forma media imperfecta & vitalis ex eis resultans.

Licet autem ut plurimum nix sit alba; interdum tamen alios exhibet colores, & præsertim in Armenia nix rubra cadit, ut fert Eustachius in Commentario Iliados. Quod provenire potest à quibusdam exhalationibus nimis adustis, & rubefactis commixtis cum ipso vapore, vel causa esse potest, quia vapores, ex quibus constat materia nivis potuerunt esse rubro non pauco permixti, vel quia elati fuerunt à locis bolosis, aut commixti cum vaporibus sanguinis elevatis, vel alias ob causas, ob quas diximus §. præcedenti pluviam naturaliter contingere potuisse sanguinem.

14. Inter nivis effectus supputatus primitèr, hoc, quod est aeris utilitatem afferre. Tum quia suo circumstante frigore facit per antiperistasim calorem terræ intendi, spiritusque terræ seminales detinet, ne respireot, sicque plantæ, cæteraque vegetabilia fortiùs radices emittunt. Intelligetamen nisi diù duret, juxta vulgi dictum, quod si per 40. dies incubat terræ est ei mater, si verò ultra fit est noverca.

Deindè alius nivis effectus dicitur à Mazzotta ex Plinio, & Scaligero exerc. 59. esse hoc, quod est animalia reddere alba; sic lepores albos, perdices, Aquilas &c. & multa animalia, quæ diversi coloris apud nos in regionibus polaribus nimis nivosis alba esse fertur: Præcipuè in Norvegia, non solum lepores, verum etiam Ursi, Aquilæ, Vulpes, & Corvi albi feruntur.

Causam nonnulli esse autumant esum nivium, sed hoc meritò reprobat idem Mazzotta. Tum quia nix sua maxima frigiditate minimè pro cibo est accommodabilis. Tum quia sequeretur, quod apud nos ratione herbarum viridium, quæ à Brutis comeduntur virida esse deberent.

Melius itaque cum eodem, & ex dictis à nobis a. Phys. q. 3. post art. 3. agendo de Monstris dicendum est, ex tam frequenti nivium aspectu tam diù ibi durantium, maximè invalente appræhensione provenire. Quandoquidem ex appræhensione accidit fœtum multas recipere impressiones. Sic in scripturis de ovibus Jacob, dicitur, quod ex aspectu virgarum diversicolorum in aquas, quas bibebant, aspicientes multicolores producebant lœtus. Quod comprobat exemplo mulierum, quæ aspectu Æthiopis apprehensi fœtum nigrum edunt. Idque perspicuum esse dicit innumeris in exemplis, & narrat de equis cornutis, quos apud se Dux Adriæ habebat.

15. Nivem pro potu assuetis bonam, non assuetis pessimam esse dicit, Rationem adducit, quia nimirum nimia frigiditas stringit partes, propter quod tussim generat, & oppilationem. At hoc stante, nescio quomodo dari possint tali potui assueti.

16. Tempus nivis, estò ferè semper sit hyems, nihilominùs etiam aliis temporibus evenire intendum vitum est: Et in vere die 10. Maii 1643. ingentem nivis copiam cadere se vidisse testatur Mazzotta; Imò & in æstate, atque autumno apparuisse fert idem Mazzotta ob aliquos boreales, vel antiperistasim; vel quatdam cœlestes tunc causas occurrentes.

Locus, in quo cuduntur est secunda aeris, quæ frigidior est.

In mari non ningit, quia ratione caloris ibi aer est tepidior. Ulteriora de nive legas apud Mazzottam.

§. V.

De Glacie.

17. Antequam de Glaciei efformatione disseramus præmitto, non esse nisi ut apertum paradoxum habendum id, quod inquit Saguens tom. 3. Phylicæ disp. 13. art. 4. num. 2. ubi docet, quòd aqua conglaciata sit rarior se ipsa soluta, & oppositum negligit uti vulgi sensum. Et ratiunculas duas ad hoc habet, quarum prima est, quod Glacies aquæ supernatat. Secunda, quod aqua conglaciata majorem occupat locum, quod nonnullis exemplis suadet.

Paradoxum inquam. Nam id, cujus partes sibi magis cohærent densum, & non rarum est, sed partes glaciei sibi invicem meliùs cohærent, cum difficiliùs sejungantur quam partes aquæ solutæ: ergo Glacies est densior, non rarior aqua soluta.

Ad primam rationem Joannis Saguens. *Resp.* id provenire, non ex eo, quod glacies sit rarior, sed ex eo quod solæ partes superiores aquæ congelantur, eo quod in eis mitcentur tum aer, tum exhalationes terreæ, sed leves, ut vapores, qui etiam sursum ad regiones aeris elevantur.

Idem dicas ad 2. similiter, quia ex mixtione illarum exhalationum angetur, sicque majorem occupant locum, si verum est quod inquit Saguens.

18. De modo autem, quo glacies efformatur nihil habet Saguens sive ibi, sive in tract. de Meteoris.

Benè verò de eo agunt Cartesius, & Gassendus, qui tametsi cum aliis conveniant Philosophis, quòd glacies sit aqua congelata, tamen discrepant in modo explicandi. Igitur

Cartesius vult, aquam congelari per hoc, quod globuli secundi elementi paulò minùs solito agunt, & movent. Idque probare conatur duabus experientiis. Prima de glacie, quæ per artem æstivo tempore efformari solet replendo vas aliquod aqua dulci, ac circa ipsum ponendo glaciem contusam, aut aliquam nivis portionem, & aquæ in vase contentæ miscendo salis copiam. Tunc enim statim ac glacies, vel nix dissolvitur aqua in vase contenta evadit glacies. Quomodo autem hoc fiat explicari nequit, nisi cum modo loquendi Cartesii. Secunda, quia constat experientia aquam quiescentem faciliùs congelari, quam illam, quæ motu mitiori agitatur.

Cujus Cartesiani inventi falsitas enitescit, Tum ex eo quod præfatos globulos latis s. Phys. abjecimus. Tum ex secunda experientia ab ipso adducta, quoniam nimirum aquæ quiescentes secluso illo mitiori motu congelantur. Et sanè etiam in æstate aquæ non paucæ mitiùs moventur, imò quiescunt, nec tamen tum congelantur.

Ad 1. Cartesii experientiam primitùs dico, quòd non apparet quomodo Cartesii doctrina juvet ad illam experientiam elucidandam. Deindè *Resp.* id provenire ex eo, quod sal dispergitur, ut se insinuet cum omnibus partibus aquæ, & aqua subtiliatur, & idem sal simul cum partibus aquæ pinguioribus stringitur, ac unitur medio frigore, cujus est homogenea, & heterogenea congregare.

Hoc etiam modo solet coagulari medio salignoso congelo.

Alia responsio videatur apud Guerinnis.

Ad a. experientiam *Resp.* id evenire, quia per aquam fluentem movetur etiam aer ei contiguus; sicque mutantur superficies aeris frigidioris, quæ ex immediato aquæ contactu frigidiores fiunt, & aliæ adveniunt.

Alia responsio videatur apud eundem Guerinois.

19. Gassendus tenet, aquam congelari per hoc, quod corpuscula orbicularia, quæ sunt in aqua exploduntur ex ipsa, solaque corpuscula plena remanent.

Verum & hoc aliud inventum eadem falsitate afficitur. Nam si tot corpuscula abirent, certè minui notabiliter deberet tunc aqua. Quod tamen non evenire constat, estò forsan tantilper minuatur, quoniam ratione frigoris constringentis partes aliquæ tenuiores evaporentur. Imò Saguens relatus hic num. 13. vult quòd aqua conglaciata majorem occupet locum, quam soluta.

Adde, quòd, ut observavit Guerinois, Gassendus concedit alibi corpuscula orbicularia solis corporibus habentibus pinguem, & viscosam materiam, inter quæ certè non est aqua.

Cæteri vero Atomistæ sentire videntur, in aqua adesse dumtaxat corpora orbicularia, cum dicant adesse corpuscula sphæ-

sphærica, quia ista sunt magis apta motui; & idcircò aqua est fluida. Cum ergo tota aqua sit fluida, ita non nisi corpuscula rotunda erunt in aqua, nullatenùs corpora plana.

Aliæ impugnationes videantur apud Guerinois.

Dicendum igitur cum Peripateticis, Glaciem fieri per hoc, quod quædam terreæ exhalationes disperguntur per partes aquæ, ac cum illis constringuntur medio frigore, quod habet homogenea, & heterogenea congregare: Idcircò faciliùs congelatur aqua in superficie, quia ibi in majori copia exhalationes terreæ habentur.

20. Ex Glacie chrystallum, ubi vehementior urget algor intra montes altissimos efformari dixit Plinius lib. 3. cap. 2. Id tamen negat Goudin referens alios suppresso nomine, quia (inquit ipse) chrystallum est mixtum perfectum. Nihilominus Plinio favet Mazzotta, dicens experientia haberi quod chrystallum in aquam resolvitur, & citat B. Albertum Magnum ex 2. Meteor. Sed de hoc infra agendo de fossilibus, seu mineralibus.

21. Glacies, & Gelu, licèt pro eodem sumi soleant, tamen Guerinois dicit, distingui, quòd Glacies locum habeat in fontibus, fluviis &c. Gelu autem (quod idem esse dicit ac Pruinam) in arboribus, tectis &c. idest etiam capillis, barbis, &c. virorum; licèt istud pilorum, & capillorum nomine proprio appellari soleat Stiria.

§. VI.

De Rore, & Pruina, idest Gelu.

22. HÆc duo in unum complectimur, quia pruina fit ex rore tempore valde frigido congelato.

Ros igitur est *vapor exiguus, & subtilis in infima aeris regione, cum Cœlum est serenum, quietum, ac tepidum in tenuem stillicidium, & quasi imbrem solvitur.* Pro quo

Considerandum est, quòd Pruina formatur ex quibusdam vaporibus, qui jam sero à Sole elevantur, dum jam est versus Orizontem, & transversalis, ideoque non transcendunt infimam aeris regionem, utpotè minus efficaci calore tenuati, & rarefacti, ac elevati. Postea paulatim eo calore recedente, pristina frigiditate redeunte, noctisque frigiditate adjuncta, ac innata juvante gravitate antequam Sol redeat decidunt in terram: idcircò omni anni tempore in aurora frigidior sentiri videtur aer; ac propter eorumdem vaporum descensum venticuli quidam sentiuntur.

Nec deest qui probabile putet rorem à Luna causari sursum elevante suo modico calore; mane autem recedente ipsa, quia recedit causa illos evehens sursum, decidunt calore recedente, & recipientes se ad pristinam frigiditatem in rorem dissolvuntur. Ita Mazzotta.

Dixi autem *Cùm Cœlum est serenum* quia si turbatum, & pluviis, aut ventis infestatum concrescere non potest vapor cùm agitatur.

Dixi etiam, *& tepidum*, quia si frigidum vehementer sit, congelatur vapor ille in pruinam.

23. Plures sunt roris effectus, alii utiles, alii inutiles, quos recenset P. Mazzotta. Primi, quia decidunt cum rore plures spiritus vegetabiles, qui sursum è terra erant elevati, hinc fertilitatem inducit: At quia etiam non paucos simul includit spiritus salnitrales, idcirco si calore immoderato ros super herbas, fructusque calefiat, malus est: Idcircò etiam ratione talium spirituum comburentium coria, & calceamenta adurit illis, qui supra rorem incedunt. Item tincturam variat in pannis, & colorem mutat in rebus ratione spiritus Salnitri, & calchanti commixtorum in tritico inducit rubiginem; commestus alvum solvit. Indè dicit esse commune Rusticorum purgativum, nimirum res rore madefacta comesta.

Inter universos effectus roris supputat illum, quòd fideliter, & piè à Catholicis solent ægrotantes pluribus morbis die Sanctissimæ Ascensionis Domini, se inter herbas rore madefactas circumvolutari, ac sanitatem recuperare, hoc facientes in memoriam Sanctissimi illius roris, qui eo die, quo Christus Cœlum ascendit cecidit è Cœlo.

Alium esse dicit roris effectum, nimirum, quod ob suos exsiccantes spiritus inclusos matricem indurat, & exsiccat: & eapropter non paucæ rore se lavare consueverunt.

Insuper rorem habere vim quamdam nutriendi animalia narrat. Præsertim verò ex Arist. in 4. de Historia animalium cicadam rore nutriri, imò & rore cicadam inebriari ex aliis dicit, indeque inebriatam canere. Item corvorum pullos rore nutriri, & idcirco albos esse ex D. Greg. Magno tradit.

Ulteriùs venenosorum animalium vim hebetari rore compertum esse experimento testatur.

Tamdem serenitatem rore indicari profitetur, præcipuè quando continuat, quia signum esse, dico, quod non elevatur sursum materia, adeò pinguis, & crassa, ut materia aquæ.

24. Opportunius pro rore tempus autumnum, & verem assignat, quia tunc temperata est Solis actio, cum nec tam vehemens, nec tam debilis sit in vaporibus moderatè elevandis.

25. Pruina, ut jam dictum est num. 20. & 21. fit ex rore congelato.

Num autem pruinæ vapor, sive vapor, qui est pruinæ, & roris materia, congeletur antequam descendat supra terram, vel dum jam est?

Respondet supracitatus Mazzotta, utrumque probabile esse. Siquidem cum pruinæ tempore magnum vigeat frigus potest decidentem per aerem vaporem congelare, ut facit in aquis è tectis decidentibus, & in grandine. Secundo etiam modo fieri posse, quia cum in terra, in lignis, herbis, arboribus, & tectis densiùs reperiatur frigus, potest decidentem super ipsa vaporem congelare.

Solet dici, quòd si habeatur pruina tribus vicibus pluviam significat.

Hoc tamen, si verum est, non provenit ex illis vaporibus, ex quibus pruina formetur, cum isti parum eleventur, ut diximus, sed quia signum est magnam esse in terra, aut aqua dispositionem ut vapores exhalet, adeoque fore in magna quantitate de die à Sole etiam in sublimis evehendos.

§. VII.

De Melle, Manna & Sacchare. Et Primo de Melle.

26. MEl apum ministerio suppeditatur, quarum pro vestiganda natura, annis sexaginta studio operam navasse Aristomacum fertur.

Erravere circa mellis naturam non pauci. Siquidem ut innuit Plinius lib. 11. cap. 12. nonnulli dixerunt esse, Cœli sudorem, alii sidarum salivam; quasi quòd corpora cœlestia sint viventia quædam expuentia, ac exsudantia; cum tamen viderimus in lib. de Cœlo corpora cœlestia non esse animata. Et sane cum corpora cœlestia sint tam ingentia, tamque grandi in multitudine cœli, ac stellæ diluvium quoddam sudoris, & salivæ, quo melle opprimeremur; quis non formidaret?

Erravere quoque nonnulli alii, qui dixerunt, mel esse apum excrementum. Quandoquidem certum apud Universos est, quòd ipso melle pro cibo utuntur apes; excrementum autem unius estò consideretur posse esse cibum alterius, non tamen ejus, cujus est excrementum; quia virtus nutritiva jam extraxit quicquid continebat pro ipsius animalis nutritione; proindeque excrementa forent inutilia.

Adde, quòd ut observavit Arist. lib. 5. de Historia animalium, uno vel altero die cellulæ melle repletæ inveniuntur ab Apiariis; nequeunt verò apes brevi adeò tempore tantum excrementum emittere.

Imò propter eamdem rationem cum eodem Arist. dicimus, errasse nonnullos alios, qui apud Senecam epist 84. putarunt, ab ipsis apibus propria earum virtute, ac rore veluti prædulci sapore, collectum mel condiri.

Fert etiam Plinius ubi supra, prima aurora inveniri arborum folia melle rorida. Unde qui matutino tempore sub dio fuere unctas melle vestes, capillosque melle concretos nonnunquam sentiunt. Rursus narrat Strabo lib. 2. quòd in Hircania absque apum industria, & auxilio mel suavissimum ab arborum foliis defluere ac colligi.

27. Dicendum est igitur, mel jam confectum virtute naturæ deportari ab apibus in sua alvearia, ut illis pro cibo deserviat in hyeme.

Quodnam autem sit id, ex quo fit, & quomodò fiat? duobus modis fieri posse videtur succus iste. Uno modo in ipso aere per mistionem quorumdam vaporum, qui sunt valde ibi defœcati, ac in terram decidunt, ac super flores, & herbas, præsertim volunt nonnulli quod fiat ex mixtione roris perfectè concocti aliis exhalationibus, & ita sentire videtur cum Arist. ubi supra lib. 5. de Historia animalium.

m alium. Tum Plinius lib. 11. cap. 12. ubi conqueritur de hoc, quòd mellis liquor non deveniat ad nos ita purus sicuti formatur in aere, eo quia in descensu qualitatibus nocuis, aliisque spiritibus commiscetur, & postea ex ore apum evomitur, & hoc satis probabile videtur, ex eo quod temporibus, quibus ros vix descendit apes mellificant, imò & interdum moriuntur.

Secundò, sed certè in modica quantitate, per hoc, quod apes à plantis, ac floribus extrahunt materiam magis spiritosam, ac benè concoctam, qua fit succus quidam internus, ac veluti medullaris. Ex hoc pacto non erit meteorologicum. Hoc fit probabile ex eo quod videmus ex plantis unde apes mellis succum exugere videntur si ore gustentur, & sugantur sentitur liquor, ut palam est in Liguritia.

Alii id probant, ex eo quod juxta varias plantas, ex quibus extractum est mel, diversum esse; sic ex venenosis, nimirum ex mapello, acconito &c. venenatum evadit, ex thimo & rosis, aliisque olentibus floribus optimum, ex absynthio amarum &c. Verum hæc ratio nihil suadet, quia potest tale corripere venenum ex contactu illarum herbarum, super quas jam efformatum cadat.

Videatur Mazzotta, qui etiam dicit ex Plinio, mel splendente Sirio, hoc est Canicula Vere, & Autumno sorare, quia tum tenuis ille vapor melleus sufficientissimè concoqui potest, ut dulcedinem inducat.

28. De melle silvestri, quo in Deserto vescebatur S. Jo: Bapt. Matt. 3. una duntaxat est opinio SS. Patrum, ut videri potest Guerinois, & Mazzotta, qui tamen nihil certi determinant

Mel in fundo est melius; estque antiquum proloquium: *Bonitas mellis in fundo, olei in supremo, vini in medio.*

De Manna.

29. MAnna si consideretur, id ex quo fit, & quomodo fit videtur esse ejusdem speciei cum melle. Namque manna *est similis vapor ac succus, licèt magis decoctus, quam mel, idcircò magis candidus.*

Nihilominùs diversæ speciei esse dicit Guerinois, quia mel auget bilem, quam manna purgat. Causam autem hujus diversitatis specificæ non assignat. Hanc causam ego crediderim esse quorundam constellationum speciales influxus, sub quibus regiones quædam sitæ sunt. Cujus signum est, quod mel ubique, vel ferè ubique efformari, non sic verò manna, sed duntaxat in Calabria, Delphinatu Galliæ, & paucis aliis in regionibus.

Mannæ vero compositionem rorem præcipuè ingredi nemini est dubium, imò dicit Mazzotta quarundam arborum, ut Orni, & Fraxini foliis adhærentem rorem converti in manna, & colligi. Sic autem colligitur: Sternuntur humi vellera, super quæ arborum rami excutiuntur, ex quibus postea velleribus extractum in figulinis vasis asservatur.

Sed interdum putat Mazzotta, Manna efformari ex arborum succo. Sic enim dicit, quòd arbores illos scindunt, & lacerant in scortia, & manè instar gummæ forasemissum adhærens colligunt manna, ut in Gargano monte se vidisse dicit anno 1651.

Sed verosimilis videtur, ab ipsis arboribus ita laceratis attrahi ad se rorem veluti à spongia.

30. Num Manna Hebræorum, cujus historia habetur Exodi 16. fuerit ejusdem speciei cum nostra nec ne?

Guerinois dicit, fuisse diversæ speciei, tum quia Psal. 77. vocatur panis Angelorum. Tum quia omnium saporum varietatem præstabat, ut habetur Sapientiæ 16. Tum quia non omnibus, sed probis duntaxat omne suavitatis delectamentum præstabat. Tum denique quia manna naturale, & vulgare incorruptum etiam ad longum tempus conservatur. Illud verò, si in alterum diem servabatur computrescebat.

At fuisse ejusdem speciei tenet Mattath, & Mazzotta. Quod & mihi probabile videtur; Quemadmodum Coturnices ad eos missæ fuerunt ejusdem speciei cum nostris. Et vinum in nuptiis Canæ, quod ex aqua Christus fecerat, fuit ejusdem speciei cum nostro, estò adeò jucundius.

Ad fundamenta Guerinois, dici potest ad primum vocari panem Angelorum, quia Angelorum ministerio applicandis activa passivis fuerit efformatum. Non enim credendum est Angelos manducare. Vel dici panem Angelorum ob saporis excellentiam, sicut cochol'ara solet numidica, seu regia potio nuncupari; & delicatissimi quique cibi solent regii cibi ob excellentiam nominari. Panis autem dictum fuit, quia ex illo in olla decocto formabant tortulos. Ad 2. & 3. quòd fuerint ei miraculosè qualitates quædam datæ, atque miraculosè fuisse factum, ut non omnibus adeo jucundum foret, & idcircò indignis illis hominibus vilis, & nauseans videbatur cibus. Item Divina dispositione sic citò putrescebat: sicut & Divina dispositione æqualiter saturabat eos, qui plus, ac qui minùs colligebant.

Quòd autem durius fuerit sicut illud se ad modum ciceris se vidisse testatur Bononiæ in Monasterio S. Stephani, in quo Deserti manna asservabatur. Hæc, inquam, sicut & cætera alia dicta differentiam duntaxat accidentalem indicant.

Observat idem Mazzotta, quòd antequam caderet manna, pruina præcedebat, ne manna sordesceret. Obdurescebat autem in Græcia, ut faciliùs posset colligi. Videri possunt Dioscorides, & PP. Conimbricenses.

De Sacchare.

31. VIdebitur fortasse alicui non ad rem esse hic agere de Saccharo, eò quòd inter Meteora videatur non supputandum, cùm fiat ex quarundam arundinum medullo, sivè succo, qui succus postea per diversas ebulitiones purificatur, & sic perindè habet dealbari; uti fieri in Italis, aliisque Orbis partibus consuevit. Undè Plinius lib. 18. cap. 8. *Saccharum*, inquit, *ex Arabia fertur, sed laudatius ex India; est autem mel in arundinibus collectum, Gummium modo, candidum, dentibus fragile &c.* Et Galenus lib. 7. de simplic. medic. facul. cap. 101. *Saccharum* scribit, *quod ex India, atque felici Arabia, convehitur in calam, ut ajunt, concrescit, & ipsum mellis est species.*

Nihilominùs non abs re omnino fuit de ipso aliqua dicere, quia non desunt qui inter Meteora connumerant illud Undè scribit Scaliger relatus à Guerinois, quòd apud Ægyptos, & Arabes est aliud Sacchari genus, quod non exprimitur ex arundinibus, sed aliquam veluti ros colligitur. Similis opinionis est Mazzotta referens alios supresso nomine. Undè Dioscorides lib 2. cap 7. *est*, inquit, *aliud genus mellis, quod Saccharum nominatur.* Mel autem non extrahitur ex arundinibus.

Nihilominus Saccharum esse diversæ speciei tum à melle tum à manna dicendum puta. Quoniam manna purgat bilem, mel eam auget, & de mellifluis rebus verificatur dictum illud, quod *dulcia* bilescunt. Saccharum autem habet qualitates in quadam media temperie, undè dici solet, quod cum calidis calidum, cum frigidis frigidum est. Ratio autem illa esse potest propter quam supra diximus Manna esse diversæ speciei à melle.

Saccharum autem illud antiquum ejusdem speciei cum nostro fuisse, licèt veteres latuerit ars eum ad candorem, & spissitudinem adducendi, dicit Guerinois, qui subdit, arundinea Saccharum ferentes abundè nasci in Indiis Occidentalibus, in Insulis fortunatis, aliisque in locis.

§. VIII.

De Mari.

32. QUòad maris originem missis non solum Poetarum fabulis, de quibus videri possunt nonnulli alii Scriptores, verumetiam Talmudistarum somniis, qui sacrilegè in Talmud somniarunt Deum semel in anno lugere, dolentem, quod sic amarè Synagogam afflixerit, & quod tunc ab oculis Dei una manet lacryma, eaque Oceanus formatur. De quo videre est nostrum Sixtum Senensem ex Hebræo Christianum, ac Dominicanum in sua bibliotheca sancta, ubi inter cætera, quæ ibi habet refert, ac referendo refellit, ac refellendo irridet deliria, ac blasphemias Talmud in Deum, ac Moysem. His inquam omissis certum est fuisse à Deo creatum mare, quod est congregationes illæ aquarum, quas Deus in locum unum redegit, appellavitque maria, ut in Genesis 1. habetur.

33. Duo in Mari sunt principaliora meteora naturæ arcana, nimirum causa salseditinis maris, & causa æstus, sive fluxus, & refluxus ejusdem maris.

Quantùm ad primum, nimirum quò ad causam salseditinis maris dixerunt nonnulli, hujusmodi causam esse vapores ex aqua maris sursum à Sole elevatos, & iterum dejectos. Sed si ita esset etiam in fluminibus id eveniret.

Minùs

Minùs infrequenter dici solet esse subtus mare minetas quasdam, à quibus proveniunt exhalationes quædam siccæ, mediis quibus falsedo efformatur.

Communius dicitur, fuisse die tertio sparsum sal super mare, & hoc ad plures fines. Primò, ut aqua maris, quæ non fluit, præservaretur à corruptione. Tum ad piscium vitam melius conservandam & fovendam. Tum ut facilior esset navigatio in aqua, quæ per salsuginis crassitiem fit densior, & aptior ad sustentandum: Undè si immittatur ovum in mare supernatat, non sic vero in fluminibus.

Videatur Joannes à Sancto Thoma.

Modi depurandi aquas salsas à salsugine videri possunt apud Mastrium, & post ipsum apud Mazzottam.

34. Quò ad maris æstus, seu fluxus & refluxus causam omissis non paucis sententiis, quæ videri possunt impugnatæ apud Mastrium, & fusiùs apud Guerinois, sicut etiam missis tum Poetarum fabulis, tum somniis Pitagoreorum, qui putantes, hunc Mundum esse animal ingens dixerunt, in profundis maris recessibus nares quasdam habere, per quas emissi anhelitus mare inflent, & reducti aquas maris revocent, de quo videri potest Goudin. Communius dicitur, provenire à Luna. Quod à posteriori colligitur, quia nimirum in noviluniis crescit maris æstus, & ascendente Luna supra nostrum hemisphærium declinante die crescit maris æstus.

Quomodo autem id fiat? dicitur fieri mediis quibusdam qualitatibus occultis.

Quod licèt audire renuant nostri temporis Novatores, tamen fit probabile ex his, quæ diximus in lib. de Cœlo, agendo de influxu Cœlorum, ubi vidimus Cœlum influere in hæc inferiora, non solum mediante motu & luce, verum etiam mediis aliis qualitatibus occultis.

Et certè cum seminantur agri, cum sarmenta de vineis teguntur &c. observari solet & debet Luna, ex quo infertur Lunam habere influxum quemdam in omnia.

Io tamùm autem id non evenit in fluminibus &c. quia aquæ ibi sunt extra suum locum naturalem; in loco enim naturali meliùs influxus suscipiunt cœlestes.

Advertit Guerinois, fabulam esse quòd Arist. in Euripum se præcipitem dederit, postquam vestigata natura Euripi Maris, qui septies in die recurrens est, tandem tædio affectus illic obierit; undè proverbium ortum est: *Aristoteles non habet Euripum, sed Euripus Aristotelem*. Dicitur autem fretus à fervendo, eo quod aqua sic in freto nimis coarctata vehementissimè concitatur, ac fervet; estque ad Insulam, quæ dicitur Euboea, sivè Chalcis, vulgò *Negroponte*. Et quidem fabulam esse, quod de Aristotele dicebatur, nitet ex dictis tom. 5. post Epistolam ad Lectorem.

35. Variis nominibus Mare solet insigniri; nuncupatur enim etiam Pontus, Fretus, Pelagus &c. sed ista nomina diversum re vera habent significatum. Nam Pontus dicitur mare illud, quod alit Provinciam quamdam in Asia dictam à Rege Ponto, diciturque mare Euxinum. Fretus verò dicitur mare intercedens inter duas terræ plagas partim distantes. Sic *Fretus* Gaditanus, alio nomine *Fretus Herculeus*, italicè *stretto di Gibilterra* est mare illud inter Hispaniam, & Barbariam, propè Herculis columnas, & per hunc fretum Gaditanum conjunguntur Oceanus, & Mediterraneum. Undè distinguitur fretus à *sinu*, quia *sinus* italicè *Golfo*, est mare inter duas terræ plagas valdè distantes. Sic mare mediterraneum medians inter Africam, & Europam *Sinus* dicitur. Pelagus demum propriè significat profundum maris, licèt jam ex loquendi usu pro ipso mari accipi soleat.

De variis maribus, ut de Mari pacifico, de Mari atlantico &c. quæ omnes sunt Oceani variæ partes videri potest Guerinois.

36. Maris procellæ proveniunt ut plurimum ex ventis aereæ, aut etiam aquam commoventibus, interdum ex ignibus subterraneis, aut spiritibus subtilioribus exitum quærentibus. De quibus fusè Guerinois hic q. 7. art. 5. §. 3. ubi agit de ventibus.

Priùs in fundo, quàm in partibus superioribus turbatur: Idcircò Delphini illic dormientes excitantur, ac sursum ascendunt.

§. IX.

QUÆRES

Num aqua Maris sit altior terra.

37. MAstrius putans S. Thom. velle quod aqua sit altior terra, vel ipsis excelsis jugis, eò quod p. p. q. 69. art. 1. dixerit absolutè aquam esse terra sublimiorem, cum posteà competiisset, quòd Jn: à S. Th. dixerit, aquam esse altiorem terra duntaxat quò ad loca demissa, & ima, ut valles, non verò esse sublimiorem terra in montibus, nec in littore, dixit, quòd nisi obstitisset D. Thomæ authoritas, nec vallibus sublimiorem esse dixisset, quanquam hoc nec ipse dicat Mastrius, qui tenet terram esse mari sublimiorem.

Sanè hoc non dixisset Mastrius, si priùs legisset Javellum, qui dicit, elementum aquæ esse sublimius elemento terræ, & idcircò S. Th. dixit absolutè mare esse terra sublimius: ad hoc enim salvandum, quod totum elementum aquæ habeat sub se terram. Quod verissimum est, cùm aqua non sit in centro, & in fondo maris ubique sit terra, & sic intelligendi sunt cæteri Thomistæ; quod nimirum aquæ elementum sit terra sublimius. Sic etiam discurrit Mailath lib 3 & 4. de Cœlo.

Non autem requiritur, quòd aqua sit altior terra, etiam quò ad litora, & quò ad montes. Quod esse falsum constat, Tum quia flumina, quæ à terra ad mare perguot, descendunt. Tum quia si mare esset altius terra in litore nō possemus perspicere Solem dum occidit, quoniam aquæ prominentia intermedia nos impediret. Tum quia continuo opus esset miraculo ad mare detinendum ne totam operiret terram. Tum quia si mare esset altius terra maximè in Oceano, hoc autem esse falsum constat, cum ibi non paucæ extent insulæ.

Videatur Guerinois in tract. de Mundo, & Cœlo agendo de elementis q. 3. §. 2.

38. Quomodo autem cum hoc stare possit quod fluvii & fontes saltem nonnulli à mari originem trahant?

Resp. interim cum D. Th. in 2. dist. 14. q. unica art. 5. ad 4. aquam sursum attrahi vi, & influxu cœlestium corporum communis boni causa, nec motum illum ascensus esse violentum habita ratione legislatoris, qua corpora inferiora cœlestibus obedire teneantur, quamvis spectando privatam aquæ inclinationem, violentus videatur. Quod etiam solet illustrari exemplo sanguinis, cujus natura, licèt sit moveri deorsum, tamen movetur, tum circulatiter tum sursum ad cerebrum ascendit.

Quid hic de Angelici Doctoris mente? Nunquid aqua indigeret sursum attrahi, & ascendere, si etiam montibus altior extaret.

Sed de his ulterius sit.

§. X.

De Fontibus, & Fluminibus.

39. QUò ad Fontes, & Fluvios, quanquam nullam specialem occurrat Meteorum examinandum; occasione tamen, qua de mari sermonem habemus, libet aliqua etiam de fontibus dicere, & fluviis, quorum saltem nonnulli à mari originem trahunt.

Quod autem de Fontibus, & Fluviis vestigari præcipuè solet, est eorum origo.

Nam nonnulli, imò plerique præsertim ex Recentioribus, teneut, non à mari originem trahi, sed pluvialibus aquis efformari. Et quomodo ex pluvia tot queant suppeditari aquæ, quæ satis sint ad flumina conficienda exponit pluribus experientiis post alios Jo: Bapt. du Hamel ex Cassiano in sua Philosophia veteri, & nova.

Addunt alii juvari etiam aere, qui in aquam resolvitur.

Quod quomodo fieri queat declarant nonnulli. Quibus P. Mazzotta aliam addit explicationem ex aliis sic. Considerant enim terram, maximè circa montes cavernosam esse, & cum natura vacuum abhorreat, ad eas vacuitates replendas metu vacui occurrit aer, qui à terra ambiente frigefactus stillat in aquam, quæ aqua stillans dilabitur ad loca declivia, posteà in ejus locum alius occurrit aer, qui etiam in aquam stillat; sicque continuo fit aquarum generatio ex aere, & fluxus fontium, & fluminum. Exemplum

etiam adducit, quo Cardanus utitur ad hoc suadendum. Quandoquidem anno 1481. Infirmus quidam, cujus corporis pondus vix erat 130. librarum, & in cibum, & potum non plusquam libras septem sumebat singulis diebus, & tamen singulis diebus sex supra triginta libras urinæ reddebat, quod per 60. dies durans spatio illorum dierum eduxit circiter libras bis mille urinæ supra substantiam, quam sumebat, & potum. Consideratum fuit, non aliter evenire potuisse, quam per conversionem aeris in arteriis existentis in substantiam aquæ, qua semel ejecta succedens aer, iterum in urinam convertebatur.

40. Nihilominùs probabilior opinio, quam & idem Mazzotta sequitur, est, quòd tametsi omnia dicta probabilia sint, & præcipuè quod dicitur de aere, & docetur ab Arist. 1. Meteor. sum. ult. cap. 1. tamen non indè salvari potest omnia saltem flumina his modis efformari.

Ratiocinia plura ad hoc sunt. Primum. Quandoquidem fontes, & omnes nonnulli ex locis saxosis prosiliunt, quæ pluviæ nequeunt pervadere.

Nec respondere cum du Hamel valet, quòd illa aliundè veniunt.

Non, inquam; Nam interdum profluunt ex montibus saxosis, ad quos ascendere nequit aqua, juxta modum dicendi ipsius, & aliorum suæ sententiæ dicentium aquas non posse e mari ad montes ascendere ad fontes efformandos, nec motu æquilibrationis ex aliis montibus, cum interdum non adsit ibi nisi alii montes saxosi, & alii non saxosi per ingens spatium distent, adeò ut nisi volent nequeant ex uno ad alium motu illo pertingere.

Secundum. Nam antequam pluvia fuisset in Mundo flumina extabant, ut habetur Genesis 1.

Quò ad id, quod dicitur de aere non sufficere suadetur. Siquidem cum guttatim duntaxat aer in aquam vertatur, non videtur possibile tam ingentia flumina efformari, quæ si omnia in unum colligerentur penè majora fierent terra, ut inquit Seneca.

Dicendum itaque cum communiori consensu SS. PP. de quibus videri possunt Conimb. tract. 9. in Meteor. cap. 3. à Mari originem trahere per occultas terræ scatebras. Idque conforme erit oraculo Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, undè exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Id ulterius suadetur, quoniam nonnulla feruntur flumina salsa, ut idem du Hamel fatetur; Imò & refert quod in India prope Coromandelium putei omnes sunt salsi, sicut & in Insula S. Vincentii fontes in Peruviano littore lacus itidem salsi occurrunt. Quibus adde, quod ut refert Nicol. Dum tempore belli Mithrydatici repente apud Amapeam Phrygiæ urbem, novi lacus, fontes, & paludes defluxerunt, & in his fluvius salsus magnam ostrearum copiam, & marinorum piscium deferens. Signum evidens, mare per subterraneos cuniculos totam terram permeare.

41. Objicitur contra hoc primo, quod si semel (ut §. præcedenti diximus) aqua est inferior montibus non est perceptibile quod illò evehatur ad fontes efformandos, & ex illis fluvios.

Ad hoc responderi solet variis modis fieri posse. Primo modo ex D. Th. dicto §. præcedenti num. 38.

Secundò, quia aqua, quæ est in maris fundo prope orificia meatuum subterraneorum, tanto premi pondere incumbentis desuper aeris, (eo vel magis quod maris stante sui salsedine est longè cæteris aquis gravior) ut magno cum impetu per subterraneos veluti syphones propellantur aquæ ad assurgendum altius mare; ut evenire palam est in syphonibus vitreis, quorum in uno crure stagnat liquidum ponderosiùs eo, quod infunditur in crus alterum.

Qui dicendi modus difficultatem patitur, quia diximus l. 2. de Gen. & Corrup. q. 5. in præambulo §. 9. quæsito 2. elementa nec gravitare, nec levitare in centris propriis in sua puritate. Verum hic modus potest etiam aliquam probabilitatem habere, dicendo quod ibi aqua gravitet, non ratione sui, sed ratione salsuginis, vel quod in illis extremitatibus terræ affinibus non est in sua puritate, sed pluribus terræ exhalationibus, ac crassitiebus affecta.

Tertiò cum Plinio lib. 2. cap. 36. dici potest, talis ascensus causam esse habitum quemdam spiritum, seu vaporem, sivè ventum specubus subterraneis inclusum; & interdum etiam violentiam ignis in cavernis existentis. Quod licèt prima facie fabulam sapere videatur, uti revera P. Guerinois; tamen re maturè considerata non erit adeò improbabile. Siquidem hujusmodi spiritus aquam vehementer agitantes sursum propellere facile est. Cujus signum est, quod aqua fontium in orificio ebullitionem quamdam habere ex tali agitatione provenientem videmus. Et sanè interdum ex terræ motibus, qui vaporibus illis causantur nova flumina ortum habuerunt, ac habent.

42. Objicies 2. Nam cum non pluit, flumina exsiccantur & fontes, ut experientia palam est; & ita evenisse tempore Eliæ 3. Regum cap. 17. habetur.

Resp. exsiccari illos fontes, & fluvios, qui originem à mari non trahunt; sicque dici potest fluvios illos, & fontes tempore Eliæ exsiccatos non esse de illis, qui originem à mari ducunt; nisi dicere velitis, & quidem benè siccitatem illam divinitus evenisse in scelerum vindictam. Minui tamen possunt ex pluviæ defectu etiam fluvii, & fontes originem à mari trahentes, quia aliquod incrementum ex pluvia capiunt. Et potest argumentum retorqueri. Quandoquidem sunt nonnulli fontes, & putei, qui æstuante mari effluunt, recedente decrescunt, ut in Gallia propè Cadomum, ac passim in litoribus Africæ teste eodem du Hamel. Quod ideò in illis evenit, quia non multùm distant à mari.

43. Quomodo autem aqua maris in Fluviis salsuginem amittat? Dicendum est, eam deponere, vel quia per meatus angustiores transit, vel quia fluit per meatus subterraneos, arenosos, ibique deponit: quemadmodum nonnunquam transeundo per meatus largiores eam retinet, vel fluendo per ageres salsos eam urget. Non enim salsedo est proprietas fluens ab intrinsecis maris, ut superius dictum est, cum possit aqua maris à salsedine depurari, ut medio vase cereo, aliisque modis, de quibus Mazzotta, & etiam Mastrius art. 5. num. 146.

De quibusdam quarumdam aquarum miris proprietatibus nonnullorum Fontium, ac Fluviorum, ut lucernas extinguere, extinctasque accendere, videri potest Mazzotta.

Apud eumdem curiosi videre poterunt aliqua de modo dignoscendi loca, in quibus adsit aqua pro puteis effodiendis, ut lana sicca in terra aliquantulum effossa posita, & cooperta lana cacabo, si mane humida valdè est, ibi non longè aqua sub terra est, vel si oriente Sole vides ascendere ex aliquo loco fumum instar columnæ, aqua ibi est, & in tanta quantitate quanta est columnæ illius altitudo, quod ut meliùs cognoscatur prono cum mento in terra esse cernendum dicit.

CONSIDERATIO QUINTA.

De Ventis, & Terræ-motibus.

QUamquam inter aerea Meteora venti supputentur, nihilominùs quia etiam infra terram interdum occurrunt, & quia etiam ex illis interdum, ignisque subterranei adminiculo fiunt Terræ-motus: Idcircò de his duobus in hac consideratione tractandum simul distulimus.

§. I.

De Ventis.

1. VEntorum existentia notissima unicuique extat; at eorum essentia caliginosissima evadit.

Prima igitur sententia tenet ventum nihil aliud esse quàm aerem commotum, sivè aeris fluxum, & impetum, ita quod aer, & ventus non aliter distinguantur, nisi quomodo distinguuntur & differunt lacus, & flumen, vel torrens, quòd nimirum fluvius, & torrens est aqua fluens, lacus verò est aqua quiescens. Hanc tenuerunt Stoici; ut Seneca, Theophrastus, Hippocrates, Anaximandrus, Vitruvius, Hermes, Cardanus, sicut etiam D. Isidorus, D. Damascenus, & ità sentiunt non pauci recentiores, & dicunt etiam esse Arist. 2. Meteor. cap. 4. licèt etiam senuerius, esse interdum etiam quasdam exhalationes; imò quod Arist. definiens ventum dixit esse fluxum aeris.

Probant, Tum quia follibus ventos formamus, non aliter, quàm aerem agitando: sicut etiam per flabellum ventus producitur, non alia ratione, nisi quia aer movetur. Item aer ad motum alterius motus ventum efformat, ut contingit dum fulmen descendit, vel aliquid aliud grave: sicut etiam avibus volantibus sibilum sentimus. Tum alia experientia. Nam si ignis apponatur propè murum, in

quo fit

quo sit pannus aut lineus, aut sericus, videbis moveri pannum, quia aer rarefactus per calorem, & motum movet pannum. Et rationem assignat, quia materia ventorum est rara & fluibilis, sivè fluida, sed raritas, & fluiditas meliori modo reperitur in aere: ergo dicendum est, interdum ventum esse aerem motum.

Jo: à S. Th. dicit, in dictis experientiis non fieri ventum propriè: at sui dicti nullam rationem assignat, proindèque gratis dictum esse videtur.

P. autem Guerinois dicit, quòd hæc sententia ex eo est refellenda, quia videtur ponere causam efficientem pro ipso effectu ejusdem effectus, cum causa movens aerem sit ventus.

Verùm hoc non est sufficiens motivum ad eam reprobandam. Nam dicemus infra à quo moveantur ipsæ exhalationes, ex quibus etiam interdum venti fiunt; & ab iisdem dici poterit moveri aerem, puta ex quibus præcipui tunc Stellarum influxus, & sanè etiam de ipsis ventis, sivè de ipsis exhalationibus debet inquiri à quo moveantur.

Hinc habes, quòd hanc sententiam probabilem judico, licèt postea non dicam omnes ventos esse aerem commotum, sed nonnullos esse posse: Undè

2. Secunda sententia est Arist. hic, tum lib. 1. Meteor. cap. 13. Tum lib. 2. cap. 4. 5. & 6. & tenet ventos esse exhalationem terream subtilem, calidam quidem, sed non accendibilem, nec mixtam cum humido unctuoso, secùs esset materiam siderum discurrentium, nec humido aqueo, quia sic esset materia corruscationum. Vel vaporem interdum exsiccatum, & calefactum, vel interdum utrumque.

Probatur hæc sententia 1. quò ad p. p. Nam Christophorus Columbus ex vehementi ventorum ex Oceano flatu deduxit, post Oceanum, dari terram, quæ modo India nuncupatur. Si autem venti consisterent semper in aere moto, vel in quocunque vapore, non benè id collegisset, quia potuissent semper esse ipse aer, vel vapor ex mari ascendens: ergo dicendum est interdum exhalatione terræ formari, præcipuè venti non humidi, ex quibus id collegit Columbus.

Secundò. Quia matutino tempore, ab Oriente sæpè solent esse venti, quia tunc exhalationes nocturnæ frigiditate sopitæ excitantur à Sole.

Tertiò. Quia quibus temporibus magna ascendit exhalationum copia, crebriores, & frequentiores sunt venti.

Hinc nos supra dicebamus, quòd Cometæ ventos portendant, exhalatio autem illa est calida, idest à Sole elevante calefacta.

Probatur quò ad 2. p. nimirum quod interdum etiam vapor esse possit. Siquidem interdum venti vehementissimi ita subitò excitantur in mari, ut impossibile sit usque ad medium mare pervenisse terreas exhalationes; eo vel maximè quod veluti illi sunt humidi. Insuper quando occasus cœruleum exhibet colorem, qui indicat vapores è mari elevatos, sæpè insurgunt venti.

3. Major, vel saltem non minor difficultas esse solet de causa motus ventorum effectiva. Circa quam quot capita tot sententiæ.

Nonnulli dicunt, motum ventorum quorundam à quibusdam Planetis, aut sideribus fixis, mediis occultis qualitatibus causari per aeris commotionem, vel exhalationum; quod ex eo suadent, quia experientia docet quod sub eorum aspectibus, & in ipsorum ortu contingere observantur. Unde dicunt, Orientales ventos fieri à Saturno, Occidentales à Marte, Boreales à Jove, & Australes à Venere; Mercurium vero ad omnes æqualiter concurrere; Et nonnulli dicunt, Solem sufflare ab Oriente, Lunam ab Occidente, Martem à Meridie, præsertim quando est in Capricorno, & Jovem à Septentrione, qui tamen hujus rationem nullam adducunt, nec ipsi, nec P. Mazzotta, qui eos refert, dicens esse admittendos ut probabiles; quia impugnari non possunt.

Nonnulli dicunt, motum ventorum esse illis naturalem saltem quando exhalationibus venti formantur. Nam exhalatio humori gravi mixta sua propria gravitate deorsum tendit, & propter calorem, quem habet levem tendere deorsum, quo durante conflictu obliquè movetur.

Quæ non omninò improbabilis videtur, præcipuè de quibusdam ventis, qui spiritibus abundant igneis, inter quos est Præster, & ille ventus, qui oritur dum fulmen movetur, & nonnulli alii, qui exsiccandi, imò & adurendi virtutem habent, sicut in Scriptura dies Domini sicut ventus urens.

Verum est tamen quòd difficile Patri Mazzottæ videtur quòd tam modica gravitas, & levitas causent ventum durantem, & non superet altera ex illis.

Nihilominùs non omninò impossibile esse credendum est' Tum quia licèt sit modica levitas, gravitas & levitas, tamen valdè subtilis est materia illa, in qua reperitur. Tum quia tunc magna adest exhalationum copia. Idcircò etsi plures partes exhalationis cadant, aliæ supersunt, proindeque ventus durat.

Alii, & præsertim Peripatetici communius, dicunt eum Arist. in libello de Mundo, exhalationem illam calidam perfluctuare, eò quod propellitur à frigore mediæ segionis aeris.

Varii sunt modi exponendi opinionem istam, de quibus videri potest P. Mazzotta.

Alii cum Contareno dicunt, exhalationes ascendentes deprimi à vaporibus descendentibus; & cum uterque halitus conetur iter suum complete, & simul misceantur, efficiunt circularem illum motum.

Alii, quibus adhæret du Hamel, & noster Guerinois, dicunt, quòd ad motum, & impetum venti concurrat non modicè etiam calor Solis, quo ipse Sol exhalationes, vel vapores ventum constituentes attrahit, dilatat, & agitat. Quod exemplificant exemplo utriculæ undique clausæ, in cujus medio prunæ ignitæ collocentur. Si namque tum in utricula illa sit crux aliqua plumbea, tantò magis commovetur, ac agitatur, quantò magis augetur calor. Quod provenire aliundè nequit, nisi ex eo, quod vapores ex aqua in vase contenti excitati à calore agitantur, & moventur, & quidem tanto magis, qui magis augetur calor. Quo fit, ut vapores sic magis, magisque agitati, & moti, etiam magis, ac magis agitent, moveantque crucem illa plumbeam, sic etiam &c.

In tantum etiam in unam potiùs, quàm in aliam partem ventus moventur, inquantum minorem ibi exhalatio repesit resistentiam V. G ab Aquilone feruntur in Austrum, aut è contra, quia à tergo habent multos densatos vapores, ac nubes.

Conferre etiam ad ventos movendos, imò & efformandos, non est denegandum. Nam exhalationes tum ascendentes, tum descendentes aerem hinc inde expellunt, & aer expulsus impeditur à montibus, nè ulteriùs progrediatur; proindeque resilit sicuti pila. Cujusdam montis in Anglia meminit ad hoc Guerinois ex Francisco Braco, & præcipuè id melius eveniet si cavernosi sint, quia ibi magis comprimitur, & cum majori impetu exit aer. Et res celebris est in regione Æolia, quæ cavernosa multum est, & eapropter Æolum ventorum Regem Poetæ finxere. Coercent tamen montes ventos, ne tanto cum impetu ultra eosdem montes erumpant; ut in Lybia præsertim evenit, in qua ni montes extarent, magna ibi foret, sicut in mari tempestas, ut ex D. Bernardo testatur Mazzotta.

§. II.

De Ventorum numero, eorumve qualitatibus.


4. VEnti alii sunt simplices & Cardinales, alii mixti, & Collaterales.

Quò ad simplices, ac Cardinales conveniunt omnes, quòd non sint plures, nec pauciores quàm quatuor. Primus dicitur *Orientalis*, qui à priscis vocabatur *Cæcias*, vel *Eurus*, aut *Subsolanus*. Secundus *Occidentalis*, qui à priscis appellabatur *Zephyrus*, vel *Favonius*. Tertius est *Septentrionalis*, qui à priscis dicebatur *Boreas*, *& Septentrio*. Quartus demum est *Meridionalis*, qui à Priscis dicebatur Notus, & Auster.

Quò autem ad ventos mixtos ex aliquibus ex dictis quatuor variæ extant opiniones. Nam aliqui dixerunt, esse duodecim, juxta duodecim Zodiaci signa. Alii posuerunt undecim, dicentes, hanc esse Aristotelis mentem, alii multò plures adstituerunt.

In hoc ego resolvere nihil de meo intendo. Duntaxat referam integrum numerum ventorum, qui à nonnullis multiplicantur, omnesque sequenti schemate, quod ex P. Valentino Pino format P. Mazzotta exhibebo.

5. Quò



5. Quò ad qualitates ventorum, in primis quanquam dixerimus ventum eſſe exhalationem calidam, quatenus à Sole elevante eſt calefacta; attamen natura potiùs frigida eſt & ſicca, utporè à terra, quæ frigida eſt, & ſicca ſurgens; ſi verò ventus ſit ex vapore frigidus eſt, & humidus, utporè à mari ſurgens.

Solent tamen qualitates contrahere plerumque ex locis, per qoæ tranſeunt.

Singulorum qualitates aſſignare prolixum valdè, non minus ac difficile foret. Undè ſufficiat juxta quatuor Mundi plagas aſſignare veluti generales eorum qualitates. Itaque Venti Orientales calidi plerumqoe ſunt, utporè ſubſolani, & apud nos in Italia humidi ſunt, quia ab Adriatico mari ſpirant, à quo proindè humiditatem contrahunt.

Occidentales nec tam frigidi, nec tam calidi ſunt, ſed temperati, ut ità dicam tepidi, adeoquè jucundi valdè ſunt, ut ex ipſo nomine Favonii, & Zephyri, idcircò æſtate in compatatione æſtivi caloris habentur oti frigidi, in hyeme verò in comparatione hyemalis frigoris habentur ut calidi, niſi tranſeant per montes nive cooperros, quoniam tunc frigidiſſimi eveniunt. In tantum autem non ſunt adeò calidi, quia non ſunt ſubſolani: nec ſont adeò frigidi, quia Sol dum occidit in illa parte calefacit ibi. Sunt autem humidi, & ideò imbriferi, quoniam à mari, ubi Sol occidit, ſpirant.

Meridionales venti ſunt calidiſſimi, & humidi, Calidiſſimi, vel quia oltra calotem Solis in meridie æſtuantis per loca Solis æſtu fervida tranſeunt, vel ex ſubterraneis, & ſulphureis halitibus magna ex parte conſtant. Cojus ſignum eſt, quod Auſter, ideſt ventus Meridionalis in partibus Meridionalibus, hoc eſt Auſtralibus, ſivè antarticis non adeò calidus eſt. Humidi quoque, quia mare Mediterraneum peragrant. Nihilominùs quia utporè calidi eliò nubes excitent, non tamen eas uniunt: idcircò tunc ſolum ſunt imbriferi quando eis ſuperveniont venti Aquilonares, ſivè Septentrionales, qui dictas congregent nubes dif‸erſas.

Septentrionales, ſivè boreales, vulgo *verſo Tramontana* gelidi ſunt, atque ſicci, quia partim repercutitur à Sole pars illa ſub artico polo, à qua flant. Illi venti eſto alicubi imbriferi ſint, ut in Belgio, & partibus Lybiæ, utporè ad mare vergentibus; tamen aliis in locis ſerenitatem præſeferunt.

Docet Ariſt. in lib. de hiſtoria animalium, & probl. 5. quòd coitus initiatus tempore Boreæ maſculos facit concipere, ſicut è contra tempore Auſtri, ideſt venti meridionalis fœminas. Ratio eſt, vel quia propter intenſius frigus Boreæ ſit major, & intenſior calor Martis, ſicque in ea melius virile ſemen concoquitor. Vel quia Boreas utporè ſiccus exſiccet; Auſter verò otporè humidus ſemen reddit humidius, & indè fœmininom parit ſexum, qui humidior eſt.

Eſtò in Scriptura malus Aquilo appelletur, & bonus Auſter, ut Hieremiæ 1. & 4. ubi dicitur ab Aquilone pandetur malum: ſicut etiam improbat Aquilonem D. Greg. Papa, & Ambroſius in pſal. 118. tamen Scriptura ibi non loquitor in noſtro hoc ſenſu, ideſt quò ad ventum, ſed loquitur quò ad mores hominum illius regionis, quia Caldæi reſpectu Palæſtinorom Septentrionales bella, & captivitates minabantur; cum etiam ex Aquilone electos ſit vocaturus Chriſtus.

6. Qui ſiogulorum etiam collateraliom ventorum qualitates videre optaverit, legat ſæpè citatom P. Mazzottam.

Item qui noſcere optaverit diverſarom Civitatum ad diverſos ventos ſitoationem legat eumdem P. Mazzottam.

7. Ultra prædictos ventos ſunt alii particulares pro quibuidam peculiaribus regionibus, qui vel à montibus, vel à cavernis cujuslibet Provinciæ oriuntur, ut Atabulus in Apulia, Circius in Gallia &c.

Nonnunquam ex ventorum contrariorom congreſſu formantur alii venti, & turbinoſi, qui reducuotur ad tres, quorum unos dicitur *Præſter*, alter *Typbo*, & alter *Ecnephias*.

Præ-

Præster consistit in quibusdam spiritibus subtilibus, & ignitis, & in suo motu imitatur fulmen propter illam pugnam, quam exercent inter se halitus illi, qui in illo conflictu magis accenduntur, & incendunt ea, quæ sibi occurrunt.

Typho est turbo, qui à nubibus oppositè constitutis erumpit verticoso motu, & tanto impetu, ut integra navigia, non modo frangat, verum etiam in sublime elevet, rotet, ac postea in profundum mergat, arbores etiam evellat.

Ecnefias tandem fit eodem modo ac Præster, sed est exhalatio crassa, & copiosa. Aliter etiam fieri dicunt nonnulli apud Mazzottam, nimirum vel quando duo venti validi pugnantes detrudunt intra se partes, vel alium tertium ventum invalidum, vel deorsum cum impetu impellunt hunc tertium ventum invalidum.

Nec desunt aliqui, ut Bodinus apud eumdem Mazzottam, qui dicant, fieri à malis spiritibus ob lætitiam aliquam conceptam, quam per istos ostendunt ventos, quia plerumque compertum est occisiones, vel aliquod ingens damnum accidisse dum hujuscemodi venti spirant.

Cardanus autem apud eumdem putat, fieri à quibusdam specubus terræ, habentibus torcularem formam, à quibus erumpit hujusmodi ventus.

8. Alia vide apud Mazzottam, & aliqua apud Guerinois hicq 7. art. 5. §. 3. ubi de procellis istis agit.

§. III.

De Terræ-motu.

9. REs adeo mira est Terræ-motus ut S. Ephrem Syri apud Mazzottam, (qui tamen locum non citat) ridiculos dicat Philosophos, volentes Terræ-motum naturaliter fieri, cum impossibile judicet fieri naturaliter ut Montes Armeniæ assultent, & inter se contrario ictu arietent. Nec aliter sensit Philiaster, qui apud eumdem Mazzottam, inquit hæresim esse dicere, quòd terræ-motus, & aquæ motus ex terræ-motu fiat à naturalibus causis.

Et fundatur præsertim in illo Ecclesiastes cap. 16. *Cælum, & Cæli Cælorum, universa terra, & omnia, quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur montes simul, & colles, & fundamenta terræ, & cum conspexerit illa Deus timore concutientur.* Bodinus etiam apud eumdem Mazzottam dixit terræ-motum fieri sola dæmonum ope, vel immediatè à Deo, vel ab aliquo alio Angelo.

Nihilominùs naturalem causam pro eo assignari posse omnes consentiunt Philosophi. Et

Omissis opinionibus quorumdam veterum Philosophorum, quæ fabulas potiùs sapere videntur, & de eis legi potest Guerinois.

Communis hisce temporibus opinio cum Arist. est, causam terræ-motus esse halitus, & spiritus quosdam intra terræ viscera clusos, qui virtute subterraneorum ignium rarefacti ampliorem petentes locum, quique proindè de exitum violentiam faciunt, ac terram quatiunt, ac concutiunt. Idque suadetur experientia de minis subterraneis, quæ & domus evertunt, ac mœnia fortissima ratione illorum spirituum inclusorum, & exire non valentium. Pro quibus minis, ut inefficaces reddantur, aliæ cavitates, per quas liberè exire possint (vulgò contraminæ) aptantur. Cujus etiam signum est quod terræ-motus frequentiùs eveniunt in regionibus, quæ ignibus subterraneis scatent, ut in Campania, & in Sicilia. Insuper quia juxta Plinii observationem lib. 2. cap. 88 nunquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, Cœloque tranquillo, occluso nimirum intra viscera terræ spiritu. Unde ante Terræ-motum solent ebullire, & odorem tetrum efflare putei, nempè exhalatione conclusa aquam turbante. Hinc Pherecides apud Goudin haustu aquæ è puteo præsensit, ac prædixit Terræmotum. Item ex puteorum aqua ebulliente, ac malè olente prævisus fuit Terræ-motus Ferrariæ anno 1570.

10. Qua ex re habes, inter signa Terræ-motus unum esse, quando aquæ puteales subsultant, aut incalescunt, &c. & intempestivam aeris, ac maris tranquillitatem. Unde terræ-motum illum, qui evenit in Campania Neronis tempore intempestiva præcessit aeris tranquillitas, ut scribit Seneca lib. 5. nat. quæst. cap. 12.

Sunt & alia præsagia, ut puta Sol caliginosus sine nube, ac obscurior, cujus rationem ex Arist. reddit Mazzotta, quia nimirum exhalatio, qua aeris crassitiem dissolvisset remansit intra terram clausa.

Item insolita frigiditas, præsertim tempore inopportuno, quia exhalationes calidæ ob contrarii circumobsessionem se se intra terram cogente antiperistasi retrahunt, vel quia exhalationes illæ siccæ, & calidæ alia de causa, puta ex quadam tum majori terræ compactione, & compressione non valentes exire, non calefaciunt aerem.

Ulteriùs ex Arist. cap 8. Si interdiù, vel paulò post Solis occasum magna existente serenitate appareat tenuis linea nubeculæ in longum protensæ. Nam significat vapores aliquos subtiliores ad eam efformandam irrupisse; at si diù duret significat alios non potuisse exire vapores, nec minimam proindè spirare auram ad eam dissipandam commovendo.

Insuper si mare nullo spirante vento fluctuet, aut intumescat. Indicat namque exhalationes egredi tentantes, & aliquem, sed modicum exitum ibi reperire, ut ex Possidonio scribit Strabo.

Alia duo ponit Mazzotta ex aliis videlicet, cum pavidi mures discurrunt, quia isti ob excellentem auditum primi sentiunt interiora murmura spiritus inclusi in terra. Similiter trepidus & frequens domesticarum avium de uno loco ad alium volatus, ex quo dicit Anaximenem Terræmotum prædixisse.

Videri possunt Conimb. tract. 10. cap. 5.

CONSIDERATIO ULTIMA.

De Meteoris terreis.

1. INter Meteora terrea supputant nonnulli Ventos, & Terræ-motus, quia tamen sunt etiam aerea, aut ignea, quia ex halitibus, aut ventis, & spiritibus igneis, ut præcedenti consideratione visum est; Idcircò ne ad nimium ex his determinatis Meteoris coarctaremus, de eis seorsim agimus. Eapropter duntaxat monet agere

§. UNICUS.

De Fossilibus.

2. FOssilia, quæ solent etiam dici mineralia sunt duplicis veluti generis subalterni, & dicuntur fossilia à fodiendo, eo quod fodiuntur, & extrahuntur.

Quædam igitur sunt, quæ in pulverem resoluta potiùs, quàm liquata mutabilia sunt, ut lapides, gemmæ &c. Inter quæ supputari solent & alia, quæ succi oleosi ex terra nuncupantur, ut Sulphur, Bitumen, Sandaracum, Cerussa, Cera, Cinnabaris, Naphta, Camphora, Gypsus, Arsenicum, Carbo terrestris, Alumen, Vitriolum, varii Sales &c.

Ista sunt mixta quædam intra terræ viscera ex sicco terreo, aqua humiditati admixto, eamque excedente virtute & influxu cœlesti cum frigido coagulante, & calido humidum exsiccante formata. Ratione cujus siccitatis excedentis magis sunt resolubilia in pulveres, quàm liquabilia.

Quædam alia sunt, quæ aptiùs liquabilia sunt, nimirum metalla, ut plumbum, argentum, aurum, ferrum, vitrum, æs, argentum vivum, & stamnum.

Ista sunt mixta quædam in visceribus terræ ex humido aqueo terreæ siccitati admixto, & prævalente virtute cœlesti cum frigido etiam coagulante, & aliquo calore excoquente formata. Undè ratione hujusmodi prædominantis humiditatis supra siccitatem liquabilia sunt ac ductilia.

3. P. Saguens hic, circa metallorum efformationem postquam num. 1. dixerat, Deum ab initio tellluri permiscuisse multiplicissimam diversitatem particularum elementarium ad variorum metallorum species constituendas, & num. 2. annuisset, ad ipsam plurimum conferre cœlestes influxus; ut deinde solito suo illi contradictionis spiritu, quo in Peripateticos fertur, aliquid & hic ingereret, subdit istos influxus non fieri mediis qualitatibus, quas ipse fictitias fingit, sed in corpusculorum effluviis, postea num. 5. redarguere audet Physicos omnes, eò quòd ad Meteora terrestria revocent generationes metallorum mineralium, lapidum &c. dicens, se non videre, cur non revocari perindè possint cæteræ, ac non minus mirabiles generationes sive herbarum, sivè arborum, quas

terra educit, & enutrit è suo sinu subministrans in hunc finem alimenta, & semina: & similiter quare revocari non poterunt animalium genera omnia, quæ telluri in primis debent & exortum suum, & victum.

Nec omisit num. a. redarguere Peripateticos tanquam asserentes, aurum intra viscera terræ gigni à Sole, argentum à Luna, plumbum à Saturno, & ferrum à Marte &c. dicens mirum esse, cur non æquè audacter singulorum minetalium, ac lapidum species non retulerint ad designati alicujus Planetæ influxum.

Verùm fictitias esse potiùs ejus elementates Atomos sive particulas, jam abundè suis locis ostensum est. Præterea lib. a. de Anima, cum ostendemus, lucem non esse corpuscula, etiam confutatum manebit, quòd influxus cœlestium corporum non sint corpuscula, secùs magnum detrimentum paterentur Cœli, atque minuerentur. Item in lib. de Cœlis agendo de Cœlorum influxu vidimus influere etiam mediis occultis qualitatibus ultra lucem, & motum.

Quò ad id, in quo Physicos universos ipse solus redarguere audet, potest eodem modo & ipse redargui, cur nempè sicut ad animalium efformationem non currit generans Pater cum Matre, sic etiam non concurrat eodem modo ad metallorum productionem. Si ergo dispar est ratio in hoc, nimirum quia vita aut sensu prædita sunt, proindeque excellentiori quodam modo procreari possunt; cur eadem disparitas non valebit pro frivola illa Patris Saguens redargutione?

Demum quantùm ad hoc, quod est aurum à Sole, argentum à Luna, argentum vivum à Mercurio &c. genitum asseri, debebat potiùs Astronomos redarguere, & non Peripateticos, sicut eos longè antea redarguebat noster Mailath, quem forsan non legit Saguens.

Nihilominùs tametsi non ab illo solo gignatur; tamen non est negandum in eum habère aliquem specialem influxum, cum quodlibet ex illis metallis habeat specialem aliquam similem proprietatem.

Hoc etiam modo concedi potest, quodlibet ex cæteris metallis reduci sicut & lapides in alicujus designati Planetæ influxum, aut sideris. Hos autem singulos assignare Planetas, aut sidera Astrologorum est, sicut eorum est cœlestium corporum proprietates, & qualitates vestigare. Eo vel maximè quod nec ipsis possibile est omnium dictorum corporum, quæ in tanta sunt multitudine dotes distinguere, & immensi laboris res est.

Alia quædam videri apud Mazzotta fusè discurrentem, Goudin, & alios poterunt. Nobis verò, quos ipsi ulteriori sublevarunt labore ista de fossilibus, sicut & de toto Meteororum tractatu sint satis, & finis.



AD

AD LIBROS DE ANIMA
PROLEPSIS.



Quos ad litteram de Anima libros vocant, uti si figurato volucris sermone, non inepte totius Philosophiæ Animam eosdixeris, illo attento nitore, & ornatu, quo Philosophiam donat entis Animati sive vitali motu mobilis notione, quæ sanè cæteris præstat. Non aliter, ac supremum, æternumque numen (valeat quantum valere potest, ac debet) totius Universi Animam Plato dixit, eo in sensu sano, ad quem præambulari in discursu habito Physicorum 1. q. 1. art. 1. benigna nostra perduxit interpretatio. Hic namque spectanda perhibetur Anima ipsa, cujus nomen, & substantia dicitur, animaque rationalis ipsa, quæ Divinum quoddam, sublimemque Divinitatis imaginem præseferens, naturæ vires transcendit. Qui spiritu ita vilescat sit nemo, qui adeo præcipuum parvipendat decorem, ne indignus ratione habeatur, dum Animæ scientiam negligit, qui rationali Anima cunctarum præstantissima donatus extat. *De nulla profectò re* (ajebat Plotinus) *diligentius studiam, haberi, quàm de Anima debet*. Quod ut fiat, & congruè fiat

Scito, quòd libri de Anima in tres secantur ab Aristotele, qui in primo libro quinque instituit capitula, quorum in primo Animum allicit, dignitatem hujus scientiæ extollendo; in secundo cap. plures recenset veterum Philosophorum errores circa Animam; in aliis verò cap. sigillatim illos refellit. In secundo libro pertractat de Anima Vegetatrice, & Sensitrice, ac consequentibus ad ipsam. In tertio lib. de Anima Intellectrice, & ad ipsam attinentibus. Antequam autem hæc exponenda adoriamur, præmittenda venit

QUÆSTIO UNICA PRODROMA.

De Objecto istorum Librorum.

Recole hic objecti divisionem à nobis traditam in Logicæ prodromis art. 5. Atque noveris, nos hic vestigare objectum *quod formale* attributionis, sive specificationis.

ARTICULUS UNICUS.

Quodnam sit objectum adæquatum formale quod *attributionis Librorum de Anima.*

§. I.

Ut quantum possibile fuerit vitemus quæstionem de voce, animadvertas, quòd tota Philosophia quatuor in partes distribuitur. Prima pertractat de mobili in communi, & Physica nuncupatur. Secunda de mobili ad *Ubi*, idest de motu locali, & inscribitur de Cœlo. Tertia de mobili ad formam, & vocitatur de Generatione, & Corruptione, sive de Ortu, & Interitu. Quarta præsens. Idcircò quemadmodum in secunda parte agitur de mobili motu locali, vel de mobilitate locali, non tantùm in communi, verùm etiam in particulari: & similiter in tertia agitur de Generatione, & Corruptione, seu de generabili, & corruptibili non solùm in communi, verùm etiam in particulari: Ita hoc sub tractatu comprehendere fas esset considerationem de Anima, non modò in communi, verùm etiam in particulari, nimirum de parvis animalibus, de sensu, & sensato, de quibus agit Philosophus in subsequentibus libris.

Nihilominùs nonnulli, ut Toletus, & Ruvius id denegant; & eapropter statuunt pro objecto adæquato formali *quod* hujus tractatus Animam, non verò ens animatum. Aliqui verò licèt annuant, comprehendi etiam de sensu, & sensato, ac parvis animalibus, adhuc tamen volunt hanc Philosophiæ partem semipartire, & accipere tres hos libros seorsim ab aliis, ac pro illis statuere objectum adæquatum formale *quod* solam Animam: eum ad modum, quo Physica comprehendit octo libros de physico auditu, & tamen potest ex illis quilibet seorsim sumi: supponendo postea tanquam certum, quòd si inspiciatur Tractatus iste prout se extendit ad alios libros, ejus objectum sit ens animatum. Sic præcipuè Nostrates nonnulli. Alii verò videntur agitare quæstionem de hoc Tractatu prout extenditur ad alios libros, supponendo, quòd si sumatur hi tres libri seorsim, ejus objectum sit sola Anima abstractivè accepta. Alii autem ullo absque addito, sive restrictionis ad hos tres libros, sive extensionis ad alios, videntur quæstionem absolutè pertractare. Ob idque hic tum defendens, tùm opponens possunt in incerto laborare.

Eo non obstante ad duas reducuntur sententiæ.

Prima defensitat, objectum adæquatum formale *quod* esse Animam. Pro ista militat Jo: à S. Th. Cajetanus, & Ferrariensis.

Secunda tutatur, esse ens animatum. Pro hac certant Complutenses, Lerma, Cavinus, & novissimè Guerinois (licèt obiter duntaxat & raptim) sequentes B. Alb. Magnum. Ex exteris Mastrius cum plerisque Scotistis, Oviedo, Arriaga, & alii, quibus subscribo, ut clarè loquar, in hunc modum.

§. II.

CONCLUSIO.

Libri de Anima, sive sumantur prout continuantur cum aliis de sensu, & sensato, ac de parvis animalibus, sive seorsim ab illis, habent pro objecto adæquato formali quod *attributionis, non solum Animam, sed ens animatum.*

Sensus conclusionis est, quòd si sumantur hi libri simul cum aliis, eorum objectum adæquatum, &c. est ens animatum tum in communi, tum in particulari, si verò sumantur seorsim, eorum objectum adæquatum, &c. est ens animatum in communi duntaxat.

3. Traditur à D. Th. in proœmio, & in 1. Phys. lect. 1. ubi postquam diversarum partium Philosophiæ objecta recenset, tandem sic dicit: *de animatis verò in libris de Anima, & consequentibus ad ipsos*. In quibus verbis S. Thomas habet quodammodo discernere hos tres libros ab aliis per illam particulam *&*, volens significare, quòd tam in illis, quàm in istis etiam seorsim agitur de ente animato.

4. Probo 1. Sic. Ens mobile animatum est per se primò scibile à Philosophia; sed non in alia parte potiori jure, quàm in libris de Anima tum seorsim consideratis, tum ut continuatis cum aliis consequentibus: ergo libri isti sive inspiciantur ut continuantur cum aliis, sive seorsim habent pro objecto adæquato formali *quod*, non solam Animam, verùm etiam ens animatum. Maj. tam certa est, quàm certum est, quòd de ente mobili animato sunt per se primò demonstrabiles suæ proprietates, non minùs, imò fortasse magis quàm de ente mobili in communi, de ente mobili ad Ubi, de ente mobili ad formam &c. sed omnia ista sunt

per se primò scibilia: ergo pariter ens animatum, &c. Min. verò prob. Quandoquidem de ente mobili animato ut sic nullibi agitur, quia in libris de sensu, & sensato, ac parvis animalibus agitur de ente mobili animato Anima duntaxat sensitrice secundùm diversas species: ergo de ipso in communi agitur tantummodo in hisce tribus libris de Anima, adeoque tametsi volueris eos inspicere seorsim ab aliis, habebunt pro objecto adæquato formali *quod* mobile animatum ut sic, & libri subsequentes habebunt pro objecto adæquato, &c. mobile animatum Anima sensitrice.

5. Probatur 2. Ratiocinio, quo communiter utuntur sententiæ nostræ fautores. Objectum adæquatum formale *quod* attributionis Philosophiæ est ens mobile in communi, sive corpus mobile, sive substantia mobilis, sive ens, sive corpus naturale juxta diversorum diversa placita in physicæ prodromis recensita: ergo præsentis objectum operis debet esse ens mobile animatum, vel corpus mobile animatum, non verò sola Anima abstractivè inspecta. Ant. supponitur ex ibi dictis. Consequentia prob. Opus istud, sive libri isti, quomodocunque inspiciantur sunt pars, imò pars potissima Philosophiæ, ut satis vidimus, & docet S. Th. loco nuper relato, ubi *& ordine*, inquit, *& dignitate præstat inter cæteros tractatus de animalibus, seu de rebus animatis*: ergo si &c. Prob consequentia. Objectum quippe formale *quod* partis subjectivæ cujuspiam scientiæ debet per se, & directè participare rationem communem totalis objecti totius scientiæ, & per se directè sub eo contineri; sed quod continetur per se directè sub mobili ut sic, & quod per se directè illud participat est ens animatum, non verò Anima: ergo si &c. Maj. quam Adversarius negat, prob. In hoc etenim distinguitur materiale objectum à formali, quòd primum non petit per se participare, & contineri sub objecto formali, benè verò secundùm: ergo &c.

Respondet Adversarius, non semper requiri, quòd prædicetur in recto de objecto partiali, sed satis esse in obliquo. Constans namque est, quòd liber octavus Physicorum est Physicæ pars quædam; & tamen objectum ejus est, non ens mobile in communi, sed primus motor, nimirum Deus, cum de ipso unicè agat; & nihilominùs Deus non est in recto ens mobile. Item in Theologia sunt plures tractatus, quorum objectum non participat in recto Deum, puta tractatus de Angelis habet pro objecto formali Angelos, tractatus de virtutibus habet pro objecto virtutes. Sed

Contra, Tum quia maj. probata jam fuit. Tum quia scientia, & objectum debent invicem proportionari; sed pars ista in recto, & non tantùm in obliquo participat communem Philosophiæ rationem, & directè sub illa ut pars continetur: ergo pariter formale objectum ejus debet per se directè contineri toto sub totius Philosophiæ objecto. Tum quia si duntaxat in obliquo esset attingibile, nonnisi in obliquo sub totius objecto contineretur: ergo cùm sit in recto attingibile ab hoc tractatu debet directè toto sub objecto contineri. Aliæ oppugnationes apud Cavinum.

Neque dixeris, tractatum istum esse partem mediatam, & minùs principalem.

Ne, inquam, id dixeris, Tum quia hujus falsitas ex dictis enitescit. Tum quia tametsi pars minùs principalis sit, per se adhuc directè, licèt minùs principaliter, aut mediatè, continetur sub Philosophia: ergo pariter ejus objectum debet directè contineri sub totius Philosophiæ objecto, saltem minùs principaliter, & mediatè. Non enim mediatè semper idem est, ac indirectè, cùm scientia quælibet attingat species objecti, seu partes objecti divisivas mediante toto potentiali; & tamen species objecti subjectivas attingit per se, ac directè. Tum demum quia tametsi minùs principalis pars sit, adhuc ejus objectum ut quid minùs principale continebitur per se, & directè sub objecto totius.

Instantiæ adductæ ad nihil valent. Negatur namque utrobique assumptum. Siquidem liber 8. Physicorum quamvis agat de primo motore; tamen de illo agit in ordine ad motum, & ad mobile; & ea de re Primus Motor est objectum duntaxat per accidens illius libri. Similiter Theologiæ tractatus illi agunt de Angelis, virtutibus, &c. in ordine ad Deum.

Remanet igitur, quòd objectum adæquatum *quod* &c. hujusce tractatus sit ens animatum; Anima verò erit objectum adæquatum tantummodo *quo*. Eum ad modum, quo coloratum est objectum adæquatum *quod* visus: color verò est objectum formale *quo*. Et in hoc sensu intelligendi sunt nostrates, dicentes, objectum formale esse Animam.

§. III.

Solvuntur argumenta in adversum facta.

6. ARg. 1. Illud est operis hujus adæquatum formale *quod* objectum, cujus definitiones traduntur, cujus & proprietates demonstrantur in illo; sed hoc est Anima, & non animatum ens: ergo Anima, non verò ens animatum erit objectum adæquatum formale *quod* attributionis horum librorum. Prob min. Siquidem ab Arist. definitur sola Anima, ut perspicuum fiet ex dicendis, & de ipsis Animæ potentiis agit: ergo &c.

Quidam domesticis in disputatoriis congressibus respondebat, quòd ens animatum estò non inveniatur definitum tribus in hisce libris, benè tamen in sequentibus. Verùm absque fundamento responsum hoc creatum extitit. Quandoquidem aliis in libris estò habeatur definitum ens animatum in particulari determinatæ speciei; nullibi tamen etiam in cæteris libris invenitur definitum ens animatum in communi, quod dicimus esse hujusce tractatus objectum. Benè verò extat hisce in libris definita Anima etiam in communi. Aliter itaque

Resp. communiter, nego min. Ad prob. dist. ant. sola Anima ut *quod*, & in abstracto, nego, *ut quo* & in concreto, quatenus per illam constituitur ens animatum, concedo ant. & nego consequentiam. Dupliciter potest forma aliqua definiri. Primò in abstracto, & *ut quod*, sicut si definiatur crispitudo, quod sit *curvitas capilli*. Secundò in concreto, importando ipsam *ut quo*, & totum compositum *ut quod*, ut si dicatur, quod crispitudo est *capillus curvus*. Hoc secundo modo definitur Anima, & de illa proprietates demonstrantur, sicque totum ens animatum importatur.

Contra 1. Si Aristotelis intentum fuisset, hisce in libris agere de ente animato, definivisset, non Animam *ut quo*, & in concreto per connotationem ad corpus, sed immediatè ipsum ens animatum in recto nominando: ergo si id non fecit, ut non fecisse constat, jam signum est, quod intentum ejus, &c. Ant. prob. siquidem Arist. quia in libris de parvis animalibus intendebat demonstrare passiones ipsorum animalium, demonstravit, non de eorum forma *ut quo* in ordine ad ipsa animalia *ut quod*, sed immediatè de ipsis animalibus in recto ea nominando. Similiter in libris de sensu, & sensato, quia intendebat agere de ipso sensu, & sensato, explicavit definitiones, proprietates, &c. non sensationis, aut sensibilitatis *ut quo* in ordine ad ipsum sensum, & sensatum *ut quod*, sed ipsum sensum, & sensatum immediatè in recto nominavit, ut videre est, sicut ipse vidi. Ea de re nominantur etiam libri de parvis animalibus, de sensu, & sensato, non verò de sensatione, ubi aliàs tractatus iste de Anima nuncupatur: ergo pariter si &c.

Secundò. Philosophus de sensu, & sensato cap. 1. *quoniam*, inquit, *de Anima secundùm seipsam determinatum est priùs in his tribus libris* &c. Quod explicans S. Th. ibidem subdit: *Philosophus distinguit hanc considerationem in tres partes. Nam quidem primò considerat de Anima secundùm se quasi in quandam abstractione. Secundò considerationem facit de his, quæ sunt Animæ secundùm quandam concretionem ad corpus. Tertiò applicando hæc ad singulas species animalium, & plantarum. Prima igitur consideratio continetur in libris de Anima.* Hæc ille subsumitur min. Sed sumpta Anima secundùm se in quadam abstractione sumitur, non *ut quo*, & in concreto, benè verò *ut quod*, & in abstracto: ergo &c.

Tertiò. Etiam permisso, quòd Anima definiatur *ut quo*, & quòd prout sic de illa demonstrentur proprietates; tamen corpus physicum organicum, quod idem est, ac ens animatum, importatur duntaxat in obliquo, & sola Anima in recto importatur, cùm definiatur Anima *actus corporis physici, organici*, &c. ubi corpus physicum importatur in casu obliquo, cùm importetur in genitivo casu, & solus casus nominativus sit casus rectus, ut cuique vel Grammaticunculo notum est; sed objectum formale *quod* est id, quod in recto definitur, & de quo in recto à scientia demonstrantur proprietates, cùm attingatur à scientia in recto ut

speci-

ſpecificativum : ergo quomodocunque loquamur ſemper inſubſiſtens eſt reſponſum noſtrum.

Intantum autem ea in definitione criſpitudinis V. G. *criſpitudo eſt capillus curvus* dicitur definiri criſpitudo in concreto, *ut quo*, & ſubjectum *ut quod*; quia in recto nominatur tanquam genus ipſe capillus. At non ita evenit in definitione tradita de Anima reſpectu corporis, aut etiam entis animati: ergo &c.

Reſpondeo ad 1. nego ant. Ad prob. nego conſequentiam, & paritatem. Diſcrimen eſt, quia præcipui veterum Philoſophorum errores fuere circa Animam, & non circa explicitum entis animati conceptum. Quod non militat de parvis animalibus, ſenſu, & ſenſato, &c. Idcircò explicitè nominavit Animam, non verò animatum ens. Cujus ſignum eſt, quòd poſtea definiendo vegetatricem Animam, ſic eam definivit: *erit utique prima Anima generativum ejus, quale eſt ipſa*.

Inſt. eadem difficultas, idemque error eſt de Anima, ac de ente animato, nec minùs definiendo ens animatum, ac definiendo Animam hujuſcemodi occurrebat erroribus: ergo &c. Prob. Ant. Ens animatum conſtituitur per ipſam Animam, eſtque Anima ipſa in concreto, quia conſtitutivum, & conſtitutum unum, atque idem ſunt. Præterea ſi eorum Philoſophorum errores fuerunt circa Animam, jam ipſorum fuit intentum agere de Anima, non verò de ente animato, adeoque & ipſi cenſuerunt, horum librorum objectum eſſe Animam.

Reſpondeo, implicitè quidem hoc totum verum eſſe, at non explicitè. Et quia Philoſophi illi erravere circa Animam, explicitè eam nominando, Idcircò & Ariſt. ſic ſe geſſit, eos refellendo. Quantùm verò ad id, quod de illorum Philoſophorum ſenſu ſubditur circa huiſce tractatus objectum, dico parùm, imò nihil noſtrum intereſſe; quia eorum veſtigia declinamus. In hoc autem Philoſophus eos non refutavit, quia fortaſſis ceu modici, & ferè nullius momenti litem non curavit.

Reſp. ad 2. commentando utriuſque Magiſtri authoritatem cum diſtinctione, ita quòd determinatio, & conſideratio de Anima ſecundùm ſe, & in quadam abſtractione fiat de objecto adæquato totali, nego, tanquam de objecto partiali, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam.

Quia ex re habes, quòd rationalis Anima etiam à corpore ſejuncta ſpectat ad Philoſophiæ objectum, non quidem inadæquatè inſpecta ſecundùm purum immaterialitatis gradum, quo pacto ad Metaphyſicam ſpectat, ſed adæquatè ſecundùm gradum immaterialitatis incompletæ, ſeu ut forma incompleta, ideſt ut forma incompleta eſt, & pars connotans corpus, ac dicens ordinem ad intelligendum dependenter à Phantaſmatibus. Status namque ſeparationis eſt Animæ rationali abſolutè violentus, & duntaxat ea ſuppoſitione naturalis, ut dicemus in Metaphyſica q. 13.

Et nota, quòd in ſententia profitente, ens animatum eſſe objectum hujus tractatus, non ſumpti ſeorſim ab aliis libris, ſed duntaxat inſpecti ut comprehendit cœteros poſteriores libros, præfata authoritas nihil valet.

Ad 3. in primis diſt. maj. in prima definitione tranſeat, in ſecunda definitione, nego maj. Deinde diſtinguo eandem maj. quantum ad id, quod verba ſonant tranſeat, quantum ad id, quod ſenſus ſonat, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quamquam etenim re vera corpus phyſicum organicum idem ſit, ac ens animatum; tamen explicitè hoc non importatur, ſed duntaxat implicitè, & ſit ſenſus, quòd Anima eſt ens animatum, quatenus ex ipſa, & ex corpore organico conflatur ens animatum. Ad differentiam illius definitionis, in qua, dicitur, quòd *lux eſt actus perſpicui, calor eſt actus calidi*, &c. in quibus explicitè nominatur in obliquo ipſum lucidum, & calidum. Non verò ly *corpus organicum* dicit explicitè ens animatum. Dixi *tranſeat*, quia re vera ens animatum in illa definitione quantùm ad pura verba nec in recto, nec in obliquo, ſed tantum modo importatur quantum ad ſenſum, & quidem in recto. Quod factum eſt à Philoſopho, ut directè contra veteres Philoſophos dimicaret.

7. Arg. 2. Adæquatum ſcientiæ objectum illud eſt, in quod omnium eorum, quæ in ſcientia tractantur fit reſolutio; ſed id, in quod fit reſolutio cunctorum, quæ hiſce in libris pertractantur eſt Anima: ergo &c. Prob. min. Anima eſt radix omnium proprietatum, omnium potentiarum, quæ in præfatis demonſtrantur libris.

Reſp. diſt. maj. In quod fit ultima reſolutio *ut quod*, concedo, *ut quo*, nego maj. & diſtinguo min. fit in Animam tanquam in id *quo*, concedo, tanquam in id *quod*, nego min. & conſequentiam. Quacunque in ſcientia aſſignanda venit ratio formalis *ſub qua*, quæ dicitur objectum formale *ſub quo*: alia ratio formalis *qua*, quæ etiam dicitur objectum formale *quo*: & tandem ratio formalis *quæ*, & ſolet dici objectum *quod*. Eum ad modum, quo lux V. G. eſt ratio formalis *ſub qua*, color ratio formalis *qua* & lucidum coloratum ratio formalis *quæ* potentiæ viſivæ. Sic ratio formalis *ſub qua* totius Philoſophiæ eſt abſtractio ab omni materia ſingulari, ratio formalis *qua* eſt mobilitas ut ſic, ſeu forma ut ſic conſtitutiva entis mobilis; & ratio formalis *quæ* eſt ens mobile ut ſic. In noſtro itaque caſu ratio formalis *ſub qua* horum librorum eſt pariter abſtractio ab omni materia ſingulari: objectum formale *quo* eſt forma conſtitutiva talis entis mobilis, nimirum motu vitali, videlicet Anima: objectum formale *quod* eſt ens mobile animatum. Anima igitur eſt id, in quod *ut quo* fit ultima reſolutio proprietatum, quæ hic demonſtrantur; Ens verò animatum eſt id, in quod *ut quod* fit talis reſolutio. Ob idque duntaxat ſequitur, Animam eſſe objectum adæquatum formale *quo*.

Dices. Extat Anima aliqua, quæ eſt radix, & principium harum proprietatum *ut quod*, nimirum Anima rationalis: ergo in illam *ut quod* poterit fieri ultima reſolutio earundem.

Reſp. diſt. conſequens in illam *ut quod* tanquam objectum adæquatum, nego, inadæquatum, & partiale, imò & principalitatis, concedo conſequentiam. Reſponſum ex dictis clareſcit; eò vel maximè, quòd potentiæ ſenſitivæ dimanant à toto, nec proinde remanent in Anima rationali ſeparata, ut in Meth. q. 13. videbimus.

8. Arg. 3. Illud eſt objectum adæquatum formale *quod* attributionis, dependenter à quo omnia attinguntur; ſed ens animatum cognoſcitur dependenter ab Anima, non verò è contra: ergo &c. Prob. min. Ens animatum in ratione talis dependet ab Anima, cùm habeat eſſe ab Anima: ergo &c.

Reſp. nego min. Potiùs namque è converſo Anima attingitur dependenter ab ente animato, quia pars ordinatur ad totum, & dependenter ab illo cognoſcitur, non è contra. Anima autem ſe habet ut pars, & ens animatum ut totum. Ad prob. diſt. ant. dependet ab Anima conſtitutivè, concedo, ordinativè, nego ant. & conſequentiam. Ens quippe Animatum non dependet ab Anima ordinativè, quaſi quòd ordinetur ad illam, & propter illam attingatur, ſed dependet conſtitutivè, quatenus per illam conſtituitur ens animatum. Sumpta autem dependentia hoc modo. Anima non ponit in numero cum ente animato, quia conſtitutivum, & conſtitutum unum, atque idem ſunt, ut etiam dicebamus 1. Phyſ. q. 4. art. 2.

Dices. Cognita Anima cum ſuis potentiis jam habetur notio cunctorum, quæ dignoſci de ente animato poſſunt: ergo tota objecti ratio in Anima ſita eſt.

Reſp. diſt. ant. cognita Anima veluti abſtractivè, nego, concretivè, concedo ant. & nego conſequentiam. At Anima concretivè ſumpta nil aliud eſt, quàm ens animatum.

9 Arg. poſtremò. Scientia denominatur à ſuo objecto formali *quod*; ſed tractatus iſte inſcribitur de Anima: ergo &c.

Reſp. nego maj. Si univerſaliter loquatur. Nonnunquam ſiquidem deſumitur ab objecto partiali principalitatis. Sic Metaphyſica inſcribitur ſcientia de Deo; & tamen objectum ejus adæquatum non eſt Deus, qui eſt ejus objectum principalitatis duntaxat. Ea de re ad ſummum ſequitur, Animam eſſe objectum partiale principalitatis, at non adæquatum horum librorum.

10. Collige ex prælatis. Animam eſſe objectum, non adæquatum formale *quod* hujus tractatus, ſive ſeorſim, ſive collectivè unà cum aliis ſequentibus libris ſumpti; ſed tantummodo inadæquatum, licèt principale: & ad ſummum adæquatum *quo*. Et de objecto adæquato *quo* duntaxat loquuntur forſan Thomiſtæ, qui obverſa pro parte citantur; præſertim verò Jo: à S. Th. cùm expreſsè non nominet objectum *quod*, & aliàs inſcriptionem ponat *de ente mobili animato*. Idcircò dixi in concluſione *non ſolam Animam, verùm etiam ens animatum eſſe objectum adæquatum formale quod*, ut utrumque comprehenderem, neutrumque ſeorſim eſſe adæquatum innuerem.

PARVUS LIBER PRIMUS DE ANIMA.

1. QUi modicus adeo haberi consuevit liber iste, ac per pauca absolvi, non adeo brevis hisce temporibus evaderet, ni complura hic disserenda ventilata fuissent 2. Phys. agendo de causa finali, ac ibi art. 3. de agentibus propter finem; necnon alia ventilanda forent infra lib. 2. q. 2. art. 2. quo ad Plantarum, & Brutorum vitam.

Equidem quondam apud Universos exploratissimum erat, ac dubio procul, Animam extare, & unus duntaxat nomine Phthiota teste Dicæarcho apud Ciceronem, Animam extare denegavit. Et iste ut delirus habetur, quamquam eum excuset nonnemo, dicens Philosophum, & Poetam fuisse, ac poeticè, seu fabulosè locutum. Ast hisce diebus non pauci turpem adeo Phthiotæ profitentur errorem, Cartesiani nempe, qui Brutis vitam, & sensum denegant, adeo & Animam, quam & Homini denegarent, ni Ecclesiæ anathemata eos terrerent.

Quo ad Bruta jam nitet ex dictis locis nuper citatis, & iterum dicendis, ubi etiam de Plantis.

2. Quo ad Hominem verò Phthiotistas faciliùs foret redarguere. Quandoquidem per Animam nos nil aliud intendimus, quam principium intelligendi, & sentiendi. Quod abnuere potest nemo. Quando à Phthiota peterem num ipse intelligat nec ne? Si sic: ergo extat actus intelligendi, ejusque principium. Si non: ergo insipienter negat, cùm sit intelligentia, sive intellectu, seu mente inops: Similiter si audit: ergo extat sensus auditus cum suo actu sentiendi, adeoque & ejus principium. Si non audit, cur mihi respondet?

3. Priscorum autem errores fuere, non circa Animæ existentiam, sed ejus circa quidditatem, in quibus repellendis Arist. totum huoc primum impendit librum.

Itaque cum Aristotele scito, Animam non esse humorum harmoniam, sive qualitatum, aut elementorum, quæ complexio nuncupatur, ut Pythagorea sensit secta, secùs cùm hujuscemodi compositio, & harmonia sit accidentalis, & non essentialis, nulla essentialis diversitas locum haberet in Animabus; imò Anima esset forma accidentalis, sicque corporibus, omnibusque formis inanimis deterior. Sed de complexione, sive temperamento vide quæ dixi lib. 2. de Gener. & Corrupt. q. 3 in Præloquio.

Scito præterea, nec esse aliquod movens seipsum in corpore sicut quoddam in illo contentum veluti in vase quodam, ut sentiebat, ille, qui ad quendam ait *loquere, ut te videam*, sicut & Anaxarchus; cujus placitum profitentur etiam non complurimi ex Hebræis loquendo saltem de Anima rationali de quo aliqua quæst. prima sequenti art. 5. §. 3. ad 5. Non inquam, secùs animal non esset vivum, sed duntaxat continens quidpiam vivum. Eò vel maximè quòd partium organizationes, quæ sunt Animæ effectus, & non alterius formæ, in ipso cernantur corpore. Præterea cùm tristatur anima, & corpus macrescit. Non sic autem domus, aut Vas detrimentum patitur, cùm tristatur homo in ea contentus.

Scito ulteriùs, nec esse corpus aliquod, quia (ut lib. 4. visum est) duo corpora eodem in loco naturaliter nequaquam possunt; Anima verò & corpus eodem degunt in loco. Videri potest S. Th. 2. contra Gentes à cap. 63. atque ad 7.

Scito insuper, nec esse Sanguinem, cùm videamus, Sanguinem effusum non vivere.

Demum recolenda sunt ea omnia, quæ adversus Atomistas 1. Phys. diximus. Et sic satis de primo libro.

LIBER SECUNDUS DE ANIMA.



SEx hoc secundo in libro habebimus quæstiones. Primam de Anima secundùm se, & in communi. Secundam de divisione, sive multiplicitate Animæ. Tertiam de Animæ potentiis in communi. Quartam de Anima Vegetatrice, ejusque potentiis. Quintam de Anima sensitrice, ejusque potentiis. Sextam denique de speciebus intentionalibus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Anima secundùm se, & in Communi.

DUas hac in quæstione aperiendæ dubitationes veniunt. Prima; num Animæ definitiones ex Arist. hautiæ sint idoneæ. Secunda; In quo à non viventibus secernantur viventia.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Animæ definitiones ab Arist. traditæ exactæ sint.

§. I.

1. MYsterium, & quidem grande, est sibi ipsi Anima ipsa. Et quæ tam sublimia, tanque abscondita dignoscit, seipsam deprehendere, ut par est, non potest, tam tenebrosa ejus quidditas est. Idcircò, non propter lites, quæ ejus habeantur de definitionibus, sed ad majorem illius essentiæ illustrationem de illis disputari consuevit.

Attende igitur, quòd prima Animæ definitio ab Arist. formata hic cap. 1. est in terminis talis: *Anima est actus corporis, physici, organici potentia vitam habentis*. Secunda, quam habet hic tex 12. & 24. sic dicit: *Anima est id, quo vivimus, sentimus, loco-movemur, & intelligimus primo*.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS, nimirum

Præfatæ definitiones irreprehensibiles sunt.

2. PRob. Præfatæ definitiones cuncta obtinent requisita ad exactam definitionem: ergo optimæ. Prob. ant. Singulas explanando particulas. Et primo in prima definitione dicitur *actus*. Quæ particula generis sibi vendicat locum, & per eam convenit Anima omnibus cum formis sive substantialibus, sive accidentalibus. Dicitur *primus*, idest primus simpliciter, & absolutè. Ob idque per particulam illam differt ab omni accidentali forma, quæ est actus secundus. Quamvis namque forma nonnulla accidentalis queat dici actus primus comparativè, sicut potentiæ, & habitus sunt quodammodo actus primus comparativè ad operationem; tamen absolutè, & simpliciter sunt actus secundus. Præterea per particulam illam potest etiam distingui à forma inanimi, quia Anima ita est actus primus, quod potest ab intrinseco separari ab actu secundo, nimirum ab operatione, ut Anima intellectiva nonnunquam cessat ab actu intelligendi, & volendi; sensitiva ab actu sentiendi, ut palam est in animalibus somno correptis; & Vegetativa ab actu nutritionis, augmentationis, & generationis, ut in plantis.

Inani-

Inanimata verò petit nunquam cessare ab operatione, nisi ab extrinseco impediatur, vel ex deficientia alicujus extrinseci, ut perspicuum est in Igne, & innuit Arist. hic tex. 5. & D. Th. ibidem lect. 1. his verbis: *sciendum, quòd Philosophus dicit, Animam esse actum primum, non solùm ut distinguat Animam ab actu, qui est operatio, sed etiam ut distinguat eam à formis, quæ semper habent suam actionem, nisi impediantur.*

Dicitur *Corporis*, per quam particulam differt Anima à formis completis, nimirum ab Angelis, qui sunt actus completi per se subsistentes, nullumque dicentes ordinem ad materiam informandam; Anima verò est incompletus actus, & pars corporis. Ubi adnotandum, quòd Anima dicitur *actus corporis*, non verò materiæ primæ; quia Anima potest considerari & ut forma est; & hoc pacto ejus proprium susceptivum est materia: & ut Anima est, videlicèt ut tribuit gradum viventis; & hoc modo proprium, immediatumque susceptivum ejus est corpus, idest compositum ex materia, & forma, hoc est, Anima ipsa ut præbente gradum corporeitatis, ut innuit S. Th. quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 3. ad 2. & exponit Cajetanus in hoc libro cap. primo. De quo iterum §. sequenti 3. ad 2. arg. num 4.

Dicitur *physici*, idest naturalis. Per quam particulam secernitur Anima tum à forma artificiali, V. G. forma Cathedræ, quæ est actus corporis artificiati; tum à mathematica forma, puta figura, quæ est actus corporis mathematici. At Anima est actus corporis naturalis, quod est principium motus, & quietis, & radix accidentium sensibilium.

Dicitur *Organici*. Per quam particulam differt iterum à formis inanimis, quæ sunt actus corporis physici naturalis, sed non organici. Per illam siquidem significatur, quòd subjectum Animæ susceptivum debet esse heterogeneum, idest habens partes diversæ rationis ad diversas eliciendas operationes: ad eum similitudinariè modum, quo Organum Musicæ deserviens, idest instrumentum musicale diversis in partibus plures, diversasque voces edit.

Quod ut intelligas scito, quòd organizatio duplex extat. Una accidentalis, quæ præstatur à quantitate, cæterisque accidentibus, & consistit præcisè in hoc, quòd partes habeant talem figuram, quantitatem, colorem, &c. Altera substantialis, consistens in eo, quòd organum sit vivificatum, sive animatum ab Anima. Prima non sufficit, cùm in forma etiam cadaverica cernatur, sed utraque requiritur.

Præterea advertit S. Th. quæst. unica de Anima art. 1. ad 15. & Cajet. 2. de Anima cap. 1. quòd subjectum formæ susceptivum duplex est, informe unum, formatum aliud. Primum est illud, quod nihil habet de forma, quam recipit, solumque dicit sua prædicata propria. Secundum est illud, quod unà cum forma significatur, sicut V G. lucidum est subjectum luce formatum. Ea de re (inquit Doctor Sanctus) in definitione formæ interdum ponitur subjectum informe, ut cùm dicitur, quòd motus est actus existentis in potentia, lux est actus diaphani, &c. Nonnunquam subjectum formatum, ut cùm dicitur; quòd motus est actus mobilis, lux est actus lucidi, sive perspicui, calor est actus calidi, &c. In data itaque Animæ definitione, quæ dicitur *actus corporis, physici, organici*, &c. ponitur subjectum formatum, nimirum constitutum tale per ipsam Animam.

Dicitur denique *potentia vitam habentis*. Per quod discrepat Anima tum à forma cadaverica, quæ est actus corporis, physici, organici; sed cùm importet organizationem purè accidentalem non est in potentia ad vitam. Tum à forma Embrionis, intelligendo ly *potentia* de potentia proxima, quia Embrion dicit potentiam duntaxat remotam ad vitam.

Observandum est autem, quòd duplex est vita, substantialis una, accidentalis altera. Prima est Anima ipsa, quatenus in corpore est radix, & principium operationum vitalium. Secunda est ipsa actualis operatio vitalis. Ly *potentia vitam habentis* sumitur pro vita, non substantiali (cum ipsum esse organizatum sit ipsum esse animatum loquendo de substantiali organizatione) sed pro vita accidentali.

Exactissima itaque est definitio ista. In qua licèt nonnullæ particulæ videantur idem habere munus V. G. tum ly *actus primus*, tum ly *organici* faciunt ab inanimis formis differre; tamen superfluæ non sunt, quia sunt ad majorem lucem ejusdem definitionis Animæ, cujus notio difficilis adeo est.

Prob. 2. Primum ant. enucleando singulas secundæ definitionis particulas. Dicitur primò *id quo*, idest principium *quo*. Ubi ly *principium* generis locum obtinet, per ly verò *quo* discrepat à toto supposito, quod est principium *quod*, & fit sensus, quòd Anima est principium formale *quo* intrinsecum. Differt quoque à causa efficienti, quæ est principium extrinsecum à quo: sicut etiam à causa finali, quæ est id, propter quod: & demum à causa materiali, quæ est id, in quo aliquid fit. Dicitur postea *vivimus, sentimus, loco-movemur, & intelligimus*. Per quas dictiones comprehenduntur quatuor omnes vitæ gradus, qui ab Anima, vel collectivè, ut in Homine, vel divisivè, ut in cæteris viventibus, præstantur ab Anima. Dicitur tandem *primò*, idest radicaliter, ad denotandum, Animam esse primum principium substantiale, & radicale, quo vivimus &c. ad differentiam potentiarum, & habituum, qui sunt principia proxima.

Notandum circa ly *vivimus* quòd dupliciter sumi potest. Primò prout commune Vitæ vegetatrici, sensitrici, & intellectrici. Secundò specialiter pro sola vegetatrice. Cajetanus vult, data in definitione ly *vivimus* sumendum esse primo modo. Eapropter dicit, definitionem consistere in illa dictione *vivimus*, alias verò particulas esse positas duntaxat ad majorem lucem. Verùm reliqui omnes volunt, ly *vivimus* stare pro sola vita vegetativa. Quod colligitur ex D. Th. hic lib. 2. cap. 2. super tex. 24. ubi *quod vivere*, inquit, *refert Aristoteles ad principium vegetativum, quia priùs dixerat, quod vivere propter hoc principium inest omnibus viventibus*. Obidque D. Greg. Papa hom. 29. in Evang. ait, quòd Homo habet esse commune cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis. Ubi sanè ly *vivere* sumit pro vita Vegetatrice.

Objicies ex Cajetano. Per omnes vitæ gradus vivimus: ergo minùs benè ly *vivimus* restringitur ad solam Vegetatricem vitam. Eo vel maximè quòd Vegetatrix vita est una ex vitæ speciebus, at non genus.

Resp. dist. consequens, quantùm ad loquendi usum, nego, quantùm ad rem, concedo ant. & nego consequentiam. Loquendi igitur usus apud Philosophos est, quòd res imperfectiores nomine generico appellentur; quemadmodum Sus, quod omnium est animal imperfectissimum vocitatur *animal*. Quod etiam cernitur in Gregorii nuper allatis verbis. Sic etiam Vegetatrix vita ceu omnium imperfectissima dictitatur nomine generico, & universali.

Levis alia objectio legi potest apud Cavinum hic.

§. III.

Obversantium argumenta solvuntur.

3. ARg. 1. Contra p. p. Conclusionis adoriendo ab ultima dictione non benè videtur appositum ly *potentia vitam habentis*: ergo prima Animæ definitio reprehensibilis est. Prob. ant. Corpus organicum organizatione substantiali est actu, & non tantùm potentia vivens: ergo &c.

Respondeo, nego ant. Ad prob. ex dictis num. antegresso dist. ant. est actu vivens vita substantiali, concedo, vita accidentali, nego ant. & consequentiam. Ut namque prædeclaravimus in præfatis dictionibus ly *potentia vitam habentis* stat pro accidentali vita, nimirum pro actuali operatione, sumendo operationes omnes vitales ut conveniunt communi una in ratione operationis vitalis, sive vitæ accidentalis, vel pro ipsis potentiis vitalibus, quæ sunt vita accidentalis in actu primo. Eum ad modum, quo dum dicitur, quòd essentia V. G. est in potentia ad esse, ly *esse* sumitur pro esse accidentali, videlicèt pro actuali existentia. Quamquam autem organizatio substantialis idem sit, ac vita substantialis, non tamen idem est, ac vita accidentalis. Ob idque ea posita stat potentia ad istam.

Contra 1. Ly *potentia vitam habentis* in data definitione sumitur pro substantiali vita: ergo &c. Prob. ant. Per ly *potentia vitam habentis* secernitur Anima à forma Cadaverica, quæ est actus corporis, physici quidem organici non tamen potentia vitam habentis; sed subjectum Cadavericæ formæ nec ad substantialem, nec

ad acci-

ad accidentalem vitam est in potentia : ergo è contra &c.

Secundò. Corpus, quod est subjectum Animæ est organicum organizatione substantiali, & accidentali : ergo & actu vivens utraque vita.

Respondeo ad 1. nego ant. Ad prob. dist. pariter ex dictis maj. differt essentialiter, nego, accidentaliter, concedo maj. cum min. & nego consequentiam. Essentialis inter Animam, & formam cadavericam differentia in hoc sita est, quòd Anima est actus corporis physici organici organizatione substantiali; at cadaverica forma est actus corporis physici organici organizatione duntaxat accidentali. Per ly autem *potentia vitam habentis* discrepat tantummodo accidentaliter. Adde, quòd cùm subjectum cadavericæ formæ ad vitam nec substantialem, nec accidentalem sit in potentia adhuc differt ab Anima, si sumatur etiam pro accidentali vita, ad quam non est in potentia cadavericæ formæ subjectum. Eadem re argumentum retorquetur.

Ad 2. constat ex dictis, organizationem accidentalem esse, non ipsam vitam accidentalem, sed solummodo quantitatis effectum, non quidem quantitatis absolutè, sed ut consecutæ ad formam vitalem. Et certè dubio procul est, vitam accidentalem esse actualem operationem, ad quam ens animatum esse in potentia inficiabitur nemo, ut luculentiùs dicetur cæteras enucleando particulas.

Contra. Per dictas particulas Anima essentialiter secernitur à cadaverica forma : ergo &c. Prob ant. Prima Animæ definitio est essentialis, ergo tradi debet per id, quod facit essentialiter differre, adeoque &c.

Respondeo, nego ant. Ad prob. dato ant. dist. consequens: tradi debet per id, quod facit essentialiter differre quò ad ea, in quibus consistit definitio, concedo, secùs, nego primam, & secundam consequentiam. Animæ definitio sita est in prioribus particulis. Illæ verò ultimæ positæ sunt duntaxat ad majorem lucem. Nec per hoc definitio illa est redundans. Non, inquam, quia tales particulæ sunt necessariæ ad majorem lucem Animæ, cujus perfecta notio difficilis adeo est, ut veteres Philosophi in non leves lapsi errores sint.

4. Arg 2. Anima est actus primus materiæ primæ : ergo non benè dicitur actus primus corporis. Prob. ant. Anima est forma substantialis; sed forma substantialis est actus primus materiæ primæ : ergo &c.

Resp. ex dictis præcedenti §. Animam dupliciter considerari posse, nimirum ut forma est, & ut Anima est. Priori modo proprium ejus susceptivum est materia nuda. Secundo verò modo est materia ut informata ab eadem Anima solo corporeitatis gradu.

Dices. Susceptivum realiter distinguitur ab eo, quod recipit, cùm nihil seipsum recipiat; sed gradus corporis (ut infra suo loco contra Scotum dicetur) non præstatur ab aliqua forma corporeitatis realiter distincta ab Anima : ergo proprium susceptivum Animæ ut Anima est, non est corpus.

Conf. ex his, quæ ibidem dicemus. Ideo Thomista execratur formam corporeitatis in vivente, realiter ab Anima distinctam, quia sequeretur, Animam facere unum per accidens, dum advenit materiæ jam constitutæ per corporeitatis formam; sed tametsi susceptivum Animæ esset corpus, sive materia ut præbens gradum corporis, Anima adveniret materiæ, ut constitutæ in actu per gradum ipsius corporis : ergo &c.

Resp. ad 1. dist. maj. susceptivum recipiens aliquid absolutè, concedo, cum addito, nego maj. Vel (sub aliis terminis) dist. maj. recipiens aliquid secundùm entitatem, concedo, tantummodo quò ad aliquem gradum, nego maj. & data min. nego consequentiam. Materia namque ut per corporeitatis gradum actuata recipit Animam, non absolutè, & secundùm suam entitatem, sed cum addito duntaxat, & secundùm determinatum gradum, nimirum secundùm gradum vitæ. Eadem re cùm hujuscemodi gradus non sint inter se realiter distincti, non sequitur, debere dari formam aliquam realiter distinctam ab Anima, præstantem esse corporeum. Sed de hoc sermo redibit infra art. 3. per totum § 3.

Ad Conf. ex dicendis art. 3. §. 3. ad 2. arg. data maj. dist. min. adveniret materiæ constitutæ in actu ab eadem Anima, ut dante corporis gradum, concedo, per aliam formam realiter distinctam ab Anima, nego min. & consequentiam. Tunc forma facit unum per accidens, quando convenit subjecto constituto in actu per aliam formam realiter à se distinctam. Quamvis autem Anima adveniat materiæ habenti corporis gradum; tamen gradus iste eadem ab Anima præstatur. Undè aliter, ut supra, poterat min. distingui sic: adveniret absolutè, & secundùm entitatem, nego, adveniret cum addito secundùm gradum magis determinatum, concedo min. & nego consequentiam. Si autem daretur forma corporeitatis realiter distincta ab Anima, jam Anima adveniret absolutè, & secundùm sui entitatem ipsi materiæ constitutæ in actu, ideircò faceret unum per accidens.

5. Arg. 3. adversus dictionem illam *organici*, Tum quia corpus organicum organizatione substantiali idem perinde est formalissimè, ac vivum : ergo nec secundùm gradus est Animæ susceptivum, adeoque perperam dicitur *actus corporis physici organici*. Tum quia Anima est forma etiam sanguinis; & tamen sanguis non habet partes diversæ rationis; ergo &c. Similiter plantæ non habent partes heterogeneas.

Resp. ad 1. ex dictis retroacto §. 2. Animam definiri per suum subjectum formatum, non verò informe. Videatur ibi. Vel dici potest, inspici etiam subjectum informe, sed sumi ly *organicum* dispositivè, quia nempè Anima non introducitur, nisi priùs positis dispositionibus ad organizationem substantialem, seu ad vitam.

Ad 2. dico, quòd non requiritur, omnes partes subjecti Animæ constare iterum ex partibus rationis diversæ, secùs oculus, auris, &c. deberet constare ex partibus diversæ rationis; sed sat est, quod totum constet ex partibus diversæ rationis. Sanguis autem est una ex partibus totius, idcircò sufficit, quòd sit diversæ rationis à cæteris partibus. Quomodo autem partes istæ differant inter se; dicetur infra investigando, num in eodem vivente sint plures Animæ?

Ad id, quod de Plantis dicitur, concedo, non habere heterogeneas partes, acceptis partibus pro membris extrinseis. Dico tamen, habere partes, idest potentias heterogeneas, hoc est diversæ rationis, nimirum potentiam nutritivam, augmentativam, & generativam.

6. Arg 4. oppugnando dictiones illas *actus primus*. Anima debet definiri per actum perfectiorem; sed perfectior est actus secundus primo : ergo perperam dicitur *actus primus*. Maj tam certa est quàm certum est, quòd Anima est actus perfectissimus. Min. prob 1. Quod minùs habet de potentialitate est perfectius; sed actus secundus minùs habet de potentialitate quam primus, cùm minùs relinquat in potentia : ergo &c. Secundò. Finis est perfectior iis, quæ sunt ad finem; sed operatio, quæ est actus secundus est finis actus primi, juxta illud vulgatum *unumquodque est propter suam operationem :* ergo &c.

Resp. nego min. Ad 1. prob dist. maj. Si sint eodem genere strictè, vel latissimè, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Quotiescunque aliqua sunt eodem in genere vel præsè, vel latissimè inspecto, tunc quod minùs habet de potentialitate est perfectius. Sic quia potentia, habitus, & actualis operatio sunt in eodem genere latissimè dicto, nimirum accidentis, operatio est simpliciter perfectior potentia, & habitu. At secùs si unum sit in genere substantiæ, & aliud in genere accidentis, secùs quodlibet accidens foret perfectius substantiâ. Ob idque 1. Phys. dicebamus, quòd accidens quidem secundùm quid est perfectius materia prima; attamen simpliciter est imperfectius, quia materia prima est in genere substantiæ, accidens verò in genere accidentis. Substantia siquidem ex communi ratione substantiæ est accidente perfectior. Qua ratione nonnulli etiam in nostra Schola dicunt, intelligere actuale, non verò radicale esse constitutivum Divinæ naturæ, quia primum majorem exprimit actualitatem, & aliàs est in eadem linea substantiæ.

Respondet 2. Cajet. dist. min actus secundus est perfectior in esse actus, concedo, in esse entis nego.

Verùm responsum hoc, nisi ad primum reducatur, sicut illud explicat Jo: à S. Th. patitur instantias; Tum quia tota essentia actus est in ordine ad actuandum : ergo nequit esse perfectior in esse actus, quin sit perfectior in esse entis. Tum quia actuare nihil aliud est, quàm dare esse; sed Anima dat esse simpliciter perfectius, quàm actus secundus : ergo debet esse perfectior in ratione actus. Et alias patitur instantias videndas apud Cavinum, & apud Compl. solutas, sed non omni difficultate evacuatas. Hinc lib. 1. Phys. quæst. 5. art 2. sustinuimus, existentiam nec etiam

in ra-

in ratione nltimæ actaalitatis esse simpliciter essentia perfectiorem.

Ad 2. prob. Resp. 1. dist. maj. Finis *cujas gratia*, concedo, finis *quo*, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Operatio quippe est finis, non *cujus gratia* (quem solum diximus 2. Phys. in principio quæstiunculis 4. §.2. esse simpliciter perfectiorem) sed finis *qao*, quia nimirum est id, quo agens suum assequitur finem.

Dices. Id, propter quod est aliquid non est solùm finis *qao*, sed unumquodque est propter suam operationem: ergo non est præcisè finis *qao*.

Resp. 1. dist. maj. Si sit tale intransitivè, concedo, si duntaxat transitivè, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Cùm namque dicitur, quòd unumquodque est propter suam operationem, sumitur operatio, non intransitivè, idest se sola, sed unà cum eo, quod suum per operationem quis consequitur.

Resp. 2. quòd illud axioma intelligitur de principio proximo operativo, quod ab operatione specificatur.

Tertiò ex D. Th. 3. contra Gentes cap. 17. & Cajet. ibidem dist. min. operatio seorsim, & abstractivè accepta nego, in concreto concedo min. & nego consequentiam. Sensus enim est, quod unumquodque est propter seipsum ut operans, ipsumque suppositum ut agens est ipsius Animæ finis.

Arg. 5. ad idem. *Ly actus corporis* non convenit animæ rationali, sed Animæ definitio cuilibet debet Animæ convenire: ergo non benè &c. Prob. maj. Anima rationalis est perse existens, sed si esset actus corporis esset in alio: ergo &c.

Resp. nego maj Ad prob. data maj. dist. min. esset in alio ut subjecto inhæsionis, nego, informationis subdistinguo ex indigentia, nego, ad dandum illi esse, concedo min. & nego consequentiam. Animæ rationali quatenùs substantia est repugnat esse in alio ut in subjecto inhæsionis, quatenus verò est perse existens *ut qaod* repugnat illi esse io alio etiam ut subjecto informationis tanquam ex indigentia cum dependentia ab illo in esse. Anima autem rationalis unitur corpori, non quia illo indigeat ad esse, sed duntaxat ut det illi esse.

Dices. Aristoteles hic tex. 2. *aliquæ* (inquit) *partes Animæ nullius corporis sunt actus*, & luculentiùs infra lib. 3. *intellectus* (inquit) *est separatus, & nullius corporis est actus*.

Propter hoc non defuere, qui dixerint, præstatam definitionem convenire Animæ rationali, non ut rationalis est, sed duntaxat est eminenter vegetativa, & sensitiva est. At hoc veritate caret, Tum quia Anima rationalis dat subjecto, non solùm esse vegetativum, & sensitivum, sed etiam esse rationale: ergo etiam ut rationalis est vera forma corporis. Tum quia etiam ut rationalis est, est vera Anima, imò perfectissima Anima.

Resp. ad arg. nihil contra nos concludi, quia Philosophi iotentum duntaxat est, quòd intellectus, sive intellectiva potentia (idem dic de cæteris potentiis, & habitibus spiritualibus) non sit actus corporis, quia videlicet intellectus non est alicujus corporei organi actus, sicut sunt potentias cum suis habitibus.

Inst. 1. Ideo intellectus nequit esse actus corporis, quia spiritualis est, sed etiam Anima rationalis est spiritualis: ergo &c.

Secundò. Si intellectus non esset actus corporis, benè verò Anima, intellectus magis, quàm Anima foret abstractus, sed id possibile minimè est: ergo &c. Maj. enitescit, quia illud est abstractius, quod minùs actuat materiam. Min. prob. Si Intellectus esset magis quàm Anima abstractus, sequeretur, quòd esset illa perfectior, sed hoc esse nequaquam potest: ergo &c. Maj. est perspicua min. etiam, quia quod est abstractius est actualius, adeoque perfectius.

Resp. ad 1. dist. ant. præcisè quia est spiritualis, nego, quia est accidens spirituale, concedo ant. & nego consequentiam. Intantum itaque intellectus nequit esse actus alicujus organi corporei, quia cùm sit accidens, si esset alicujus corporei actus, esset essentialiter ab illo dependens, cùm accidens depeodeat essentialiter à subjecto. Hoc autem est contra intellectus rationem, cùm intellectus possit in Anima separatus ab omni corpore etiam naturaliter conservari.

Ad 2. primitùs nego min. Ad prob. nego sequelam maj. Ad prob. respondeo, ut supra ad 4. ant. esse verum, quando utrumque est in eodem genere vel persè, vel latissimè dicto. Intellectus autem est in linea accidentis, & Anima de linea substantiæ.

Deinde dist. maj. esset abstractior abstractione proveniente ex ejus perfectione, nego, ex ejus imperfectione concedo maj. & distincta min. nego consequentiam. Quòd igitur intellectus sit magis à materia abstractus provenit, non ex ejus perfectione, sed ejus ex majori imperfectione, quia nempe secùs sequeretur, esse dependens à corpore utpote accidens. Quod non sequitur de Anima rationali, quæ licèt accepta *ut quo* sit pars corporis, & quid incompletum, quemadmodum *ut qao* est materialis; tamen *ut quod* est aliquod totum completum, & est substantia per se *ut qaod* existens.

8. Arg. 6. adversus præfatæ particulæ explanationem. Ideo Anima est actus primus, per nos, quia est separabilis ab actu secundo, sed hoc vel verum non est, vel ad rem non facit: ergo non est idonea explicatio illa. Prob. min. quò ad p. p. Tum quia Anima nequit separari à motu cordis. Tum quia Arist. 1. de Gener. *animal*, inquit, *qaamdia vivit tamdiu nutritur*. Quo ad 2. etiam, quia etiam inanimata aliquando cessant, & separantur ab actu secundo.

Resp. nego min. Ad 1. prob. primæ partis dico, quod Anima est separabilis à motu, qui omnibus modis est ab Anima; motus autem cordis est saltem applicativè à generante, ut 7. Phys. dicebamus.

Ad 2. prob. ejuidem dicimus, Philosophum intendere, non quòd animal quamdiu vivit in omni instanti nutriatur, sed duntaxat quod nunquam pervenit ad tale vitæ tempus, in quo ultra non nutriatur. Adde, quòd nos non asseveramus, animam posse ab omni actu collectivè separari, sed ab aliquo tantummodo, vel ab omni divisivè, qui sit omnibus modis ab anima.

Ad prob. autem secundæ partis nitet ex dictis explanando dictam particulam.

9. Arg. postremò oppugnando posteriorem definitionem. Secunda animæ definitio convenit animæ duntaxat rationali, non omnibus animabus: ergo exacta nullatenus est. Prob. ant. Siquidem nec sentire Plantis, nec intelligere Brutis competit: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dato ante nego consequentiam. Quandoquidem dictiones illæ sumendæ sunt, non semper collectivè, sed vel ut in anima rationali, vel divisivè, ut in plantis, & Brutis. Vel distinguo consequens convenit Animæ duntaxat rationali, si sumatur definitio illa cum distributione accommoda, nego, secus concedo. Et sit sensus, quod quæ vivunt, per animam vivunt: quæ sentiunt, per animam sentiunt; quæ loco-moventur, per Animam moventur, & qaæ intelligunt, per illam intelligunt.

Dices. In illa definitione importantur duntaxat Homines, sed isti sunt præditi Anima duntaxat rationali, ut eminenter continente alias: ergo soli convenit Animæ rationali. Maj. elucescit. Dicitur *id qao vivimus, sentimas* &c. idest nos *vivimus*, &c. Nos autem sumus homines.

Resp. dist. maj. Importantur duntaxat Homines principaliter, concedo, minùs principaliter, nego maj. & dates min. nego consequentiam. Principale itaque definitum hac definitione est sola Anima rationalis, quæ inter omnes est perfectissima. Quia tamen illa in definitione importatur Homo secundùm quod iste quidpiam viventium habet. Habet namque Homo (ut Greg. inquit) esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus. Idcircò minùs principaliter definiuntur etiam cæteræ. Vel dico, quòd in data definitione ponuntur Homines, non quia eorum duntaxat Anima definiatur, sed potiùs per modum exempli, tanquam quid magis notum. Idcircò non exploduntur aliæ. Quemadmodum cùm dicitur, quòd qualitas *est id quo qaales dicimur*, non per hoc exploduntur aliæ res, præter nos homines, qualitatem habentes.

10. Opponi denique posset adversus eandem definitionem, quòd sit diminuta, eò quòd non exprimit rationem appetitivi.

Verùm scito, quòd appetere involvitur in ly *loco-movemar*. Loco-motivum quippe est executio appetitivi; quia animal non movetur ad aliquod, nisi ex appetitu circa illud, seu ad id, quod appetit. Ex his autem positum est ly *loco-motivum* tanquam quid notius.

ARTICULUS SECUNDUS.

In quo sita sit Ratio Vitæ.

§. I.

1. ANsam movendi dubitationem nobis præbent particulæ illæ in prima definitione positæ, nimirum *potentia vitam habentis*, quæ, uti diximus, stat pro vita accidentali. Et de ista præcipuè erit discursus, ut postea ex ipsa faciliè venire possimus in vitæ substantivæ notionem.

Sensus ergo ferè communis Philosophorum est, vivere vita accidentali consistere in hoc, quod est actu se movere ab intrinseco, & per consequens vivere vita substantiali consistet in hoc, quod est posse ab intrinseco se movere; ita quod tamen nunquam cesset ab omni motu, & actione collectivè, secùs non esset ampliùs vita, præcipuè in motibus, qui sunt applicativè à generante, ut motus cordis.

Excipiendus autem erat Gotfredus, qui sentit, quòd vivere nil aliud sit, quàm recipere actionem vitalem, & alii pauci, qui vitam juxta proprium libitum describunt, inter quos Mastrius disp. 1. quæst. 2. Et complures recentiores ex Societate. Contra quos dicetur in fine §. tertii & totius articuli num. 13. & 14.

§. II.

CONCLUSIO.

Ratio formalis sita in hoc est, quod est ab intrinseco se movere.

2. NOn aliter sentiunt SS. PP. quos hic adducit Lerma cum non paucis S. Scripturæ authoritatibus, citatque Aristotelem tum 3. Phys. tex. 7. tum 8. Phys. tex. 29. tum hic lib. 1. tex. 18. & in exordio hujus secundi libri. Et

Prob. 1. Ratiocinio D. Th. p. p. q. 18. art. 1. in corp. Idem est constitutivum, & distinctivum; sed id, per quod viventia distinguuntur à non viventibus est se movere ab intrinseco; ergo ratio formalis constitutiva vitæ est se movere ab intrinseco. Prob. min. Ea, quæ dicuntur metaphoricè viventia secernuntur ab iis, quæ nec metaphoricè sunt viventia, quia in eis apparet similitudo quædam motus; ergo à pari &c. Ant. est perspicuum. Illa namque aqua dicitur viva, quæ fluit; & similiter Mercurius dicitur argentum vivum, quia nonnihil se movet. Consequentia autem est exacta tum à pari. Tum quia hujuscemodi metaphoricè viventia dicuntur talia per quandam similitudinem desumptam ab ipsis viventibus.

3. Prob. 2. Ratiocinio, quod idem habet S. D. tum loco nuper citato, tum 1. Phys. tex. 2. Illud est constitutivum, quo posito ponitur, & quo sublato adimitur constitutum, ut inductivè in omnibus enitescit; sed tamdiu animal vivit, quamdiu actu se movet; ergo actualis vita consistit in actu se movere. Min. experimento fit patens. Dum enim non amplius se movet motu respirationis, aut dilatationis est mortuum, tum verò incipit vivere, quando cernitur se movere.

Quod de animali dicimus, proportionali modo & de plantis dicendum. Eatenus autem exemplum de animali producitur, quia (ut Arist. inquit 9. Ethic. relatus à D. Th.) vita in animalibus est maximè manifesta.

Notandum verò, quod actu se movere, sive actualis operatio, est duntaxat id, ex quo à posteriori vita substantialis arguitur, non verò est constitutivum ejus. Enim verò ex eo, quòd aliquod se movet infertur à posteriori esse vivum vita substantiali. Ea de re appositè dicit S. Th. loco citato art. 2. quòd vita (intellige de vita substantiali) non est ipsa operatio, sed ipsum esse animatum. Dicimus itaque, quòd actu se movere est vita accidentalis, ejusque constitutivum, seu actuale vivere in actu secundo, sive exercitium vitæ. Vita autem substantialis est posse se movere ab intrinseco. Quod nihil aliud est, quàm esse animatum.

4. Hactenus videtur duntaxat probatum, rationem vitæ consistere in motu, sive operatione, & quòd adhuc superfit probandum, quòd consistit in motu ab intrinseco, & à se, idest in hoc, quod est se movere ad actum.

Nihilominùs utrumlibet probatum extat, Tum quia in iis, quæ similitudinariè vivunt, motus videtur esse ab intrinseco, sive à se, idest videtur quod se moveant, ut aqua fluens, ignis, argentum vivum, &c. Tum quia moveri, quomodocunque competit etiam non viventibus: ergo cùm, uti probavimus, vita consistat in motu, & operatione, jam ut congruum assignetur discrimen, dicendum venit, quod non in moveri quomodocunque, sed in se movere consistat, adeoque &c.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverso producta.

5. ARg. 1. Ex Arist. hic 2. de Anima tex. 37. relato à D. Th. loco citato num. 2. citato. Ait namque, quòd vivere in viventibus est esse: ergo secundùm utrumque Præceptorem vivere non consistit in se movere, sive operatione.

Resp. ex nuper num. 3. dictis, eos loqui de vita substantiva. Videatur ibi.

Contra. Vita accidentalis debet esse accidentaliter in ea linea, in qua est substantialiter vita substantialis; sed ista est in linea essendi: ergo similiter vita accidentalis erit in linea essendi accidentali. Prob. maj. Actus secundus debet in actu secundo esse in ea linea, in qua actus primus est in actu primo proportionali modo; sed vita substantialis est vita in actu primo, vita accidentalis est vita in actu secundo: ergo &c. Maj. innotescit. Quandoquidem actus secundus cùm sit exercitium, & complementum actus primi, debet ei esse proportionatum.

Resp. ex D. Th. quodl. 9. art. 3. ad 1. dist. min. est in linea essendi adæquatè inspecta, concedo, inadæquatè inspecta, nego min. & consequentiam. Bifariam sumi potest esse. Primò præcisè ut dicit esse, secundò adæquatè prout etiam dicit radicem, seu principium radicale operationis. Et hoc secundo modo sumitur ab utroque Magistro ibi. Undè S. Th. q. unica de Anima art. 9. in corp. & ad 14. docet, quòd Anima unitur, non solùm ut forma, sed ut motor, nec solùm ut compositum habeat esse, sed ut radix operandi.

Contra. Vita substantialis est esse adæquatè sumptum, nimirum ut dicit etiam principium radicale operationis: ergo pariter vita accidentalis erit esse ipsius adæquatè inspectum ut dicit ipsum esse, & ipsum moveri, non verò præcisè ut dicit operari. Prob. conseq. Etenim quemadmodum esse adæquatè sumptum importat etiam radicem operationis, & è contra radix operationis importat ipsum esse; ita etiam accidens adæquatè inspectum importat & esse, & operari, & è contra ipsum operari importat etiam inesse: ergo si &c. etiam &c.

Respondeo dato ant. nego conseq. Ad prob. quò ad aliqua concedo, quò ad omnia, nego. Discrimen habes ex dictis 2. Phys. q. 1. art. unico, quia nempe esse accidentis non est per se primò intentum à natura, ceu entis ens, ob idque per se primò propter operationem intenditur. Cæterùm esse substantiæ est per se primò à natura intentum.

Dices. Potentiæ vivunt vita accidentali, & tamen non sunt ipsa actualis operatio.

Resp. dist. ant. vivunt vita accidentali in actu primo, concedo, in actu secundo, nego. Earum enim vita est posse proximè se movere.

6. Arg. 2. Deus perfectissimè vivit; sed Deus nullomodo, sive à se, sive ab alio est mobilis: ergo &c.

Resp. ex D. Th. p. p. q. 18. art. 3. ad 1. dist. min. nullo modo est mobilis formaliter tantùm, concedo, virtualiter, nego min. & consequentiam.

Dices. Ad hoc, ut aliquid dicatur motu etiam impropriè, & latissimè dicto se movere, & agere debet actio egredi ab agente, imò actio est ipsa egressio; sed actus intelligendi, & volendi non egreditur à Deo, secùs ab eo realiter distingueretur: ergo nullatenus se movet, seu à se operatur, adeoque &c.

Resp. clarissimus ex nostris quidam in m. s. quòd actio egreditur à Deo negativè, quatenus non est ab alio. Nec ex hoc (inquit ipse) infertur, Deum vivere negativè duntaxat. Non, inquit, quia hujuscemodi negativa egressio licèt per negationem explicetur; tamen est positiva independentia ab alio. Quæ solutio seipsam interimit. Si namque egressio ista non est quid negativum, estò per negationem

nem significetur, sed est quid positivum; ergo erit egressio positiva. Aliter igitur

Resp. dist. maj. debet egredi vel formaliter, vel virtualiter, concedo, semper formaliter, nego maj. & distinguo min. non egreditur formaliter, concedo, virtualiter, nego min. & consequentiam. Quemadmodum enim in sententia probabili admittitur inter intellectum, & intellectionem, voluntatem, & volitionem distinctio virtualis intrinseca: ita etiam virtualis egressio admitti.

Quæ solutio valere potest & in alia sententia, negante virtualem distinctionem inter intellectum, & intellectionem, &c. Admittit namque talis sententia, tametsi non distinctionem virtualem, importantem, ultra eminentiam, etiam præcisionem objectivam, distinctionem quandam dicentem præcisè eminentiam, & æquivalentiam ad plura distincta, quatenus V. G. intellectus Divinus, suaque intellectio æquivalet intellectui, & intellectioni creatæ realiter distinctis.

Et licèt responsum hoc displiceat præfato Juniori; eo quòd vita consistit in ipsa egressione actionis, adeoque eo modo, quo est egressio, est vita, ac per consequens si egressio est duntaxat virtualis, Deus dicetur vivere virtualiter duntaxat. Sicut quia distingui est unum non esse aliud, si distinctio est tantummodo virtualis, unum dicitur non esse aliud solummodo virtualiter. Similiter quia effectus in ratione effectus constituitur per dependentiam à causa, si dependentia est tantùm virtualis, effectus, & causa est duntaxat virtualis.

Nihilominùs hoc non obstante sustineri potest. Obidque ad instantiam Resp. dist. ant. consistit in ipsa egressione actionis sub præciso conceptu egressionis, nego, & etiam sub ratione actualitatis agentis, concedo ant. & nego consequentiam. Duos itaque conceptus importat actio, nimirum & conceptum egressionis, & conceptum actualitatis agentis, ut cum D. Th. vidimus. Vita itaque consistit in egressione, non ut præcisè egressio est, verùm etiam & præcipuè ut actualitas est proprii sui principii. Et quia hoc modo est formaliter in Deo, cùm in Deo detur Intellectio, & volitio formaliter, & non tantùm virtualiter. Ideò &c. Et licèt non actuet actuatione formali, utpote non formaliter distincta, est tamen actualitas formalis, ceu intellectio, & volitio formalis actuans actuatione virtuali, quæ æquivalet actuationi formali. Idcirco per illas Deus formaliter vivere dicitur estò duntaxat virtualiter egrediantur.

Inst. Deus hoc modo habet à se, non tantùm actionem, verùm etiam existentiam, subsistentiam, æternitatem, immensitatem, &c. sed Deus non vivit per existentiam, subsistentiam, æternitatem, immensitatem, &c. saltem formaliter, quicquid sit identicè: ergo nec dicetur vivere per actionem, licèt sit in ipso formaliter, dummodo duntaxat virtualiter egrediatur.

Resp. nego maj. Quamquam enim habeat à se immensitatem, æternitatem, existentiam, subsistentiam &c. non tamen dicitur Deus elicere etiam virtualiter existentiam, subsistentiam, &c. benè verò dicitur elicere intellectionem, volitionem, &c. Ratio est, quia egressio istorum attributorum, nimirum existentiæ, &c. Sicut etiam proprietatum in creaturis non est vera actio, & egressio, sed pura dimanatio, quæ duntaxat impropriè dicitur actio, propriè verò est solùm resultantia quædam. Intellectio autem, & volitio sunt propriè actio. Præterea Deus habet à se omnia illa attributa prout præcisè dicit lineam essendi; existentiam quidem, & subsistentiam, ut earum ex definitione; Æternitatem quoque, & immensitatem, quia æternitas nihil aliud dicit, quàm infinitam persistentiam in esse, sive habere esse sine principio, & sine fine. Pariter immensitas nil aliud dicit, quàm esse ubique. Cæterùm intellectionem, & volitionem habet à se ut exprimit lineam operativi, cùm intellectio, & volitio sint vera actio. Imò (ut inquit quidam in m. f.) æternitas est de linea durationis, & immensitas de linea quantitatis.

Si autem petas, qua vita Deus vivat?

Respondeo, quòd Deus, necnon Angelus vivit vita, non purè intentionali (ut autumare nonnulli videntur) sed physica. Pro quo

Nota, quòd intentionale sumi dupliciter potest. Primò prout distinguitur à sensibili. Secundò pro eo, quod habet esse purè metaphysicè de linea cognoscitivi contradistinctum ab esse entitativo. Similiter physicum dupliciter sumi potest. Primò prout idem est, ac sensibile, quo pacto ad physicæ considerationem spectat. Secundò prout idem est, ac esse entitativum contradistinctum ab eo, quod èst de linea intentionali, sive intellectuali purè metaphysicè, in quo sensu dici consuevit, quòd plura objecta diversa in esse entitativo sunt unum in esse intentionali.

Dico itaque, quòd Deus licèt non vivat vita physica, accepto physico pro sensibili; vivit tamen vita physica, sumpto physico pro entitativo. Ratio est, quia licèt vivat per operationem, quæ duntaxat per intellectum est, & voluntatem; nihilominùs quia intellectio, & volitio sunt realissimus actus suæ voluntatis, imò idem realiter cum Divina entitate; Idcircò vivit entitativè. Et in hoc sensu interpretandi sunt illi, qui denegant Deum vivere vita physica, & dicunt vivere vita duntaxat intentionali.

Responsum aliud dabo in Theol. p. p. in tract. de scientiâ Dei q. 1. art. 3. in §. 3. n. 12. ad 3. arg.

7. Arg. 3. Gravia, & levia movent seipsa ad propria loca. Et similiter aqua seipsam recipit ad primigenium algorem; & tamen nec gravia, nec levia, nec aqua vivunt: ergo vita non consistit in se movere.

Conf. Prima Angeli cognitio fuit actio vitalis; & tamen non fuit ab intrinseco ipsius Angeli, benè verò à generante; qua ratione dicit Thomista, Angelum in primo suæ creationis instanti non potuisse peccare: ergo stat, aliquid vivere, sine eo, quod se moveat. Item motus cordis est vitalis; & tamen est à gignente.

Resp. Hæc omnia soluta fuisse 7. Phys. q. 1. art. unico §. 3. ubi diximus, gravia, & levia moveri à generante; eo quod quemadmodum esse in propriis locis est ipsis debitum ex vi generationis tanquam recta dispositio, ut sint in suo esse perfecto connaturali: ita & motus ad illa. Idem dico de Aqua dum ad pristinum algorem se recipit.

Ad Conf. ex ibidem dictis Resp. quòd prima Angeli intellectio, & volitio, sicut & motus licèt sit à generante applicativè, non tamen elicitivè. Videatur ibi per extensum.

Inst. Etiam motus debetur cordi ex vi generationis, sicut etiam prima intellectio, ac volitio est debita Angelo ex vi generationis: ergo vel motus cordis, & prima Angeli intellectio est à generante etiam elicitivè, vel etiam motus gravium, & levium erit elicitivè à seipsis, solùmque applicativè à gignente, adeoque erunt viventia.

Resp. quantùm ad illud, quod dicitur de corde primiret, in sententia illorum, qui dicunt esse vitalem duntaxat per modum principii, non verò formaliter, nihil concludere. Verum quia sententiam istam nos abjecimus 7. Phys. Idcircò hoc omisso, sicut etiam omissis responsis Nuperi cujusdam in m. f.

Dist. ant. est ex vi generationis debitus cordi absolutè, seu ut moto, sive ut pars muta est, nego, ut prima pars mota est motu dilatationis, & restrictionis, concedo. Item prima intellectio, & volitio est debita Angelo ut prima est, concedo, ut intellectio & volitio est, nego ant. & consequentiam. Quemadmodum namque 7. Phys. q. 1. art. unico §. 3. diximus, quod motus cordis, nimirum induit rationem quandam proprietatis, quatenus est primæ partis motus, & rursus dicit vitalitatem: ita nunc dicimus, quòd sub prima consideratione, est à gignente, sub secunda verò est elicitivè ab ipso corde.

Item prima intellectio, & volitio quamquam sit debita Angelo ex vi generationis, non tamen reduplicativè ut intellectio, & volitio est, sed duntaxat ut prima est. Secùs etiam secunda esset debita ex vi generationis. Cæterùm motus gravium & levium est debitus illis, & ut proprietas est, & ut motus sursum, & deorsum est.

Dices. Etiam actio dimanativa proprietatum est debita ex vi generationis, non minùs ac ipsæ proprietates: sed ista est vitalis: ergo etiam motus gravium, & levium. Min. prob. Repugnat, effectum esse vitalem, & actionem non esse vitalem; sed proprietates in viventibus sunt vitales: ergo &c.

Conf. Potentiæ Animæ sunt vitales; & tamen sunt ab extrinseco, nimirum à generante: ergo licèt motus, & gravium sit à generante, adhuc &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. si sit vera actio, concedo, secùs, nego ant. & consequentiam. Actio dimanativa impropriè duntaxat, non verò propriè dicitur actio: re vera namque est pura resultantia. Dimanatio enim nil aliud est, quàm pura resultantia.

Ad Conf. dato ant. nego consequentiam. Vel dist. ant. sunt vitales per modum principii, concedo, secùs nego ant. & consequentiam. Quandoquidem ut aliquid sit vitale per modum actus secundi requisitus quidem esse ab intrinseco, secùs verò ut sit vitale per modum principii. Ad hoc quippe sufficit, quòd ex suis intrinsecis eliciat actionem; secùs nec ipsa anima, quæ habet esse ab extrinseco esset vitalis. Potentiæ autem sunt vitales per modum principii proximi. Ob idque sufficit, quòd ex suis intrinsecis proximè actionem eliciant.

8. Arg. 4. Ignis per suam actionem calefactivam se movet; & tamen non vivit: ergo essentialis conceptus viventis non consistit in se movere. Prob. ant. Eatenus vivens per actum sensationis dicitur se movere, quatenus talis actio est ab intrinseco, & non ab alio extrinseco, puta à generante, aut ab alio; sed etiam calefactio ignis est ab intrinseco ignis, & non ab extrinseco, puta à generante: ergo &c. Min. est doctrina tradita à nobis 7. Phys. q. 1. art. unico §. 3. ad 1. arg. non enim ignis actio est pura dimanatio, sicut est illa, qua fluunt proprietates, benè verò propriissimè actio.

Resp. dist. ant. se movet per actionem, & ad actionem, nego: præcisè per actionem, concedo ant. & nego consequentiam. Vivens namque non tantùm debet se movere per actionem, seu per actum, verùm etiam debet se movere ad actum. Ignis autem quamvis per actionem suam se moveat; non tamen se movet ad actionem. Vide loco citato ex 7. Phys. aliud quoddam refellendo responsum ad 2. arg. distinxi autem, non verò negavi, quemadmodum nonnulli, & quidem immeritò negant, illudque benè probat argumentum.

Dices. Ideo vivens per actum sensationis dicitur se movere, & ad actum sensationis se movere, quia talis actus est, non ab extrinseco, benè verò ab intrinsecis illius; atqui, ut vidimus, ignefactio est ab intrinsecis illius, cùm sola dimanatio sit à generante, utpotè ex vi generationis debita: ergo dicitur etiam ad talem actionem se movere.

Resp. dist. maj. ly *quia* dicente causam adæquatam nego, inadæquatam concedo ant. & nego consequentiam. Ratio itaque adæquata est, quia reapse vivens potest cessare ab actione non tantùm ab extrinseco, ut non viventia, verùm etiam ab intrinseco, ut diximus antegresso art. exponendo particulas *actus primus*, & in resp. ad 5. Videatur ibi num. 7.

Inst. Quemadmodum viventia augentur ex alimento, ita ignis augetur ex materia candefactibili: ergo ignis non minùs ac vivens se movet ad actionem.

Resp. ex dictis 3. Phys. q. 2. art. 1. ad 2. inst. 1. arg. nego ly *sicut* si stet quò ad omnia. Discrimen est, quia viventia augentur per intùs sumptionem, & non per juxta-positionem materiæ, ut facit ignis, qui non trahit intra se materiam illam, antequam eam in sui substantiam convertat, ut facit vivens.

Neque per hoc (ut alia solvatur oppugnatio) quod vivens se moveat ad actum requiritur aliquis alius actus, per quem ad illum actum se moveat. Non, inquam, quia per illum, & ad illum se movet tanquam per *id quo*, & ad *id quo*. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*.

9. Arg. 5. Vegetatrix vita, ut infra videbimus, est vera vita, sed per actus vitæ vegetativæ vivens non movet seipsum: ergo &c. Prob. min. Quandoquidem actus vitæ vegetativæ sunt nutritio, augmentatio, & generatio, sed per actum nutritionis, & generationis vivens non movet seipsum: ergo &c. Prob. min. Per nutritionis actum movet alimentum, & per actum generationis movet materiam, ex qua fœtus est formandus: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. nego iterum min. ad cujus prob. dist. ant. mediatè concedo, immediatè nego ant. & consequentiam. Immediatè itaque movet seipsum, se movendo ad talem actum, mediatè postea movet alimentum, & materiam geniti.

10. In examen hic vocandum se exhibet, num de ratione actionis vitalis sit, quòd actio immanens sit.

Circa quod Lerma abnuit hic num. 9. & adducit exemplum de actione generativa, & nutritiva, cui addi possunt alia de actione fabrefactiva, de actu scribendi, sonandi, localiter se movendi, &c.

Annuit autem Hurtado cum aliis. Ad id autem, quod de actione nutritiva dicitur, respondet P. Maurus, quòd hujuscemodi actiones sunt vitales, quatenus vivens per illas se movet, puta dilatando poros, &c. non verò quatenus se extendunt ad alimentum, materiam rei genitæ, &c. Similiter ædificatricem actionem, &c. non esse vitales, quatenus tendunt ad extrinsecum.

Verùm responsum hoc quamquam nonnihil faciat satis quantùm ad id, quod dicitur de actione fabrefaciendi, &c. minimè tamen de nutritione, & generatione, quia hæ terminantur ad aliquod animatum, & aliquod vitale producunt vel partiale, ut actio nutritiva, quæ aggeratio vocitatur; vel totale sicut actio generativa facit.

Clarissimus ex nostris quidam in m. s. distinguit, & dicit, quòd dupliciter actio immanens sumi potest. Primò presè, quæ nullo modo aliquod ad extraneum tendit. Secundò latè pro actione illa, quæ tendit ad aliquid, quod equidem absolutè extrinsecum est; tamen aliquatenus intrinsecum dici potest. Concludit itaque, quod ad hoc, ut actio sit vitalis debet esse immanens saltem hoc secundo modo. Sicque nutritio est hoc modo actio immanens, quia mutat alimentum ut transmutandum in sui substantiam. Ita etiam sentit Cavinus hic disp 2. q. 4. §. 1. ad 2. Similiter generatio, quia partialis saltem materia fœtus est semen decisum ex substantia generantis.

Quæ doctrina equidem non displicet; attamen adhuc viget difficultas de actione ædificandi, texendi &c. quæ sanè vitales sunt.

Nihilominus doctrina ista sustineri poterit, quidpiam addendo. Itaque dico, quòd ad hoc, ut actio sit vitalis tum egressivè, tum consumativè, & terminativè debet esse immanens lato modo saltem, uti sunt nutritio, & generatio. In quo sensu loquebamur lib. de Cœlo q. 1. in ultima quæstiuncula *dico* 2. Ad hoc verò, ut sit vitalis duntaxat egressivè, non verò terminativè, non requiritur, ullo modo esse immanentem, sed potest esse transiens. Ædificatorius autem, sonatorius, &c. actus sunt vitales egressivè tantummodo, at non terminativè, & consumativè.

11. Arg. postremò. Ad rationem viventis non requiritur, quod ejus actio sit ab intrinseco; nec hoc, quod est habere actionem ab intrinseco sufficit ad rationem vitæ: ergo &c. Prob. ant & primitèr quò ad p. p. multipliciter. Primò. Potest Deus se solo producere actionem vitalem, eamque ponere in Homine, V. G. Sed tum talis actio denominaret Hominem viventem: ergo &c. Præmissæ sunt planæ. Maj. quidem, quia Deus se solo potest quicquid cum causa secunda potest; sed Deus cum causa secunda vitalem actionem producit: ergo &c. Min. etiam quia forma posita in subjecto capaci ei suum communicat effectum. Secundò. Deus quemadmodum est infinitus in linea intelligibili, ita & in linea vitali; sed quia est infinitus in linea intelligibili potest facere, quòd detur intellectio sine verbo mentis producto, ut in visione beata: ergo pariter facere poterit, quòd vitalis actio ab intrinseco minimè sit. 3. Visio beata est actio vitalis, sed ista est ab extrinseco: ergo &c. Prob. min. Tum quia visio beatifica est præmium vitæ æternæ; quod est ab extrinseco, juxta illud *ego vitam æternam do eis*. Tum quia visio beata est à lumine gloriæ, quod est ab extrinseco. Idem dicas de actibus omnibus supernaturalibus, qui fiunt ope gratiæ, aliisque supernaturalibus 4. Filius, & Spiritus Sanctus non habent à se intelligere, benè verò eis communicatur à principio, à quo procedunt; & tamen per illud vivunt: ergo &c. 5. Si Deus produceret substantiam identificatam cum sua intellectione, verè ista viveret; & tamen haberet intelligere, non à se, sed ab extrinseco, à quo haberet esse.

Prob. Præterea primum ant. quò ad 2. p. 1. Si per impossibile extaret lapis improductus, non esset vivens; & tamen operationes suas, omnesque perfectiones à se haberet: ergo &c. 2. Deus si per impossibile non esset intelligens, & volens, adhuc haberet cæteras omnes operationes suas, & perfectiones, sicut & suum esse à se; & tamen vivens non esset: ergo &c.

Resp. nego ant. quò ad utramque p. Ad prob. primæ partis permissa maj. (vidimus enim 7. Phys. q. 2. art. 1. §. 3. ad 2. quòd actus vitalis creaturæ nequit esse à Deo ut est à causa Secunda, nec oppositum evincit probatio, quæ vera est duntaxat, quando non est de essentia actus esse ab intrinsecis) nego min. ad cujus prob. dist. min. Homo est capax vitalitatis habitæ ab intrinseco concedo, ab extrinse-

trinseco, nego min. & consequentiam. Multum siquidem vivens est capax denominari vivens per actum ab extrinseco provenientem. Sed de hoc redibit sermo lib. 3. vestigando num intellectus possit intelligere per intellectionem non à se elicitam.

Ad 2. nego causalem min. si intendat causam adæquatam. Ratio siquidem adæquata est, quia non essentialiter Verbum requiritur ad intellectionem absolutè, sed duntaxat quando objectum non est de se perfectè intelligibile; Idcircò cùm Deus sit ex se perfectissimè intelligibilis conspicitur in Patria à Beatis sine productione Verbi. Cæterùm esse ab intrinseco est essentia actus vitalis absolutè, quia de essentia viventis, ut distinguitur à non vivente est se ab intrinseco movere, ut ex dictis §. præcedenti 2. abundè enitescit.

Ad 3. nego min. ad cujus 1. prob. dico, optimè salvari, quòd vita æterna sit præmium per hoc, quòd omnia principia illius sunt à Deo: Ad eum modum, quo si Princeps V. G. suppeditet cuipiam vires ad subigendam Urbem aliquam, hac intentione, ad hoc ut is fiat illius Dominus, Urbs postea occupata erit præmium, & donum Principis. Adde, quòd beatitudo saltem objectiva est omnino à Deo, imò Deus ipse visus. Ad 2. ejusdem prob. data maj. dist. min. est extrinsecum quò ad infundi, concedo, quò ad efficere, nego. Lumen namque gloriæ est intrinsecum principium *quo*, sive intrinseca proxima ratio eliciendi visionem.

Ad 4. dist. ant. non habent intelligere notionale à se, nego, intelligere essentiale subdist. non habent à se asseitate personali, concedo, asseitate essentiali, nego ant. & consequentiam; Verbum itaque, & Spiritus Sanctus intelligere, & velle notionale habent à se asseitate etiam personali. Intelligere autem essentiale licèt non habeant à se asseitate personali, habent tamen à se asseitate essentiali, quoniam habent illud, quatenus includunt essentiam.

Ad ult. dist. ant. viveret repugnanter, concedo, non repugnanter, nego ant. & consequentiam. Viveret, & non viveret substantia illa. Viveret, quia vitalem actum identificatum haberet. Et non viveret, eo quod talis actus respectu illius non esset vitalis. Hinc implicatoria est hujuscemodi substantia. Idcircò absolutè etiam dicendum, quod si per impossibile daretur non esset vivens. Idem dic ad utrumque prob. secundæ partis. Talis namque lapis esset, & non esset vivens esset, quia haberet actiones à se, ac se moveret; & non esset, quia est contra ejus essentiam. Idcircò implicatorius est hujuscemodi lapis. Item Deus, nisi esset intelligens, & volens, esset, & non esset vivens. Esset, ceu in summo, & perfectissimo immaterialitatis gradu, ex quo summa oritur intellectivitas. Et non esset, quia intelligens, & volens non esset. Idcirco & hoc implicatorium est.

12. Colligi ex dictis potest, quòd actio immanens (quæ semper vitalis est, tametsi & nonnulla transiens vitalis detur) quamquam sit de prædicamento qualitatis non præcisè esse *in*, sed etiam esse *ab* dicit, Tum quia excluditur à prædicamento actionis, non quia non habeat esse *ab*, sed quia non est cum motu. Tum quia, ut suo loco dicetur, est qualitas, quæ est eminenter operatio.

13. Colligitur etiam contra Mastrium, vitam non consistere in hoc, quòd aliquod habeat principium ad acquirendam perfectionem non debitam ex vi generationis. Non, inquam, Tum quia motus cordis non est ad acquirendam perfectionem non debitam ex vi generationis. Tum quia vita non salvatur cum hoc solo principio. De facto namque vita deficit, nisi actualis adsit motus. Tum quia Deus perfectissimè vivit (est enim *via, veritas, & vita*) & tamen non habet in se principium ad hujuscemodi acquirendam perfectionem.

14. Colligitur demum adversus Gutfredum, vitam non consistere in hoc, quod est vitalem recipere actionem. Non, inquam, Tum quia satis supra §. 2. oppositum ostensum est. Tum quia actionem vitalem recipere vel non viventibus competit. Tum quia perfectiori modo debet se habere respectu suæ operationis principium vitale, quàm non vitale; per hoc autem, quod est recipere vitalem actionem, nullam majorem exprimit perfectionem. Tum demum quia recipere actionem vitalem, supponit actionem esse vitalem.

Qua ex re infero, instrumentum separatum nullatenus posse vivere per actionem principalis agentis, quia nullatenus ad illam se movet, sed præcisè recipit illam, non ut actionem vitalem, sed ut præcisè activam, & elevativam ejusdem, vel ut accidens est. Ad eum modum, quo si per possibile, vel impossibile Deus poneret visionem in lapide, reciperetur in isto, non ut visio est, sed duntaxat ut accidens quoddam est.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Divisione Animæ, modorumque vivendi.

POst quæstionem de quidditate recto ordine quæstionem de Divisione adorimur ipsius Animæ, in qua septem per totidem discutiendæ articulos sese offerunt dubitationes. Prima quot sint animarum genera, quotque vivendi modi. Secunda, num Plantæ, & Bruta verè vivant. Tertia, sint ne eodem in vivente plures formæ subordinatæ. Quarta utrum in eodem vivente sint plures Animæ. Quinta quomodo superior forma inferiores contineat. Sexta, quæ partes corporis informentur ab Anima. Septima quænam Animæ sint indivisibiles.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot sint Animarum genera, quotque vivendi gradus.

§. I.

1. PRo secundæ partis notione, animadverte, quòd pervestigamus de gradibus vivendi animatorum, non verò quorumcunque viventium. Ob idque Angeli non comprehenduntur hic; quia non sunt animati, estò sint viventes, quia Anima est pars corporis, adeoque forma incompleta, secùs verò forma Angelica.

2. Quò ad p. p. dubii erravere nonnulli veteres Philosophi, ut Plutarchus, Porphyrius, ut diximus 2. Phys. q. 3. art. 3. §. 1. n. 2. quos postea secuti sunt Manichæi, volentes unam duntaxat dari Animam, nimirum rationalem, quæ propter diversas dispositiones, & complexiones in diversis corporibus diversas elicit operationes. Ob idque etiam Plantas, & Bruta esse ratione præditas volebant. Eosque refutat S. Aug. lib. 2. contra Manich. cap. 7. cap. 17. hisce verbis: *Christus nullam nobis cum belluis, & arboribus societatem juris esse indicans, & in gregem porcorum Dæmones misit, & arborem, in qua fructum non invenerat maledicto aridam fecit. Nihil certè porci, nihil arbor illa peccaverat. Neque enim usque eò dementes sumus, ut arbitremur, sua sponte arborem vel fructiferam esse vel sterilem. Neque illud hic vobis dicendum est, his factis Dominum nostrum alia quædam significare voluisse. Sed certè filio Dei, non per homicidium signum dandum fuit, si arborem necare (ut vos dicitis) homicidium est, aut necare animalia. Nam & de Hominibus, in quibus utique sumus juris societate conjuncti signa quædam dedit, sed sanando Homines, non necando; quod & de belluis, & arboribus faceret, si eadem nos cum illis societate, qua vos opinamini conjunctos esse judicaret.*

Quod arg. equidem urget Manichæos. At Philosophi illi antiquiores non dubitabant, asseverare piaculum esse, bestiam aliquam perimere, & ejus occisionem esse homicidium ceu animalis rationalis occisionem; ut etiamnum in India Orientali Mogolani, Ginenses &c. De quo vide P. illum Abbatem Tosi congregationis S. Sylvestri suo in opere de India Orientali Italicè edito *Il Gentilesmo confutato* disc. 8. divis. 3.

Verùm quàm falsum hoc sit enitescit, non tantùm ex sacris litteris, verùm & ex Ethnicis, apud quos nusquam fuit lex puniens pœna homicidii interimentem propriam gallinam, aut perimentem lacertam. Insuper illicitè uteremur equis ad equitandum, bobus ad arandum, &c.

Et certe si in Brutis Anima rationalis haberetur, natura saltem per se, & in plerisque providisset dispositiones ad rationalis Animæ operationes exercendas. Essentias siquidem ex effectibus dignoscimus, ut inductivè est palam; nec potest earum à priori reddi ratio, cùm unaquæque essentia sit prima cujuslibet rei principia.

His addere poteris, quæ in lib. de Cœlo diximus, probando Cœlos non esse animatos Anima rationali, secùs es-

sent capaces Beatitudinis, imò alii ad gehennam damnati. Vid. S. Th. 2. contra Gentes cap. 66. ubi probat, Bruta non habere intellectum, & in 3. sent. dist. 27. q. 1. art. 4. ubi exponit, quomodo Bruta dicantur nonnihil de intellectu participare, & dist. 35. q. 1. quæstiuncula 2. ad 1. Videantur etiam dicta à nobis 2. Phys. q. 3. art. 3. legi etiam potest Arnù hic quæst. 3. art. 5.

Demum unam duntaxat extare Animam, nimirum rationalem sentire se dicunt Atomistæ præsertim Cartesiani, docentes, quod neque plantæ, neque Bruta vivant. Contra quos art. sequenti 2.

Alii voluere, duas tantummodo extare Animas, rationalem nimirum, & sensitivam, quia eorum nonnulli (de quibus art. sequenti 2 §. 1.) somniarunt, plantas esse sensu dotatas, ut Empedocles, & Anaxagoras, quos secutus est Isaac Israelita apud B. Alb. Mag. lib. 2. de Animalibus tract. 1. cap. 7. quem refert Arnù ubi supra. Nonnulli autem, ut Stoici putant, Plantas minimè vivere.

Quò ad 2. dubii partem P. Suarez sentit, numerum modorum vivendi esse juxta numerum Animarum. Putat namque; quod loco motivum sit à sensitivo inseparabilis, sicque censet, quod Ostreæ quodammodo loco-moveantur.

Sententia autem cæterorum Philosophorum quò ad utramque partem est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Tria sunt Animarum genera, & quatuor generales vivendi modi.

3. EST Aristotelis hic lib. 2. cap. 3. & D. Th. ibidem lect. 3 & p p. q. 78 art. 1. Cujus ratiocinio

Prob 1. quò ad p. p. Tot sunt Animarum genera, quot sunt modi generales, quibus Anima operando elevatur supra formam inanimem, eamve excedit; sed isti nec plures, nec pauciores sunt quàm tres: ergo &c. Maj. ignotatur à nemine non ignorante, quòd Anima supra inanimem elevatur formam, eamque superexcedit tùm in operari, tum quo ad esse, quia operari sequitur ad esse Min. verò prob. Quandoquidem Anima vel ita excedit, quòd sui in operatione dependet ab organo corporeo, & à qualitatibus elementaribus, nimirum calido, frigido, humido, & sicco. Et hæc est Vegetatrix Anima, vel duntaxat ab organo corporeo, & non à qualitatibus elementaribus. Et hæc est sensitiva Anima. Quamvis namque & in hujuscemodi organo extent elementares qualitates, non tamen mediis illis exercetur sentire. Vel ita excedit, & elevatur, quòd nec ab organo corporeo dependet in operari. Et hæc est Anima intellectiva, sed nullus alius est assignabilis modus: ergo &c.

Quæ ratiocinatio indiget illustrari à post. Quod præstabitur tum §. sequenti solvendo argumenta, tum art. sequenti 2.

4. Prob. modò conclusio quò ad 2. p. Tot sunt vivendi modi, sive gradus (pro eodem namque sumimus) quot sunt modi gradatim procedendi in genere vitæ; sed isti nec plures, nec pauciores sunt, quàm quatuor; ergo modi, seu gradus vivendi nec plures, nec pauciores sunt quàm quatuor. Maj. enitescit ex ipsomet gradus nomine, quod quandam in ipso vivente vitæ determinationem significat. Min. prob. Siquidem supputantur tres modi, sive gradus vivendi juxta tria Animatum genera; sed in secundo genere vitæ, nimirum sensitricis extat duplex modus, & gradus; ergo &c. Prob. min. In eodem sensitricis vitæ genere extat participatio perfecta, & imperfecta: ergo duplex extat gradatim procedendi modus, cùm ab imperfecto ad perfectum fiat ascendendo gradus. Ant. prob. Quibusdam in Brutis participatur vita sensitiva duntaxat secundùm gustum, & tactum, medio quo præsentes tantummodo res apprehenduntur, ut in Ostreis, & Conchyliis, in aliis verò secundùm alios percipientes res absentes; sed prima vitæ sensitivæ participatio est perfecta, secunda verò imperfecta: ergo &c. Subsumitur min. sed perfecta fundat locomotivum ergo quatuor sunt vivendi gradus, nimirum Vegetativus, sensitivus, loco-motivus, & intellectivus.

Qua ex re infero, quòd non modò separatim sunt quatuor isti vitæ gradus, verùm etiam conjunctim, quia eodem in Homine, necnon quolibet in Animali perfecto extant duo vitæ sensitivæ gradus. Homo siquidem, & quodcunque Brutum perfectum utrosque obtinet gradus, quamquam virtualiter duntaxat distinctos. Quandoquidem habet vitam sensitivam imperfectam secundùm sensum gustus, & tactus, & perfectam in reliquis sensibus. Ob idque quia in Vitæ vegetativæ genere non extat magis, & minùs perfectæ latitudo; Idcircò in Plantis unicus est gradus, in animalibus imperfectis duo; in perfectis tres; & in homine quatuor.

Quæ est doctrina D. Th. loco num. 3. relato ex p. p. ubi *Quatuor vero*, inquit, *dicuntur modi vivendi. Quædam enim viventia sunt, in quibus tantùm est vegetativum sicut in plantis. Quædam verò, in quibus cùm Vegetativo est etiam sensitivum, non tamen motivum secundùm locum, sicut immobilia animalia, ut Conchylia. Quædam verò sunt quæ supra habent motum secundùm locum, ut perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam, & ideo indigent motu, ut vitæ necessaria procul posita quærere possint. Quædam verò viventia sunt, in quibus cum his est intellectivum, scilicet in hominibus.*

§. III.

Argumenta solvuntur Adversariorum.

5. ARg. 1. contra p p. Vegetatrix vita non est vera vita: ergo &c. Prob. ant Omnis vita est participatio vitæ Dei; sed in Deo non est vegetatrix vita, cùm Deus duntaxat intelligendo; & volendo vivat: ergo &c. 2. Vitæ vegetativæ actiones rebus etiam inanimis competunt, cùm vel ignis per candefactibilis materiæ appositionem nutriatur, crescat, aliumve gignat ignem; Magnes attrahat ferrum, imò & sui in substantiam vertat, ut nonnulli asseverant; & plura alia quandam per antiparhiam sese invicem respuunt, ac abjiciunt; eaque dependenter ab elementaribus qualitatibus agunt. 3. Per Animæ Vegetativæ operationes vivens alia, & non seipsum movet, puta movet nutrimentum, fœtum, &c. ergo &c.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. (quæ, si quid probat, probat non tantùm de Vegetativa, verùm etiam de sensitiva, ut perspicuum est) omissa maj. dist. min. in Deo non est Vita Vegetativa modo illo, quo in plantis extat, concedo, modo perfectissimo, ac eminentissimo, nego. Modo itaque excellentissimo depurato ab omni imperfectione admitti vel in Deo potest Vegetativa, & sensitiva vita. Quandoquidem unus ex præcipuis hujusce vitæ actibus est generare; in Deo autem datur ab æterno Verbi Divini genesis, licèt per intellectum duntaxat. Sensitiva quoque, quia sensitiva vita sentiendo sua objecta suo modo illa percipit, ac sensitiva cognitione cognoscit; In Deo autem est cognitio perfectissima, licèt tantùm per intellectum.

Præterea communiùs cum aliis dist. illam maj. est participatio vitæ Dei secundùm conceptum differentialem semper, nego, secundùm conceptum vel differentialem, vel genericum, concedo maj. & dist. min. in Deo non extat Vegetatrix vita secundùm differentialem, concedo, secundùm communem, & quasi genericum conceptum, nego min. & consequentiam. In Deo quippe estò non extet vita vegetativa, & sensitiva formaliter, sed intellectiva duntaxat; extat tamen conceptus communis vitæ, nimirum se ab intrinseco movere; quod participatur à vegetabilibus, licèt imperfectiùs; quemadmodum à Brutis participatur cognitio: Ab hominibus verò meliùs omnis vitæ gradus participatur formaliter; eapropter in Homine Dei imago, & similitudo cernitur; in plantis verò, ac Brutis vestigium duntaxat inspicitur Dei.

Ad 2. prob solutionem habes ex dictis q. antegressa art. 2. §. 3. n. 8. ad inst. 4 arg. ad vitam siquidem Vegetatricem non sufficit agere dependenter ab elementaribus qualitatibus qualitercunque, sed ab intrinseco su movendo.

Ad 3. quoque ex dictis ibi n. 9 ad 5 habes.

6. Arg. 2 ultra prærecensitas Animas aliud Animæ locomotivæ genus admittendum venit: ergo quatuor sunt animarum genera. Prob ant. Ideo sensitiva distinctum à Vegetativa vitæ genus constituit, quia est peculiaris operationis principium, & quia est ab alia separabilis; sed etiam loco-motiva est peculiaris operationis principium, estque à sensitiva separabilis, ut in ostreis, & conchyliis: ergo si &c.

Cons.

Conf. Quemadmodum sensitiva differentiam Vegetativæ contractivam importat, & intellectiva contractivam sensitivæ, sic loco-motiva differentiam Animæ sensitivæ contractivam importat; ergo & loco-motiva novum constituet Animæ genus. Ant. ex eo manifestum fit, quod quemadmodum Vegetativa est sensitiva universalior, & intellectiva; ita sensitiva est universalior loco-motiva, cùm stet illa sine ista.

Resp. ad arg. nego ant. Ad prob. dist. maj. quia est &c. cum eodem elevationis modo, nego, diverso eum elevationis modo, concedo maj. & distincta min. nego conseq. Recole dicta §. 2. n. 3. Hic namque fit Animæ divisio, non secundùm particulares rationes, sed secundùm generalissimas rationes desumptas ex diverso elevationis modo supra inanimes res. Et quia tum sensitiva, cùm loco-motiva eundem obtinent elevationis modum supra inanimes, nimirum cum dependentia ab organo corporeo. Per quod

Ad Conf. discrimen est, quia sensitiva contrahit, ac determinat Vegetativam; nec non intellectiva sensitivam diverso eum elevationis modo.

7. Arg. 3. Contra a. p. ex Suarez. Tot sunt generales vivendi modi, quot sunt Animarum genera, sed ista tria sunt: ergo & tres vivendi modi. Maj. quam improbatam reliquit Opponens probari sic posset. Multiplicitas graduum vivendi sumitur ex Animarum multiplicitate: ergo &c. Prob. ant. modi, sive gradus vivendi sumuntur, ac præstantur ab Anima: ergo etiam &c. Prob. conseq. Ab eodem à quo habent esse, suam quoque habent diversitatem, quia ista fundatur in esse, & ad illud sequitur.

Resp. nego maj. Ad prob. nego ant. Ad prob. dist. ant. præstantur ab Anima, secundùm quod diversimodè ista ab inferioribus participatur, concedo, absolutè, subdist. nisi in ea habeatur latitudo, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Gradus vivendi sumuntur ab Anima, non semper secundùm se, & absolutè, sed interdum ab ea secundùm se, & absolutè, quando nimirum illo in genere non datur latitudo majoris, vel minoris participabilitatis, quemadmodum in vegetativa, & intellectiva evenit, ut mox luculentiùs dicetur. Interdum verò ab Anima secundùm quod diversimodè participatur, ut in Anima sensitiva, quæ nonnunquam imperfectè participatur, ut in animalibus imperfectis, nonnunquam perfectè, ut in reliquis animalibus, in quibus propterea datur loco-motivum.

Cohæret cum eo, quod diximus in lib. Post. in Prœloquiis quæstionis primæ post conclusas duas præcognitiones.

Dices etiam in animalibus imperfectis extat loco-motivus: ergo &c. Prob. ant. siquidem se movent Ostrea & Conchylia motu dilatationis, & restrictionis. Item lacertæ, serpentes, vermes, &c. sunt animalia imperfecta; & tamen localiter moventur: ergo &c.

Resp. dist. ant. loco-motivus in loco, concedo, ad locum, nego ant. & conseq. Loquimur impræsentiarum de loco-motivo motu, qui fit mutando locum, idest progressivo motu, qui est ad acquirenda necessaria vitæ procul posita. Ostrea autem, & Conchylia moventur duntaxat in loco. Ad Conf. Resp. quod lacertæ licèt sint imperfecta comparativè ad quadrupedia; non tamen comparativè ad Ostrea, & Conchylia; uti etiam art. 5. §. 3. ad 2. arg. num. 9. dicetur.

8. Arg. 4 Ultra prærecensitos vivendi gradus extat appetitivus; ergo quinque sunt. Prob. Loco-motivum ideo gradum à sensitivo diversum constituit, quia est perfecta vitæ sensitivæ participatio solis in animalibus perfectis, sed etiam appetitus perfectus, V. G. appetitus rationalis est perfecta appetitivi participatio reperta solo in homine: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. maj. est perfecta participatio vitæ sensitivæ in eodem genere, concedo, diverso in genere, nego maj. & distincta min. nego conseq. Ut ergo diversi constituantur gradus diversa ex participatione, opus est, quod participatio sit eodem in genere. Appetitus autem imperfectus, qui habetur in Brutis, & rationalis in homine sunt in diverso genere; quia primus est in genere Animæ sensitivæ, secundus in genere Animæ intellectivæ.

Dices. Et in eodem Animæ sensitivæ genere extat appetitus perfectus, & imperfectus: ergo diversos constituunt vivendi modos. Prob. ant. In animalibus imperfectis, nimirum Ostreis, & Conchyliis extat minùs perfectus, quàm in Brutis: ergo &c. Ant. quò ad 2. p. est certum. Quò ad 1. prob. In Ostreis, & Conchyliis extat dolor; sed dolor est actus appetitus fugientis malum: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego ant. quò ad p. p. quod incohærenter nonnulli concedunt, Tum quia appetitivum est circa rem absentem, ut satis ostendimus 1. Phys. q. 2. art. 5. §. 1. probando, quòd materia non appetat, quam possidet formam; sed Ostrea, & Conchylia rem absentem non appetunt, secùs ad illam moverentur, quemadmodum ad eam pergunt cætera quæ illam appetunt: ergo &c. Tum quia appetitivum fundat loco-motivum saltem imperfectum; sed loco-motivum perfectum, & imperfectum nequeunt diversum constituere vitæ gradum, sicut isti de perfecto, & imperfecto appetitivo dicere tenentur: ergo hoc dato loco-motivum non esset amplius novus gradus, sicut in Ostreis novus gradus non est.

Vel illud dist. ant. extat appetitus naturalis, concedo, elicitus, nego ant. & conseq. Duplex itaque est appetitus. Unus est naturalis consequens ad formam aliquam absque prævia apprehensione. Et iste duplex etiam est. Unus non vitalis, sicut est appetitus materiæ ad formam, gravis ad centrum, &c. Alius vitalis, qui licèt elicitivè sit à vivente; quia tamen elicitur absque prævia apprehensione, ac per modum naturæ; idcircò naturalis nuncupatur. Et iste in animalibus imperfectissimis, nimirum Ostreis, & Conchyliis. Alius simpliciter, qui nempe à vivente prævia ex apprehensione elicitur, sicuti est appetitivus in animalibus perfectis, ut docet S. Th. p. p. q. 78. art. 1. ad 3. Impræsentiarum itaque loquimur de appetitu elicito hoc modo, qui nullatenus habetur in Ostreis, & Conchyliis, quæ omni prorsus apprehensione carent.

Ex his habes, quare appetitivum non constituat diversum à loco-motivo gradum, seu vivendi modum, quia nempe utrumque perfectam importat vitæ participationem. Loco-motivum namque in appetitivo fundatur.

9. Arg. 5. ad idem. Intra Vitæ sensitivæ genus extat sensitivum perfectum fundans omnes potentias pertinentes ad illud genus; & sensitivum imperfectum fundans aliquas duntaxat ad genus illud spectantes: ergo pariter intra Vegetativæ vitæ genus extabit vegetativum perfectum fundans cunctas potentias, nimirum nutritivam, augmentativam, & generativam; & vegetativum imperfectum fundans duntaxat nutritivam, aut eum nutritiva augmentativam sive generativam.

Resp. dato ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia Vegetatrix Anima est in infimo vitæ loco, idcircò non admittit latitudinem in participari secundùm perfectum, & imperfectum; sicut etiam Anima intellectiva (quicquid sit de Intellectivo, quòd non est anima) quia est in supremo Animæ gradu, latitudinem non patitur. Infimum siquidem, & supremum ultimi extremi rationem habent. Cæterum Anima sensitiva est quid medium.

Tres alias ad hoc solutiones adhibent plerique in m. s. quas brevitatis gratia missas facimus.

10. Arg. postremò contra utramque p. Membra in divisione exacta debent esse opposita, nec unum contineri in alio debet; sed Animæ inferiores, necnon gradus inferiores continentur in superioribus: ergo præfatæ divisiones sunt peccantes.

Resp. ex dictis in Logica Syntag. 1. prodromo art. 3. ad 1. inst. 3. arg. & ex dicendis infra art. 5. §. 3. num. 9. ad 3. arg. Superiorem Animam (idem dico de superiori ...du) continere inferiorem, modo quodam eminentio...; at non secundùm differentiales rationes, secundùm ...as opponuntur, prout Vegetativa V. G. est constitutiva Plantæ, sensitiva constitutiva Bruti, &c. secùs Anima rationalis posset constituere Plantam, & Brutum; necnon sensitiva Plantam constituere posset.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num re vera Plantæ vita vegetativa, & Bruta vita sensitiva vivant.

§. I.

1. HAbes ex lectis prægresso art. §. 1. Bruta non vivere vita intellectiva, adeoque à fortiori nec plantas; imò nec sensitiva vita plantas vivere fit manifestum, Tum quia si vita sensitiva Plantæ viverent, sanè provi-

provida natura quemadmodum in Brutis, ita & in plantis diversa suppeditasset organa, diversis pro sensationibus. Tum quia, ut adversus Manichæos Aug. arguit dolorem Plantæ non sentiunt. *Ut enim*, inquit, *omittam, quòd nullis motibus in ligno sensus apparet, quid manifestius, quàm tunc se optimè habere arborem cùm viget, cùm frondet, cùm floribus læta, fructibus opulenta est. At hoc ei plerumque, ac maximè putatione præstatur. Quòd si ferrum sic sentiret, uti vultis, potiùs tot, tantisque affecta vulneribus contabesceret, quàm ex illis pullulans locis tanta cum exultatione reviviscceret*. Videatur etiam Lerma hic q. 11.

2. Dubium igitur movetur prout in titulo, licèt ægrè, cùm de hoc dubitare insania videatur.

Nihilominùs non desunt hisce temporibus, qui propriam insaniam sapientiam dicunt, hoc inficiantes, & non modò contra veram Philosophiam, sed & contra Divina etiam oracula asseverare audent, Plantas non vivere, nec Belluas, sed duntaxat nobis viventia apparere; & nil aliud esse, quàm machinas quasdam à Deo operosè sic disposita, non absimili modo, ac horologia. Sic loquitur Cartesius, & Gassendus eorumque gregales, quos refutat Guerinois hic p. 4 Philosophiæ q. 3. art 10. & nonnulli alii, Philosophiam illusias in academias convertentes, ut proprium ostentent ingenium defensitando, quæ defendi sunt indigna; sicut quondam Philosophus Favorinus legitur, suscepisse patrocinium febris quartanæ, & Glauce injustitiæ, imò quidam stultitiæ Goudin fert 1. Phys. *Quid ego de iis dicam nescio* (verba sunt Lactantii in 3. c. 24) *qui cùm aberraverint constanter in erroribus durant, vanisque vana defendunt, nisi quòd eos interdum credo joci causa Philosophari, aut prudentes, & scios mendacia sumere defendenda, quasi ingenia sua in malis rebus exerceant, & ostentent*.

Itaque Universis cum Peripateticis,

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

1. QUòad p. p. perpetuum est Scripturarum, ac Patrum dogma, præsertim verò Aug. 1 de Civit. Dei cap. 2. ubi de plantis; *hoc*, inquit, *genus rerum quamvis sensum non habeat, potest mori, & occidi*. Quod comprobat ex illo Psal 71. *& occidit in grandine vineas eorum*; sed mors, & vita sunt propria viventium: ergo &c. & D. Dionys. cap. 6. de Divinis nominibus docet, quòd Bruta, & plantæ cunctæ juxta extremum vitæ harmoniam acceperunt, ut vivant à vita Dei. Sacra hos edocuit Scriptura Patres. Quandoquidem Jo: 12. dicitur *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, & 1. Corinth. 15. *quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur* &c.

Quòad 2. quoque p. habetur Gen. 6. *& ex cunctis animantibus Universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum*, &c. Isaiæ 1 *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui*. Jerem. 8 Job 39. &c. Et utraque pars traditur à D. Greg. Papa hom. 29. in Evang. ubi *Homo*, inquit, *habet commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis*; sed abnuet nemo, aut abnuere potest, Hominem vivere, & sentire verè, & propriè, nisi seipsum deneget: ergo qua temeritate, ne dicam hæresi Plantis vegetativam, & Brutis sensitivam denegabit vitam. Vid. In exordio primi libri sub num. 2. Docetur quoque ab Aug. lib. de vera Religione cap. 29 ubi *irrationabilia quoque*, inquit, *animantia vivere, atque sentire nemo ambigit*.

Si, responderis Scripturas, & PP. loqui juxta nostrum apprehendendi modum.

Si, inquam, ita responderis, jam nihil erit in sacris paginis, quod commento sic vitiare non valeas, ut cùm in lib. Geneseos dicitur, tot fuisse generationes Enoch, Lamech &c. dicere poteris, Scripturam loqui juxta nostrum concipiendi modum. Cur namque ibi, & non hic dicere id valeas, non video.

4. Prob. jam ratiociniis quòad utramq. p. Et primò quòad p. p. Vita in hoc sita est, quod est ab intrinseco se movere, ut prægressa q art. 2. satis probatum est; sed Plantæ ab intrinseco se movent: ergo sunt viventes vita, non sensitiva, aut intellectiva: ergo vegetativa. Prob. min. Quod potest ex intrinseco cessare ab operatione, se ab intrinseco movet, ac ad operationem se movet; sed Plantæ interdum ex intrinseco cessant ab actu secundo, nimirum ab operatione, & motu: ergo &c.

Præmissæ sunt probandæ. Et primodùm maj. Tum quia motus si esset ab extrinseco, duntaxat ex extrinseco, à quo est, cessare posset: ergo ab opposito si &c. Tum quia res inanimes cessant à motu duntaxat ab extrinseco, puta ignis cessat ab actu calefactionis, quatenus ei non suppeditatur ab extrinseco res candefactibilis. Deinde min. Quandoquidem Plantæ ex intrinsecis cessant tum ab actu augmentationis, tametsi eis non deficiat alimentum, quando tantam attigerunt altitudinem, aut magnitudinem, ultra quam non crescunt: ad differentiam ignis V G. qui quousque ei suppeditatur materia transmutabilis in ejus substantiam excrescit. Ab actu etiam nutritionis, quia non quolibet in instanti nutriuntur, tametsi eis ministretur alimentum. Quod prob Siquidem quando tantam attigerunt quantitatem, ultra quam non augentur, tum nutrimentum non deservit, nisi ad partes deperditas restaurandas; sed non quolibet in instanti Plantæ deperdunt partes: ergo &c. Maj. est certa. Min. quoque, secùs arbores, quæ non infrequenter evelluntur, celerrimè deficerent, ceu alimento carentes, cùm tamen constet, per multum temporis durare. Quod & in Brutis, ac in Homine videre est. Demum ab actu generationis, ut perspicuum est.

Conf Plantæ, ad differentiam inanimatorum dum crescunt, crescunt secundùm omnes partes: non sic verò res inanimes, quæ secundum aliquam duntaxat partem crescunt. Palam namque est, quòd ignis in illa tantummodo crescit parte, in qua ei candefactibilis apponitur materia: ergo Plantæ secernuntur à non viventibus, proindeque viventes sunt.

Conspicis igitur optime Lector, Plantas nutriri, & crescere, non per juxta-positionem, uti ignis, ac cætera non viventia, sed per intùs sumptionem quasdam per venulas: eo proportionali quodam modo, quo animal antequam propriam in substantiam convertat illud sumit, intusque attrahit.

Conf Quoniam & plantæ generant per semen à se decisum non secùs, ac cætera viventia.

5. Prob. modò Conclusio quòad 2. p. eodem modo. Possunt ex intrinsecis Belluæ cessare & ipsæ ab actu secundo. Perspicuum namque est, quod Bruta dormientia non exercent proprios actus, tametsi ei suppeditetur materia, circa quam. Præterea Bruta habent eadem organa, quæ Homini pro vita sensitiva deserviunt: ergo & ipsa sensitivam vitam verè, ac propriè obtinent. Unum procreat aliud per seminalem propagationem, non secùs ac homo. Item Bruta per sanguinis emissionem purgantur, ac per pharmaci sumptionem, non secùs, ac homo, ut præsertim in Bobus, & Equis mos est.

Quibus evidentiis si contradicere quis non dubitaverit, eadem valebit fronte negare, Cœlum, quod oculis cernimus, esse verum Cœlum; inficiari figuram in rebus, motum, & extensionem, ac dicere, hæc omnia nostras solummodo imaginationes esse: quemadmodum compertum est, sic quendam insanire Cartesii prodiscipulum, qui eò devenit, ut ore tenus, scriptoque tenus dicere non erubuerit, se solo fidei testimonio convinci de proprii corporis existentia lib. de Animæ, & corporis discrimine, ut fert Goudin 1 Phys. disp. 1. quæst. 1. art. 4. §. 2. pag. 61. Eis autem admissis nequit præfatis in rebus vita non admitti. Rerum namque essentiæ à post. duntaxat per effectus, actiones, & proprietates, nullatenus verò à priori probari queunt, cùm sint prima cuilibet rei principia.

Prob. præterea omnibus eis modis, quibus 2. Phys. q. 3. art. 3. probavimus, Bruta agere cum cognitione finis.

Probo demum ex ipsamet Adversariorum doctrina. Ipsi namque arguunt, quòd si humanus Opifex muscam, seu columbam volantem fabrefacere valuit (ut de Archita, & aliis fertur) quæ viventes apparebant, tametsi tales minimè essent; multò magis Deus omnium perfectissimus Opifex valebit res efformare, quæ viventes appareant modo longè excellentiori, tametsi re vera viventes minimè sint.

Ex quo sic ipse argumentor. Ars naturam imitatur; sed eorum virorum ars facere nonnulla valuit, quæ apparebant Bruta viventia: ergo Bruta non purè artificiosè disposita viventis in modum, sed suapte natura viventia sunt.

Adde,

Adde, quòd Bruta cuncta procreantur non minùs, ac Homo vitalem per genesim, quæ definitur *origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ*.

§. III.

Adversariorum argumenta dissolvuntur.

6. ADversus p. p. objici omnia possunt, quæ prægressa q. art.2. ad 5. tum antegresso art. §.3. ad 1. soluta fuere & nonnulla alia levia argumenta videri possunt apud Lermam hic quæst. 55.

Arg.1. contra 2. p. ex Cartesio. Archita Tarentinus fertur Columbam construxisse, quæ vivens videbatur, ac volans; cùm tamen talis re vera non esset: ergo similiter Belluæ licèt videantur se movere, & sentire; esse tamen poterit, quod re vera ita non sit.

Resp. nego conseq. Quandoquidem ea in Columba sufficiens habebatur motivum ei vitam denegandi; secùs verò in Brutis, quia Musca illa movebatur, non ab intrinsecis, sed duntaxat mediis quibusdam occultis instrumentis.

Contra. Columba illa videbatur ab intrinseco moveri, tametsi ita non esset: ergo & de Brutis dici idem posset. Gratis namque asseritur, quòd Bruta ab intrinsecis moveantur; secùs verò Columba illa. Deo hoc siquidem assignanda ratio superest. Sic clamabat publicis in disputationibus ex Adversariis quidam.

Respondebam, rationem facillimè assignari. Columba namque illa non se movebat ab intrinseco motu Vegetativæ vitæ, quales sunt nutritio, augmentatio, & generatio, cùm non cresceret, aut aliam gigneret Columbam. Nec motu vitæ sensitivæ; quia ea, quæ sensitivæ vitæ motu moventur, diversimodè secundùm diversas partes moventur secundùm diversa organa, ut perspicuum est. Quod non contingebat in Columba illa. Agebatur namque per aera nihil cæteris in partibus operando. Ecquis vidit illam ore cibum sumere, manducare, bibere, per aera alas dimovere, pedibus deambolare, oculos modò claudere, palpebras modò diducere; ac ad cibum longè positum, ac apprehensum pergere?

Instabat arguens. Creato ab Artifice fabrefactum quidpiam est, quod modo aliquo modo vivens exhibebatur, tametsi non secundùm omnes partes: ergo Divino ab Opifice infinitè perfectiori fieri aliquod poterit, quod perfectè vivens secundùm cunctas videatur partes, tametsi tale re vera non sit.

Respondebam, quòd facere quid Deus potuerit non vestigamus, sed quid fecerit. Et dato, quòd facere id potuerit, negamus fecisse in Brutis. Quod colligimus, tum ex præadductis ratiociniis. Tum quia quod Artifex creatus facit imitando naturam, Deus facit in creatis per naturam. Ob idque retorqueas arg. Si namque Homines Brutorum imitando naturam quicquam cuderunt apparenter vivum; jam Bruta à Deo elaborata erunt sapte natura, & non tantùm apparenter viva.

7. Arg.2. Aliquod extat, quod sensitivum non est, & tale apparet: ergo & idem dici de Brutis poterit. Prob. Ant. Herba, quæ vulgò herba sensitiva compellatur, dum palpatur sic se constringit, quòd sentire dolorem videtur ad modum Ostreorum, & Conchyliorum; & tamen re vera sensitiva non est: ergo &c.

Conf. Horologium videtur se movere ad instar viventium, cùm tamen re vera non sit: ergo idem dici de Belluis licebit.

Resp. ad arg. eodem modo, nimirum nos habere motivum sufficiens, denegandi ei vitam sensitivam in ea apparentem; quia nempè in operando dependet à qualitatibus elementaribus, à quibus minimè sensitiva pendet vita, quæ ab organo corporeo duntaxat pendet, juxta dicta antegresso art. §.2.

Ad Conf. Resp. quòd Horologium movetur in primo actu vel ab Artifice, vel ab alio, quem postea motum persequitur, quia est dispositissimum virtute illius in progressu agi. Vivens autem præsertim sensitivum, licèt in primo cordis motu moveatur applicativè à Generante, non tamen elicitivè, ut 7. Phys. q. 5. & hic q. præcedenti art.2. §.3. ad 3. arg. num.7. Cujus signum est, Tum quia vivens diversas habet potentias, & diversa organa. Tum quia vivens ex intrinseco cessat à motu, vel operatione, horologium verò nunquam cessat ex intrinsecis à suo motu, sed ab extrinseco duntaxat, nimirum propter impedimentum aliquod ex defectu aliquo vel in rotis, vel in nervis. Nec unum aliud generat horologium.

Vid. Guerinois hic q.3. de Anima art.10.

Vid. etiam dicta à nobis 2. Phys. q.3. art.3. §.3.

ARTICULUS TERTIUS.

Sitne in Vivente forma alia substantialis præter Animam?

§. I.

5. LIs hæc de quadam duntaxat corporeitatis forma habebitur, quia resolutum supponit 1. Phys. q 3. art. ultimo absolutè de omnibus formis, præcipuè totalibus, ac disparatis, non posse plures formas in eadem materia contubernales esse.

Scotus itaque in 4. sent. dist.2. q.3. suis cum gregalibus agnoscit quolibet in vivente composito formam quandam corporeitatis, quæ à Scotistis forma mixti nuncupatur, quæque in non viventibus sit indistincta ab eorum specifica forma, in viventibus verò realiter ab Anima distinguatur. Hanc formam in vivente dicunt, se habere ut formam quandam incompletam, & veluti genericam. Eandem corporeitatis formam prævié ad Scotum tenuit Avicennas secutus Stoicos, sed diversimodè; & etiam Plato, sed alio ex motivo. Quandoquidem Avicenna obtestabator, istam corporeitatis formam esse materiæ coævam; Plato verò hanc ideo admittebat corporeitatis formam, quia Animam censebat, non ut formam, sed ut motorem corpori jungi; contra quod vide, quæ in Præloquiis lib. primi diximus, veteres refellendo Philosophos.

Oppositum propugnant Thomistæ omnes, cæterique Exteri, imò vel Scotistæ ipsi hac tempestate in Hispania teste Arriaga, de quo conqueritur Mastrius.

§. II.

CONCLUSIO.

Nullatenus est in vivente admittenda corporeitatis forma realiter ab Anima distincta.

2. NEgans conclusio negativa fulcitur authoritate Philosophi, qui nullam unquam de hac corporeitatis forma mentionem fecit. Nec aliud in Arist. fundamentum habent Scotistæ, nisi quòd Animam definierit per esse actum corporis. Qua ex definitione inferunt, Animam supponere in materia esse corporeum. Verùm enim verò ultra dicta q. præcedenti, art.1. §.3, ad 2. n.4. & iterum dicenda, non ita sensisse Philosophum fit perspicuum ex eo, quòd Animam definivit non modò per esse *corporis*, verum etiam *organici* actum; & tamen nec Scotista prætendit, organizationem unà cum forma corporeitatis Animam præire, secùs & in non viventibus organizatio haberetur.

D. Thomæ autem non tàm negativè, verum & ex professo authoritas suffragatur 2. contra Gent. cap.58. & q. unica de Anima art.11. & 7. Metaph. lect.12. & opusc. 45. & p.p. q.66. art.1. in corp. & ibidem q.76. art 4. ubi ex professo controversiam istam discutit.

3. Prob.1. In vivente unica duntaxat forma locum habet: ergo præter Animam non datur hæc corporeitatis forma. Prob. ant. Vivens est unum, seu individuum est unum: ergo &c. Prob. conseq. Etiam per Scotum & Scotistas, ut 1. Phys. q.3. art.4. vidimus, plures substantivæ formæ nequeunt saltem naturaliter eadem in materia, nec proinde uno eodemque in vivente contubernium habere; sed si in vivente locus daretur corporeitatis formæ, jam plures substantiales formæ uno eodemque in vivente, seu eadem in materia societatem haberent: ergo si &c. Prob. min. Quoniam in Viennensi sub Clem. V. Et Lateranensi Concilio sub Leone X. definitum est, Animam etiam rationalem esse veram corporis formam.

Respondebat ad hoc Conventualis quidam, & benè, non minùs ac promptè, quòd plures in eadem materia esse

possunt formæ, quarum una sit principalis, & altera subordinata, ut est corporeitatis forma. Sed

Contra. Hoc ipso, quod sunt subordinatæ, V. G. forma corporeitatis, aliis, jam superfluit omnino distincta ab alia superiori: ergo cùm non sint absque necessitate multiplicanda entia, vel non est subordinata, vel non extat Prob. ant. Si semel sunt sic subordinatæ, jam omnino otiosè ponerentur; ergo &c. Prob ant. Quicquid præstare posset, præstaret forma superior: ergo &c. Ant. prob. Forma superior continet in se inferiorem sibi subordinatam: ergo &c. Ant. (ultra quamquod ostendetur infra art. 4 & 5.) probatur una cum consequentia. Anima V. G. rationalis continet saltem realiter inferiores formas, puta Vegetativam, & Sensitivam, earumque effectus Homini præstat, cùm nec Scotistæ ponant in Homine formam aliam dantem esse vegetativum, aliam dantem esse sensitivum, & aliam dantem esse rationale. Eò vel maximè quòd esse intellectivum, sensitivum, & vegetativum sunt gradus metaphysici, qui nec secundùm Scotistas distinguuntur realiter, sed ad summum formaliter ex natura rei: ergo saltem realiter forma superior continet in se inferiorem.

Roborabam. In vivente forma dans esse vivum dat etiam esse corporeum: ergo incassum ponitur forma corporeitatis dans esse corporeum. Prob. ant. Esse vivens, quod præstat forma dans esse vivens in Plantis, & in Brutis, &c. est vivens corporeum: ergo &c. Prob. ant. Forma dans esse vivens in Plantis, Belvis, &c. non dat esse vivens ut sic, & in communi, quia singulæ Plantæ, ac singula Bruta sunt viventia determinata; nec vivens spirituale, quia viventia spiritualia, sunt Deus, & Angeli; ergo dat esse vivens corporeum.

Roborabam magis. Esse corpus est unus ex metaphysicis gradibus, ut Porphyriana exhibet Arbor; sed gradus metaphysici non distinguuntur realiter, ut vel Scotistæ ipsi annuunt: ergo esse corpus nequit præstari à forma realiter distincta à forma dante esse vivens, sensibile, &c. Eò vel maximè quòd effectus formalis formæ est ipsa forma communicata.

Ad hæc non nisi verba audivi.

4. Prob. 2. ratiociniis D. Th. ubi supra. Forma substantialis dat esse simpliciter; sed si in vivente alia præter Animam resideret forma substantialis, altera ex his non daret primum esse simpliciter: ergo &c. Præmissæ sunt probandæ. Et jam prob. primitùs. Maj. In hoc differunt substantialis, & accidentalis forma, quòd accidentalis dat esse secundùm quid, nimirum cum addito; ob idque Homo per albedinem V. G. non dicitur absolutè *homo est*, sed cum addito *homo est albus*; & dum in eo producitur, vel corrumpitur albedo non dicitur absolutè *Homo fit*, vel corrumpitur, sed cum addito *Homo fit albus*, vel *homo desinit esse albus*: Forma verò substantialis dat esse simpliciter absolutè sine addito; idcirco quando generatur, aut corrumpitur forma substantialis, dicitur absolutè *vivens fit*, vel *destruitur*. Deinde prob. min. Repugnat, unum, atque idem compositum habere duo esse simpliciter, secùs esset, & non esset unum; sed certum est, quod quodlibet vivens est unum: ergo &c.

Nec dixeris, formam illam corporeitatis esse formam substantialem incompletam; & quod dare esse simpliciter est de ratione solius formæ completæ.

Ne, inquam, id dixeris. Quandoquidem forma illa corporeitatis per Scotistas remanet in composito postquam secessit Anima; sed tunc compositum illud habet esse simpliciter substantiale, non verò secundùm quid, & accidentale: ergo est completa.

Vide 1. Phys. q. 3 art. 4. §. 2. sub num. 3.

5. Prob 3. Si in vivente forma corporeitatis præiret Animam, in eodemque perduraret unà cum Anima, nulla extaret substantiva generatio, & corruptio; sed hoc toto execratur Peripatetica Cohors: ergo &c. Min. habetur 1. Phys. q. 1 art unico § 7. à num. 22. Maj. prob. Generatio est transitus de non esse ad esse, & corruptio transitus de esse ad non esse, quem transitum facit materia prima: ergo generatio simpliciter est transitus de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & corruptio simpliciter de esse simpliciter ad non esse simpliciter; sed Scotica data hypothesi, in generatione viventis non fieret transitus de non esse simpliciter, quia materia antecedenter non fuisset simpliciter sine esse, sed aliquod habuisset esse, imò esse simpliciter, ut diximus, per corporeitatis formam; neque in corruptione fieret transitus ad non esse simpliciter: ergo &c.

Conf. Si adveniente Anima rationali in Homine remaneret prior forma Vegetativa, & sensitiva realiter distincta, non fieret generatio simpliciter; ergo pariter &c.

§. III.

Adversariorum argumenta enodantur.

6. ARg. 1. Oppugnando secundum ratiocinium positum sub 4 num. Anima tametsi adveniret materiæ habenti corporeitatis formam non daret esse accidentale: ergo daret esse absolutè, & simpliciter. Prob. ant. Verbum Divinum tametsi humanitati in suo esse constitutæ advenerit, adhuc non ei accidentaliter unitur, nec dat esse accidentale: ergo pariter &c.

Conf. In compositione Metaphysica quilibet gradus aliquod includit esse, & unus advenit supponendo saltem virtualiter alium; & tamen non sequitur, quòd det esse accidentale, vel quod faciat unum per accidens etiam virtualiter: ergo à pari tametsi duæ formæ saltem subordinatæ &c.

Resp. ad arg. nego ant. Ad prob. dist. ant. advenit ut forma, nego, ut terminus, concedo ant. & nego conseq. ac retorqueo arg. Siquidem à verbo non potuit natura humana terminari ejus per divinam subsistentiam remanere in humanitate propria istius subsistentia creata: ergo pariter nec una forma substantialis potest advenire materiæ actuatæ per aliam; imò à fortiori, quia nulla creata forma est infinita sicut est divina subsistentia. Adde, quòd arg ad summum probat, supernaturaliter posse duas formas contubernales, non verò naturaliter, & tamen Scotistæ prætendunt etiam naturaliter. Alia apud Cathum videri potest solutio disp. 2. q. 2. § 2. ad 1.

Ad Conf. dato ant. nego conseq & paritatem. Disparitas est, quia gradus omnes metaphysici præstantur ab una, eademque forma ratione suæ eminentiæ. Ea extat quemadmodum nec virtualiter forma dicit esse accidentale, sic nec gradus illi. Oppositum autem eveniret si duæ formæ realiter distinctæ eidem hærerent materiæ. Similis objectio soluta est q. præcedenti art 1. ad 2. Vid. ibi.

7. Arg. 2. Anima est actus corporis: ergo supponit in materia esse corporeum per aliam formam, quia omne susceptivum præcedit formam suscipiendam.

Si respondeas ex dictis q 1. art. 1. §. 3. ad 2. num. 4. accipi in data definitione subjectum formatum, non verò informe: Eo quodam proportionali modo, quo S. Th 3. p. q. 19. in corp. exponens verba illa consecrationis *hoc est corpus meum*, inquit, *veritas hujus locutionis non præsupponit rem significatam, sed facit eam*.

Contra est 1. Corpus ad Animæ susceptionem disponitur per organizationem: ergo supponitur corpus organicum antecedenter ad Animam.

Secundò. Definitio debet tradi per aliquid, quod sit definito notius; sed subjectum formatum non est sua forma notius, quia cùm sit tale constitutum per formam, est æqualiter ac ipsa forma notum, vel ignotum. Ea propter ignorans quid sit lux, ignorat quoque quid sit lucidum: ergo non sumitur subjectum formatum.

Conf. 1. Ideo Arist. probat, Animam non esse corpus, quia secùs naturaliter duo corpora eodem in loco degerent; sed nisi materia haberet esse corporeum ab alia forma, tametsi Anima esset corpus, Anima, & corpus non essent duo corpora: ergo &c.

2. Viventia dicuntur ex corpore, & anima componi. Et sanè de physica compositione sermo est, ad differentiam non viventium, quæ ex materia tantùm, & forma componi dicuntur; sed partes physicè componentes sunt realiter inter se distinctæ, ut palam est de materia, & forma: ergo esse corpus præstatur à forma realiter distincta ab illa, quæ dat esse vivens.

Resp. 1. quòd loquendo de dispositione prævia disponitur per organizationem accidentalem, consistentem in illa figura, quæ habetur per diversam coaptationem partium materiæ menstrualis coagulatæ. Deinde

Responderi consuevit dist. ant. disponitur ad susceptionem Animæ per organizationem præviam, concedo, concomitantem nego ant. & conseq. Quemadmodum namque duplex extat dispositio, una nimirum prævia, & alia comi-

comitans, ita & duplex organizatio, prævia una, quæ habetur à forma præeunte, concomitans altera, quæ habetur ab Anima.

Quæ solutio quoddam patitur offendiculum. Quandoquidem prævia illa organizatio vel ab alia Anima præcedente habetur, vel non. Si primum. Tum sic. Etiam Anima illa exigebat corpus dispositum per organizationem præviam, quæ iterum alia ab Anima præstari debuisset, & sic in infinitum. Si non: ergo nequit nisi à corporeitatis forma haberi.

Nihilominùs præfatum responsum sustineri optimè potesit, quidpiam addendo. Dico itaque, quòd rationalis Anima, & sensitiva exigunt, corpus esse dispositum prævia organizatione. Rationalis quidem efflagitat corpus dispositum organizatione prævia à præcedenti forma sensitiva, quæ perit adveniente Anima rationali præstante munus illius altiori modo. Similiter sensitiva Anima expostulat corpus dispositum organizatione habita à præcedenti forma vegetativa, quæ perit adveniente sensitiva, præstante modo perfectiori munus ejus. At anima vegetativa, quæ ultima, ac imperfectissima est, non exigit pro sui dispositione organizationem aliquam præviam, sed ad summum petit organizationem concomitantem, ut dispositionem concomitantem; pro prævia verò dispositione formam Embrionis. Quò namque perfectior est forma, eò plures dispositiones desiderantur ad illam. Sanè neque Scotistæ prætendunt, aut prætendere possunt, quod corporeitatis forma det esse organicum, ut vidimus num. 2 Pro quo

Scito ex Arist. lib. 7 de Animalibus cap. 3. & Plinio lib. 7. cap. 6. quod in generatione non statim, nec tam brevi infunditur Anima rationalis.

Circa quod tamen non omnes conveniunt. Siquidem primiter Thomas Fienus libro de *vi formatrice Fœtus* edito anno 1620. q 8. concl. 11. putat, animari tertia ad summum die à seminis conceptione. Martianus Hipocratis interpres, & Jo: Baptista Sinibaldus septem post dies. Fernelius, Amatus Lusitanus, Rodericus de Castro, & Ocha Doctor Angelicanus post tres, & ferè quatuor menses; quia tunc solùm putant esse perfectè completum hepar, cor, & cerebrum. Mazzuchelius tractat. de casibus reservatis disp 2. cap. 3. difficul. 1. num. 5. existimare se veriùs dicit, quod Anima rationali fœtus informetur statimatque formatus est; in cujus sententiam inclinat non parum Diana p. 7. tract. 5. qui est *de aborta* resol. 6. licèt tandem oppositam doceat. Mazzuchelli opinionem tenet Jo: Bapt. du Hamel in sua Philosophia veteri, & nova tomunculo 3. qui est de Metaphysica tract. 3. q. 3. concl. 3. citans P. Fabri. Citantur à Diana etiam Medici.

Probant hoc authoritate S. Script. in qua Exodi 21. juxta versionem 70. dicitur *qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erit animatus dabit Animam pro Anima: si nondum erat formatus mulctabitur pecunia*. Quibus verbis insinuatur, fœtum Anima rationali informari *simulatque formatus est*. Præterea ratione, seu potiùs paritate qualitatis, quæ tota simul à principio communicatur subjecto, & postea decursu temporis secundùm majores gradus intenditur. Sic ab exordio Anima rationalis infunditur, quæ tamen nonnisi post certum tempus exercet operationes, reliquosque communicat gradus post perfectam fœtus dispositionem. Et dant exemplum de Cane, in quo à suæ nativitatis exordio est potentia visiva; & tamen nonnisi plures post dies exercet visionem.

Probat specialiter du Hamel, dicens quòd si præivisset forma vegetativa fuisset priùs Planta; & priùs Brutum fuisset si sensitiva sine rationali præcessisset.

Dicunt tamen eorum nonnulli fœtum non esse formatum, nisi vel post 30. vel post 40. dies ut videre est apud Dianam ubi supra.

Nihilominùs oppositum cum Arist. & Plinio sentiunt communiter alii, quos suo calamo refert idem Diana ubi supra, dempto nostro Guerinois qui part. 4. Philosoph. q. 2. art. 3. §. 1. ad 2. in 2. responso Mazzuchelli doctrinam habet, licèt nec de Mazzuchello, nec de hoc dissidio mentionem ullam faciat.

Et meritò Tum quia abortum procurans, vel consulens postquam fœtus est jam animatus Anima rationali est excommunicatus excomunicatione, quam Sixtus V. in Const. 87. edita 1588. *Effrænatam* §. 1 reservavit Summo Pontifici effectu secuto, licèt Greg. XIV. Const. 8. edita anno 1591. *Sedes Apostolica* moderaverit Sixti Bullam & reduxerit §. 3. ad terminos juris communis Sacrorum Canonum, & Concilii Trid. ut ab ea, & peccato possit absolvere in foro conscientiæ, licèt non in foro externo Sacerdos quilibet ab ordinario approbatus, qui tamen sit ad hoc deputatus, de quo vid. Diana resol. 15. ubi etiam docet, quòd pro absolutione in foro exteriori semper recurrendum sit ad Summum Pontificem. Hæc autem excomunicatio communiter incurri censetur duntaxat post prædictos dies, quando jam fœtus exignissimi cujusdam pueruli figuram induit, ut in iis, qui ex dissecto utero sunt extracti compertum est; tum in abortis circa illos dies factis. Et sic sacra servat pœnitentiaria.

Tum quia Mazzuchelli, aliorumque sententiæ favet illi, quam refutavimus art 5. §. 5. num. 2. dicenti, unam in omnibus esse Animam, quæ tamen diversis in corporibus propter diversas dispositiones, & complexiones diversas elicit operationes, cùm & Mazzuchelistæ dicant propter talium dispositionum deficientiam non exercere ab exordio suas actiones. Undè sicut hac ratione negatur in Brutis, ita &c.

Tum demum quia Anima est actus corporis physici, organici; In fœtu autem ab exordio non adest organizatio, loquendo præcipuè de organizatione humana ad Animam rationalem requisita. Et tamen Animam aliquam habet, cùm crescat, & nutriatur; imò plures post dies etiam sensit, quia si pungatur, se constringit, ut videre est in abortis. Undè istæ non sunt operationes Matris, ut dixisse nonnemo fertur.

Ad 1. Partis adversæ fundamentum Resp. Scripturam per fœtum formatum non intendere, ut Mazzuchellistæ intendunt, massam illam in integrum expletam, sed formatum forma, idest Anima rationali.

Ad 2. Discrimen est, quia qualitas cùm fiat per motum, potest quoque per motum augeri successu temporis, quæ ceu indivisibilis tota, & totaliter in instanti communicatur subjecto; eo vel maximè quod generatio fit in instanti. Nec officit exemplum de Cane. Quandoquidem verum est, quod potest forma aliqua esse in subjecto, & non exercere aliquas operationes, non tamen impediri ab omnibus, & principalioribus saltem imperfectè exercendis, quales sunt cordis motus, alimenti invectio, &c. eo vel maximè quod visionis impedimentum in cane est, non substantiale, cùm habeatur in eo organum, sed duntaxat accidentale, ex deficientia alicujus majoris perfectionis accidentalis in organo. Et sanè non alia ratione denegatur Anima rationalis in Brutis, nisi quia in eis suas exercere non valet operationes.

Ad 3 Resp. ex D. Th. q. 3 de potentia art. 9 ad 10. non fuisse Plantam prius, aut Brutum; quia formæ illæ non sunt perfectæ, & completæ, ut in Plantis, & Brutis, sed imperfectæ & viales per modum transeuntis, dictæ formæ embrionales in una vel altera embrionis specie.

Introducitur ergo ab exordio forma vegetativa, & postmodum sensitiva, qua adveniente perit vegetativa, & postea rationalis, quæ in maris genesi creditur advenire post dies 40. si verò fœmellæ 80. & interdum 90. juxta Arist. lib. 7. de Animalibus cap. 30. & Plin. lib 7 cap. 6. propter debilitatem seminis nondum perfectè decocti, nec maturi, quo procreatur fœmina, ut docet S. Th. p.p. q 92. in art. 1. ad 1. & ibi q 99. art. 2. ad 1. &c. Qua ex re habes rationem discrepantiæ inter masculum, & fœminam, ne cum Diana ubi supra resol. 6 dicas, nullam videri rationem discrepantiæ inter marem, & fœminam.

Eapropter Philos. lib. 1. de Gener. cap 3. inquit, quod non fit simul animal, & homo, nec simul animal, & equus. Vid. S. Th. p p. q 118. art. 2. ad 2.

Hinc nemine impellente corruit illa Scotistarum objectio. Vegetativa namque Anima (quæ ceu infima nullam exigit præviam organizationem, sed duntaxat concomitantes, nimirum potentias, sumendo ly *organici* in definitione pro subjecto formato) est dispositio ad sensitivam, & sensitiva ad intellectivam.

Dices. Anima ita est pars corporis, quòd etiam est pars movens, & corpus pars mota; sed mobile debet esse in actu antequam moveatur, qua ratione materia, quæ est pura potentia nequit moveri, & duntaxat potest mutari mutatione instantanea: ergo corpus supponitur in actu per aliam formam nimirum corporeitatis.

Resp. in primis posse distingui sic. Quantum ad modum significandi concedo, quantum ad rem nego maj. &

data, vel distincta min. nego consequentiam. Quamquam Anima significetur ut pars movens, & corpus ut pars mota; re vera tamen totum est id, quod movet, videlicet subjectum est id *quod*, & Anima id *qua* movetur, nec corpus, benè verò materia est pars.

Deinde aliter cum D. Th. dist. maj. est pars movens per suum esse, nego, per suam vim, seu potentiam motivam, concedo maj. cum min. & nego consequentiam. Movet ita Anima corpus media potentia loco-motiva. Undè duntaxat sequitur, corpus supponi in actu per animam in aliquo priori naturæ antecedenter ad talem potentiam.

Ad 2. Inst. dico, min. esse veram secundùm se, non tamen quòd ad nos, quoniam forma in concreto, sive in subjecto cadit sub sensu, non verò abstractim, cùm abstracta saltem naturaliter non extet. Ea ex re etiam lux definitur ab Arist. quòd sit *actus perspicui*, sive lucidi; qualitas quòd sit *id, qua quales esse dicimur* &c.

Ad 1. Conf. data maj. & min. dist. consequens in hypothesi, quòd Anima esset corpus, concedo secùs, nego conseq. Si namque esset corpus, & non forma, ut veteres illi dixere, cùm nequiret materiam in esse corporis constituere, jam materia aliam per formam deberet constitui in esse corporis, sicque illa in hypothesi essent duo corpora, & extaret corporeitatis forma. Undè retorqueas arg.

Ad Conf. Resp. maj. esse veram ex modo, & usu loquendi, ac significandi, at non quò ad rem.

8. Arg. 3. Nisi in vivente extaret corporeitatis forma, sequetur, ejus in obitu secedente Anima advenire cadavericam formam; sed hoc veritatem non redolet: ergo &c. Prob. min. Si adveniret cadaverica forma, ista foret alia, imò specificè diversa ab illa, quæ præerat in corpore vivo; sed in mortuo remanet eadem numero, quæ in vivo erat: ergo &c. Prob. min. Mutata forma, præcipuè specifica; etiam accidentia mutantur, quia determinata accidentia ad determinatam consequuntur formam; sed sunt eadem accidentia communia in corpore vivo, & mortuo, imò interdum etiam accidentia propria, ut in perempti corpore remanent eædem cicatrices: ergo &c.

Resp. nego min. usque ad ult. syllogismum inclusivè, ad quem dico, satis esse dictum lib. 1. de Gen. & Corrupt. q. 2. art. 2. pervestigando *num in vivente locum habeat forma corporeitatis* §. 3. n. 7. ad 2. arg. quòd accidentia illa sunt duntaxat similia propter rationem in arg. hic adductam. Vid. ibi

Hic tamen opportunam libet considerationem habere, nimirum quòd minùs mirum est, accidentia mortui & vivi esse diversa, quàm quòd una, eademque natura sit viva simul, & mortua, eo modo quo est viva, & mortua; & tamen Scotista fidelis vult, esse eandem in Titio, & Sempronio specificè, licèt non numericè, non obstante, quòd tum specificè tum numericè sit mortua in Titio, dum interdum est in Sempronio mortua. Vide quæ dixi in Logica Syntag. 3. quod fuit de universalibus quæst. 1. art. 2. § 4. in fine.

Et fanè quòd in Viventis corruptione adveniat nova substantialis forma vel Scotista abnuere haud poterit, cum *corruptio unius sit generatio alterius*, sicut è contra, & inductivè in omnibus perspicuum est. Nisi autem cadaverica formam gignatur, quid quæso in viventis corruptione gignetur.

Dices. Cadavera omnia ejusdem sunt speciei; sed si in viventis corruptione introduceretur nova forma non essent ejusdem speciei: ergo non gignitur hujuscemodi nova forma cadaverica. Utraque præmissa est probanda. Prob. maj. Accidentia saltem propria sequuntur ad formam; sed Cadavera cuncta habent accidentia, non tantùm communia, verùm etiam complura propria similia, & ejusdem speciei: ergo &c. Min. quoque prob. Tum quia ad formas speciei ejusdem, concurrunt dispositiones ejusdem speciei; sed vivens decedit interdum nimio ex algore, interdum nimio ex ardore: ergo si &c. Tum quia diversa specie agentia nequeunt eundem specie effectum producere; sed est idem saltem in specie cadaver sive gladio transverberatus, sive febri exustus, sive fulmine ictus &c. intereat Homo: ergo &c.

Resp. 1. nego maj. Ad prob. dist. maj. sequuntur ad formam completam, & perfectam, concedo, incompletam vialem, & imperfectam, nego maj. & omissa min. nego conseq. Equidem cadavera omnia sunt speciei diversæ, non tamen formaliter, sed reductivè. Ratio est quia forma Cadaveris est forma quædam, non perfecta, & completa, sed imperfecta, ac incompleta. Non quidem incompleta in sensu nonnullorum Neotericorum, admittentium formas incompletas non dantes esse simpliciter, & actuabiles per alias, sed sic dicta incompleta, quia per eam nonnisi veluti substitutivè actuatur materia quasi, ut ita dicam, provisionaliter, & pro interim tanquam via ad formam completam & perfectam elementarem. Idcircò cùm istæ formæ non importent propriam speciem, sed reducantur ad illam perfectam, quæ per se intenditur ab agente, etiam Cadavera sunt diversæ speciei reductivè. Pari quodam modo, quo S. Th. q. 3 de pot. art 9. ad 10. docet, Embrionem Hominis antecedenter ad Animam non esse ens perfectum, sed in via ad perfectionem, & hac ratione non esse in genere nisi per reductionem sicut incompletum reducitur ad genus, & speciem completi.

Igitur cùm forma cadaverica sit via ad formam elementarem (saltem per se loquendo, licèt aliquando per accidens ad illam non perveniat, ut in Corpore Christi Domini) si elementum prædominans sit aqua, utpote quia ratione humidi mors occasionatur, reducitur ad speciem aquæ, si est ignis ratione vehementissimi caloris, reducitur ad ignis speciem, &c.

Resp. 2. cum Cajet. omnia cadavera esse ejusdem speciei. Ob idque omissa maj. nego min. Ad prob. primitùs ut nuper, & in lib. de Gen. & Corrup. q 2. art. 2. § 3. ad 2. n 7. Resp. maj. esse veram duntaxat de formis perfectis per se intentis à natura, non verò de illis, quæ intenduntur substitutivè, & propter alias. Deinde dist. maj. loquendo de dispositionibus per se, concedo, de dispositionibus per accidens, nego maj. & distincta min. nego conseq. Immoderatus autem calor disponit per accidens ad cadavericam formam, per se verò disponit ad formam ignis; & immoderatus algor ad terræ, vel aquæ formam. Et sic de cæteris.

Ad 2. prob. posset cum Cajet. negari maj. Quædam siquidem animalia, ut mures, & similia gignuntur tam ex putri, tum ab alio mure. De qua generatione ex putri adversus Atomistas, & Chymicos videri potest Mastrius in lib. de Gen. & Corrup. disp. 8. q 3. folio 435. Præterea Resp. ex dictis 2. Phys. q 4. art. unico §. 3. ad 3. sub finem omnium solutionum, fulmen, gladium, &c. esse causam duntaxat instrumentariam cadaveris productivam; principalem verò esse Cœlum, vel prædominantia elementa.

9. Arg. 4. Ex vi verborum consecrationis ponitur per se sub panis speciebus sacramentalibus Corpus Christi ut constitutum ex materia, & aliqua forma, & non pura materia cum mera organizatione accidentali (ut Arriagæ placet) cùm nullum accidens Thomista velit posse immediatè subjectari in materia; sed non ex Anima: ergo præter Animam alia datur substantialis forma, quæ à Scoto forma corporeitatis vocitatur. Prob. min. Authoritate Concilii Trid. dicentis Animam Christi duntaxat concomitanter poni sub speciebus Eucharisticis propter realem cum corpore conjunctionem; & D. Th. 3. p. q 76. art. 1 ad 2. ergo quod ponitur per se, & formaliter non est corpus constitutum ex corpore, & Anima.

Resp. primitèr instando arg. Quandoquidem etiam in consecratione calicis solus Sanguis per se, & formaliter ponitur; & tamen nec Scotistæ profitentur, Sanguinem habere formam diversam à forma ossium, carnis, &c. ut art. sequenti videbimus: ergo licèt in consecratione panis solum corpus per se, & formaliter ponatur, non sequitur, Corpus Christi per corporeitatis formam constitui. Præterea

Resp. dist. min. non ex Anima ut dante gradum corporis, nego, ut dante gradum viventis, concedo min. & nego consequentiam. Recole dicta q. 1. art. 1. §. 3. ad 2. sub n. 4. Potest autem idem secundùm diversam rationem diversas terminare actiones, ut vidimus 7. Phys. q. 2. art. 1. §. 3 ad 5. arg. sub n. 6. Iterum art. sequenti.

Contra. Quia verbum duntaxat concomitanter ponitur sub Euchàristicis speciebus, dicitur poni ratione solius unionis, non verò identitatis cum corpore Christi: ergo pariter si &c.

Resp. (ultra plures alias solutiones) discrimen esse, quia non per se suapte natura Verbum Divinum ordinatur ad humanitatem; benè verò Anima ad corpus.

Dices. Si in Triduo mortis aliquis Apostolorum consecrasset, idem fuisset terminus conversionis, ac ille, qui

est in

est in Christo vivente; sed tunc non fuisset corpus constitutum ex corpore, & Anima, ut perspicuum est, cùm tunc non foret Anima informatum, ut docet S. Th. 3. p. q. 76. art. 1. ad 2. ergo fuisset eadem illa corporeitatis forma, quæ erat in corpore Christi vivo, & perseverabat in illo. Maj. enitescit. Sicut namque ejusdem rationis est potestas consecrativa, & conversiva, ita ejusdem semper rationis est Sacramentum, adeoque ejusdem semper rationis est etiam terminus.

Resp. dist. maj. in esse termini, concedo, in esse entis, nego maj. dataque min. nego conseq. Idem equidem in esse termini fuisset terminus, quatenus eadem fuisset ratio formalis *sub qua*, nimirum ratio corporis, sub qua Christi corpus attingitur, & quæ à forma etiam cadaverica præstatur. Ad eum modum, quo in Logica tract. 4. q. 3. art 4. §. 3. De pluribus ejusdem relationis terminis diximus; & 4. Phys. quæsito 2. num. 2. de pluribus superficiebus variatis.

Repl. Si Hostia consecrata in cœna fuisset adusque resurrectionis tempus conservata, tunc Christo mortuo idem mansisset Christi corpus in Sacramento; sed non constitutum per Animam; ergo &c. Prob. maj. Tunc sub speciebus Sacramentalibus existeret corpus, quod fuit conversionis terminus: ergo &c.

Resp. eodem modo ut supra dist. maj. mansisset idem in ratione termini, concedo, in esse entis, nego. Vid. S. Th. 3. p. q. 81. art. 4. per totum.

10. Arg. 5 argumento Scoti. Corpus Christi mortuum, & vivum est idem numero; sed unitas compositi habetur per unitatem formæ: ergo eadem erat forma; sed non Anima, nec forma cadaverica, seu diversa: ergo forma corporeitatis. Maj. est D. Th. 3. p. q. 50. art. 5. ex SS. PP.

Resp. primitùs, quòd arg. hoc nimis probat. Siquidem si est idem numero, à fortiori erit idem specie, quæ per individua contrahitur; sed corporeitatis forma dat esse duntaxat genericum, & incompletum per Scotistas: ergo deberet remanere etiam forma dans esse specificum, nimirum Anima.

Deinde ex D. Th. ibidem dist. maj. est idem numero materialiter, & suppositaliter, concedo, formaliter, nego maj. dataque min. nego conseq. In vita, & in morte idem numero dicitur Christi corpus identitate materiæ, & suppositi, ac existentiæ. Suppositum namque terminans humanitatem semper fuit etiam Cadaveri, animæque separatæ unitum.

Contra 1. Christi Corpus in morte non aliam habuit formam: ergo fuit idem formaliter. Prob ant. Tum quia si advenisset nova forma nimirum cadaverica, hanc dimisisset resurgendo, sicque falsa illa esset Damasceni lib. de Fide cap. 27. maxima, *quod semel assumpsit nunquam dimisit*. Tum quia si nova advenisset forma, fuisset nova facta unio, sed non fuit nova facta unio: ergo &c. Maj. clarescit. Unio siquidem advenit per hoc quod humanitas fiat unita; tunc autem fuisset aliquid de novo unitum. Min. verò prob. Si nova fuisse unio facta, nova quoque facta fuisset assumptio; sed neque in S. Scriptura, neque in SS. PP. habetur duplex assumptio: ergo &c. Certè hæc cadaverica forma nusquam fuit à Verbo assumpta, cùm nunquam Deus dicatur Cadaver, licèt mortuus, passus, &c. dicatur. Eò vel maximè quòd Verbum assumpsit humanitatem cum omnibus spectantibus ad illam; forma autem cadaverica ad naturam non spectat humanam, cùm sit hujus destructiva.

Secundò. Christi corpus dicitur à D. Th. illisque PP. idem numero vivum, & mortuum absolutè, & sine addito, uti vel Cajet. ibidem exponit; sed nequit dici tale per hoc, quod sola sit suppositi identitas: ergo &c. Prob. min. triplici paritate. Primò si Verbum Divinum aliam assumpsisset humanitatem diversa cum corpore, & Anima, nequiret dici absolutè, & sine addito eadem humanitas: ergo à pari &c. 2. Quemadmodum compositum substantiale materiam importat, & formam, ita concretum subsistentiale importat suppositum, & naturam; sed non est idem numero compositum simpliciter, nisi eadem numero sit materia, & forma: ergo neque &c. 3. Ex eo, quòd tria supposita in eadem existant Deitate non dicuntur simpliciter tres Dii: ergo pariter licèt idem sit suppositum, dummodo plures sint formæ, non est idem simpliciter, & absolutè corpus.

Resp. nego ant. Ad prob. dico, Damascenum loqui de eo, quod assumpsit per modum permanentis; formam autem cadavericam seu vialem assumpsit per modum transeuntis. Vel de eo, quod assumpsit pertinente ad naturæ humanæ integritatem.

Ad 2. ejusdem ant. prob. nego maj. Ad prob. dist. min. fuisset de novo unitum aliquod ab Anima Christi diversum in esse entis, concedo, diversum in esse termini, nego min. & conseq. Illa namque cadaverica forma successit loco Animæ rationalis. Exemplo illustratur, licèt deficienter. Ex eo, quod vinum in dolio existens mutetur in acetum, dolium non dicitur aliquid de novo assumere, seu recipere, sed retinere illud, quod priùs habebat, & mutatum est. Sic impræsentiarum proportionali quodam modo discurrendum.

Qua ex re habes, quatenus cadaverica forma dicatur ad humanitatem pertinere, adeoque debuisse à Verbo assumi, licèt non pertineret ad integritatem humanitatis. Dicere ni volueris, quòd pertinebat ad humanitatem saltem ratione materiæ.

Ad id autem, quod subdebatur, nimirum, quòd Deus non dicitur cadaver, dico hoc ipso, quòd dicitur mortuus dicitur etiam fuisse cadaver. De hoc vide aliqua in Guerinois.

Nec obest illud Davidis affatum de Christo *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Siquidem vel loquitur de corruptione morali; vel si de physica, intelligitur de corruptione usque in elementa. Quod autem absolutè Christus corruptionem sit passus inficiabitur nemo, Tum quia proprio suo de corpore *solvite*, inquit, *templum hoc & in triduo reædificabo illud*. Tum quia secùs non fuisset mortuus, ut Gajanitarum profitebatur hæresis.

Ad 2. primitùs, nego maj. cùm addat ad ly *idem secundùm suppositum*.

Præterea etiam juxta Cajet. nego min. Ad 1. prob. dato ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est duplex. Primum, quia nulla ex humanitatibus est forma substituta, & veluti provisionalis saltem suapte natura; benè verò cadaverica, ut satis lib. 2. de Gener. q. 2. art. 2. §. 3. ad 2. sub num. 7. & hic ad 3. aliud solet tradi ab aliis responsum præsertim in manuscriptis.

Ad 2. paritatem assignatur disparitas ex doctrina D. Th. 3. p. q. 3. art. 4. ad 2. quia nimirum natura significatur ad modum formæ adjacentis supposito, quasi ad modum, quo vestis adjacet vestito. Idcirco quemadmodum unus, duas habens vestes non dicitur duo homines, sed unus homo duas habens vestes: ita unicum suppositum cum duplici humanitate unus dicitur homo, duas habens humanitates. Cæterùm licèt forma sit adjacens materiæ; tamen materia, & forma non significantur adjacere toti, sed per modum componentis totum, idcirco nisi eadem sit materia, & forma non est idem compositum.

Ad 3. discrimen est, quia ad multiplicationem substantivi requiritur multiplicatio utriusque, nimirum formæ, & suppositi. Ad multiplicitatem verò adjectivi sufficit multiplicitas suppositi cum unitate formæ; ob idque in Divinis verum est, esse tres Divinos, & falsum est, esse tres Deos, quia licèt tria sint supposita, tamen una est forma. Eapropter Christi Corpus dicitur idem vivum, & mortuum, licèt diversa sit forma, quia unicum est suppositum. Similis doctrina fusiùs Deo dante repetenda erit in Theologicis 3. p. in tract. de Incar. q. 8. quæsito ponendo post art. 4. & alio quæsito ponendo post art. 5.

Pro hujus solutionis complemento, ut fiat satis alteri objectioni, quæ alia via solvitur à M. Cavino, adnoto quòd regula illa à nobis in Summulis cap. 6. de appellatione tradita, quamque habet S. Th. p. p. q. 36. art. 7. in fine, nimirum quòd termini numerales applicati terminis substantivis appellant supra formas, & numerant illas, qua ratione in Divinis hæc est hæretica *sunt tres Dii*: applicati verò adjectivis appellant supra supposita, & multiplicant illa; qua ratione hæc est Catholica *in Divinis sunt tres Divini*. Talis inquam regula non valet, nec est intelligenda de formis purè substitutivis, quales sunt cadavericæ saltem comparativè ad illas, quarum sunt substitutæ; quia pro illis computantur; licèt non ita sit, si comparentur inter se, videlicèt plures formæ cadavericæ inter se comparatæ; quia una forma cadaverica non est alterius formæ cadavericæ substituta.

11. Arg. 6. Homo non habet esse corpus per Animam rationalem: ergo per formam corporeitatis realiter distinctam.

ctam. Prob. ant. Anima rationalis est spiritualis, & incorporea: ergo &c.

Si respondeas ex dicendis art. seq. 4. & 5. Animam rationalem esse eminenter corpoream.

Contra est. Si rationalis Anima esset eminenter corporea, esset in se formaliter corporea; sed talis non est, secùs spiritualis non esset: ergo &c. Maj. prob. quia namque Deus est eminenter sapiens dicitur formaliter sapiens: ergo pariter si &c.

Resp. benè ibi. Ad oppugn. nego ant. Ad prob. nego conseq. Anima namque rationalis est eminenter corporea duntaxat *ut quo*; Deus autem est eminenter sapiens *ut quod*. Sanè anima rationalis non est in se Vegetativa, & sensitiva formaliter *ut quod*, & tamen utrumque etiam per Scotistas præbet.

Inst. Forma nequit habere etiam *ut quo* denominationem oppositam suo effectui formali; sed esse spirituale est oppositum ad esse corporeum: ergo &c. Nitet Maj. Non enim potest albedo esse nigra *ut quo*; nec potest Anima rationalis esse irrationalis *ut quo*.

Resp. dist. maj. secundùm rationem differentialem, concedo, secundùm rationem determinabilem, nego maj. dataque min. nego conseq. Responsum nitet ex dictis art. 1. husq §. 3. ad ult. sub n. 10. & ex dicendis art. 5. §. 3. num. 9. ad 3. arg. Albedo autem si contineret esse nigrum, contineret secundùm rationem differentialem, quia nigredo est ratio specifica atoma, non importans excessum supra albedinem, aut è contra, quem importat intellectiva Anima supra vegetativam, & sensitivam; nec nigredo est contractiva albedinis, aut è contra. Præterea disparitas ad hoc patescet art. sequenti §. 3. ad 1. dicendo rationem, ob quam unum accidens nequeat eminenter continère aliud.

Ad id, quod dicitur de rationali, & irrationali, nego assumptum, cùm Anima rationalis ut vegetativa, & sensitiva sit irrationalis *ut quo*.

12. Arg. postremò. Et est fundamentum Henrici. Ubi diversa sunt agentia, diversæque actiones, eadem forma non est terminus utriusque, sed ad Hominis productionem concurrit Deus per creationem Animæ rationalis, & Homo per generationem: ergo non unica est forma. Prob. maj. Omne agens per se habet etiam per se proprium terminum; quapropter 5. Phys. negatur, eandem redire sanitatem propter actionis diversitatem: ergo &c.

Resp. primodùm ex dictis 1. Phys. q. 3. art. 3. §. 3. ad 3. & q. 4. art. 1. §. 3. ad 3. actionem generativam Hominis esse actionem effectivam efficientia purè unitiva, non verò efficientia entitativa. Tunc autem duplex exigitur terminus productus, quando plures sunt actiones efficientes efficientia entitativa. Præterea ex dictis hic ad 4 arg. num. 9. dist. maj. unica forma secundùm eandem rationem nequit esse terminus utriusque, concedo, secundùm diversam rationem nego nisi præcipuè si actiones sit subordinatæ. Sanè si deberent esse formæ in vivente quot causæ sunt, & actiones, multò plures forent formæ; quia præter Deum, & sublunares causas concurrunt etiam causæ universales, Sol, Cœli, &c.

13. Argumenta alia solventur art. seq. 4. Alia à paritate soluta sunt 1. Phys. q. 2. art. 3. ad 4. Quemadmodum namque plures repugnant actus primi, ita plures termini ultimi, nimirum plures existentiæ, & subsistentiæ; & ibidem q. 3. art. ultimo per totum. Vid. ibi

ARTICULUS QUARTUS.

Nam eodem in vivente plures resideant Animæ.

§. I.

1. TRifariam intentari lis ista potest. Primò num eodem in vivente præter Animam totalem sint aliæ diversæ partiales in diversis partibus, puta forma oculi, forma ossis, forma sanguinis &c. Secundò, Num juxta diversos Animæ gradus dentur Animæ realiter distinctæ, puta duæ in Belvis, vegetativa nimirum & sensitiva, tres in Homine etiam, nempe intellectiva, ut non pauci opinati sunt nominales, videlicet Okam, Gabriel, & Paulus Venetus, secuti Avicennam relatum à D. Th. quodl. 11. art. 5. & Platonem, qui autumans, Animam corpori copulari ut purum motorem, tres posuit Animas, vim scilicet nutritivam in Hepate, concupiscibilem in Corde, & cognoscitivam in Cerebro, ut fert S. Th. p. p. q. 76. art. 3. Demum adversus Manichæos, qui duas profitebantur esse Animas; unam à Deo bono, qua ad bonum homo traheretur, aliam à Deo malo, qua ad malum induceretur, ut testatur S. Aug. in lib. de hæresi cap. 4.

§. II.

CONCLUSIO UNIVERSALITER ABNUENS

2. CUm illa cohæret, qua in Posterioristicis tutati sumus, scientiam non componi ex pluribus partialibus habitibus. Et

Prob. 1. quò ad p. p. ratiocinio D. Th. p. p. q. 76. art. 3. Tum quia sunt impossibiles, ceu quæ facerent, & non facerent unum per se, juxta dicta, & probata 1. Phys. q. 3. art. 4. §. 2. num. 3. Tum quia inutiles, ac superfluæ, otiosæque forent. Quod prob. Quandoquidem una, eademque forma superior, & perfectior continet inferiores, & imperfectiores; sed totalis forma est superior, & perfectior cæteris cunctis partialibus: ergo quicquid istæ facere possent, faceret illa, adeoque &c. Maj probat S. Th. exemplo ternarii numeri, qui in quaternario continetur; & exemplo figuræ imperfectioris, quæ in majori continetur, puta tetragonus, idest triangularia figura continetur in pentagono, idest quinquangulari figura: ergo &c. Idcircò quemadmodum superficies non est pentagona per unam figuram totalem, & tetragona per aliam figuram partialem: ita vivens nequit esse intelligens V. G. volens &c. per unam Animam, & per aliam videns, audiens, &c. vel rationale per unam, & vegetativum, ac sensitivum per aliam, vel alias partiales.

Dicere autem, quòd non adest totalis forma ubi aliæ adsunt partiales, est error priori pejor, & refutatur tum eadem paritate, quia quemadmodum extat totalis figura æquivalens pluribus, quæ seorsim acceptæ se habent ut quædam illius partes, ita & totalis forma dari debet. Tum quia ubi extant partes, præcipuè unitæ, datur totum: ergo similiter ubi partiales extant formæ, totalis quoque dabitur forma.

Conf. Tum ab exemplo, tum ab effectibus. Ab exemplo quidem, quia videmus, unicum flatum sufficere ad communicandum sonum omnibus, singulisque fistulis organi musicalis diversos in eis edendo sonos; ergo similiter unica, eademque forma sufficiet ad diversas informandas partes, & ad diversas eliciendo operationes, proindeque supersunt partiales. Ab effectu etiam, quoniam si diversis in viventis partibus diversæ forent partiales animæ, actio unius partis quantumvis intensa non præpediret aliam; sed impedit: ergo &c. Min. in extaticis est perspicua. Maj. prob Actio unius partis non haberetur ex influxu alterius partis: ergo &c.

3. Prob. quo ad 2. p. authoritatibus à D. Th. in arg. *sed contra* productis. Quandoquidem in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 15. sic scribitur: *neque duas animas dicimus esse in homine uno, sicut Jacobus, & alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua informatur corpus, & immixta sit sanguini, alteram spiritualem, quæ rationi ministret. Sed dicimus, unam, & eandem esse Animam in homine, quæ & corpus sua, & semetipsam sua ratione disponit.* Manichæorum autem error confixus est in octava Synodo generali act. 10. can. 1. hisce verbis. *Apparet, quosdam in tantam impietatem venire, ut homines duas habere Animas dogmatizent imprudenter. Talis ergo impietatis inventores, & similia sentientes, cùm vetus, & novum testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres unam Animam rationalem homines habere asseruerint, Sancta, & universalis Synodus anathematizat.*

Prob. præterea omnibus ratiociniis num. prægressu adductis. Et ulteriùs hac ratiocinatione, quam habet S. D. ubi supra. Quodlibet vivens est unicum vivens; sed non esset unicum vivens, si plures in eo Animæ sedem haberent: ergo &c. Prob min. Vivens est unum per animam: ergo &c. Prob. ant. Ab eodem, à quo aliquid habet esse, habet etiam unitatem, vel distinctionem, quæ sequitur ad esse, sed vivens habet esse vivens per animam: ergo &c.

Confirmo. Hujuscemodi animæ vel ejusdem forent, vel diversæ speciei? Sed dici neutrum potest: ergo &c.

Min.

Min. quòd ad p. p. certa est. Ideo namque Adversarius plures in vivente agnoscit Animas, quia plures in eo cernuntur operationes diversæ speciei, adeoque si &c. Quòd ad a. ostenditur; quia prout sic vivens esset Chimæra. Ecquid enim aliud est Chimæra, nisi aggregatum quoddam ex rebus diversæ speciei, nimirum in una ex partibus habens esse Hominis, in alia Leonis, in alia Serpentis, in alia Equi, vel Canis. &c.

§. III.

Argumenta infensorum solvuntur.

4. ARg. 1. Iden à vivente plures depelluntur partiales Animæ, quia totalis forma superior continet eminenter inferiores; sed ratiocinatio ista inconcludens est: ergo &c. Prob. min 1 Quemadmodum forma una est alia superior, ita gradus unus metaphysicus est virtualiter alio superior; sed unus gradus metaphysicus non ita continet alios, quòd non extent plures virtualiter distincti: ergo pariter &c. 2. Quemadmodum una forma est ad aliam superior, ita multò magis substantia est superior ad accidens; sed substantia non ita continet accidens, quod possit formales accidentis effectus præstare: ergo à pari &c. 3 Etiam unum accidens est alio superius, V.G. accidens spirituale comparativè ad materiale; & tamen non ita continet aliud, quod ejus formalem possit effectum præstare: ergo à pari &c. 4. Unus sacramentalis ordo est alio superior, V G. Presbiteratus ordo ad cæteros, & tamen non ita continet eminenter cæteros, quod non requirantur alii realiter distincti; ergo à pari &c.

Conf. Etiam Gratia unionis continet eminenter gratiam habitualem; & tamen in Christo ultra gratiam unionis datur habitualis: ergo à pari &c.

Urgetur. Forma Cœlestis est cunctis sublunaribus perfectior, & tamen non continet eminenter cæteras, secùs posset præstare esse vivens, imò & rationale; ergo falsum est, superiorem formam continere eminenter inferiorem, & imperfectiorem.

Resp. ad 1. nego paritatem. Discrimen est, quia obstaculum alio ex capite extat. Quandoquidem virtualis ipsa graduum multiplicitas est ipsamet physica formæ superioris eminentia; & virtualis inter ipsos gradus distinctio est ipsa eminentialis distinctio, quatenus superior illa forma eminet, ac æquivalet pluribus formis in cæteris inferioribus realiter distinctis. Semel autem posito, quòd unus ex gradibus clauderet in se cæteros, non ultra hæc adesset virtualis distinctio, seu Eminentialis; sicque formæ everteretur eminentia. Idcircò dispar est ratio.

Ad 2. nego quoque paritatem. Iterum namque obstaculum alio se offert ex capite. Siquidem substantia si contineret eminenter accidens, identificaret sibi sua accidentia; quod tamen est impossibile, secùs evaderet actus purus, ut 2. Phys. q. 1. art. unico diximus, & etiam infra q. 3. art. 1. dicemus.

Ad 3. Resp. primodùm ex dictis eodem 2. Phys. q. 1. art. unico discrimen esse, quia esse accidentis non est per se primò intentum à natura, nec accidens est per se primò intentum ut sit, sed est intentum propter operationem.

Præterea Resp. ex dictis antegresso art. § 3. ad 2. inst. 6. arg. n. 11. quòd ad hoc, ut unum aliud contineat debet illud determinare, & contrahere ad suum esse, quemadmodum rationale V.G. contrahit, & determinat animal, & istud contrahit, & determinat vivens. Palam autem est, quòd unum accidens non est alterius determinativum, & contractivum. Qua ex re habes, cur spirituale accidens non contineat eminenter materiale, una superior potentia aliam inferiorem, nec habitus superior inferiorem, & sic de cæteris. Imò nec unus Ordo eminenter alium. Per quod patet

Ad 4. Cui ulteriùs fieri satis potest cum D. Th. in additionibus, sive supplemento ad 3. p. q. 35. art. 5. cui titulus *utrum character unius ordinis de necessitate præsupponat characterem alterius?* Ubi *respondeo*, inquit, *dicendum, quod non est de necessitate superiorum ordinum, quòd aliquis minores ordines priùs habeat, quia potestates sunt distinctæ, & una quantùm est de sui ratione non requirit aliam in eodem subjecto. Et ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores ordines non susceperant, & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, & ducatus in Regno, sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quod ad majores ordines non se ingerat, qui priùs in inferioribus officiis se non humiliavit & inde est, quod qui ordinantur per saltum, secundùm canones non reordinantur, sed id, quod omissum fuerat de præcedentibus ordinibus confertur.*

Cur autem adveniente Anima sensitiva secedat purè vegetativa, & adveniente rationali pereat prior sensitiva, at non superioribus supervenientibus ordinibus abeant inferiores; hoc ideo est, quia suapte natura indelebiles sunt.

Dices. Ideo una forma aliam continet, quia est superior; sed in omnibus præfatis paritatibus importatur suo modo superioritas: ergo &c.

Resp. dist. maj. quia superior est, quia aliàs nullum aliunde se offert impedimentum, concedo, secùs, nego. Ratio adæquata est, quia est superior habens esse substantiale, perfectum, quod est per se à natura intentum, estque determinativa inferioris, & unitur eodem modo perinde ac illa inferior, &c.

Ad conf. dist. ant. & aliàs unitur per modum formæ, sicut gratia ipsa habitualis unitus, nego, secùs, concedo ant. & nego conseq. Gratia siquidem unionis non se habet ut forma, & supernaturalium operationum principium, uti certum est; Idcircò desideratur habitualis gratia ut forma, & principium talium operationum.

Ad id, quo urgetur dist. min. non continet in esse entis, concedo, in esse formæ, nego min. & consequentiam. Equidem non continet in esse entis, qua ratione constituere non valet vivens, sensibile, &c tamen continet in esse formæ (in quo duntaxat esse est perfectior) quatenus perfectè suam satiat materiam, nec alias appetere formas permittit. Ob idque retorqueo arg.

5. Arg. 2. ad idem. Totalis forma componi debet pluribus ex partialibus formis realiter distinctis: ergo &c Prob. ant. Totum componitur ex partibus realiter distinctis: ergo pariter &c. Prob. conseq. Quemadmodum forma totalis est superior ad formas partiales, ita totum est superius ad partes; sed totum non ita continet partes, quod non permittat partes realiter distinctas: ergo pariter &c.

Resp. primitèr retorquendo arg. Quamquam ex partibus realiter distinctis totum componatur; non tamen ex pluribus partialibus totis componitur, nec eodem totali in composito plura extant partialia tota: ergo neque plures partiales formæ. Præterea dato ant. nego conseq. Et discrimen in eo situm est, quod totum est quid compositum; compositio autem fit ex pluribus. Forma verò est quid simplex, & componens, non verò composita. Idcirco iterum retorqueas arg. Adde, quòd partes licèt seorsim sumptæ distinguantur à toto, secùs tamen collectivè acceptæ.

Contra. Manus, oculus, &c. differunt specie: ergo etiam totum compositum componitur ex pluribus totis partialibus. Et

Roboratur. Partes illæ distinguuntur specie: ergo habent formas, seu animas partiales specie distinctas. Prob. ant. Tales partes sunt principium, à quo specie distinctæ operationes proveniunt: ergo specie distinguuntur inter se, quia operari sequitur ad esse.

Resp. ex D. Th. tum p. p. q. 76. art. 5. ad 3. tum p. 2. q. 72. art. 7. dist. ant. differunt specie accidentali, concedo, essentiali, subdistinguo, incompleta, concedo, completa, nego ant. & conseq. Manus quippe, oculus, caro, ossa &c. non sunt in specie, inquit S. Th. sed solum totum est in specie; Idcircò propriè loquendo dici nequit, quòd sunt diversarum specierum, sed quòd sint diversarum dispositionum, quas exigit Anima rationalis ratione multiplicis suæ virtutis ad diversas operationes eliciendas. Ob idque dici possunt differre specie duntaxat accidentali, quatenus dispositiones inter se specie diversas habent; vel ad summum quòd differant specie essentiali incompleta, secùs homo esset chimæra, ut dicebamus n. 3. in fine.

Contra operationes ab illis provenientes sunt inter se specie essentiali completa distinctæ: ergo & illæ partes &c. Præterea si sunt specie essentiali incompleta distinctæ: ergo plures aderunt Animæ incompletæ specie essentiali incompleta: quemadmodum si forent specie essentiali completa distinctæ darentur plures formæ completæ.

Resp. nego conseq. quia una, eademque Anima, seu virtuali-

tualiter multiplex, potest elicere operationes specie essentiali completa distinctas, ut enitescit ex dictis num. 2. Similiter propter sui eminentiam præstat quicquid præstarent plures Animæ incompletæ, ut ibidem vidimus.

Dices S. Th. p. p. q. 11. art. 2. ad 2. docet, quod in toto heterogeneo quælibet pars caret forma totius: ergo &c.

Resp. interpretando S. D. cum distinctione: caret forma denominationis totius, concedo, forma constitutionis, nego ant. & conseq. Assignat ibi S. Th. differentiam inter totum homogeneum, quod componitur ex partibus similibus; & totum heterogeneum, quod componitur ex partibus dissimilibus, in hoc, quod partes heterogeneæ carent forma totius, quatenus (subdit ipse) nulla pars Domus est Domus, nec aliqua pars Hominis est Homo. En quomodo partes carent eadem denominatione totius, quam tamen obtinent partes homogeneæ; quælibet namque pars ligni est lignum, quælibet pars aquæ est aqua, &c. Non autem intendit D. S. partes constitui per diversas formas partiales, quia, ut vidimus, sicut una, eademque Anima propter sui eminentiam diversas potest operationes elicere, ita & diversis in partibus diversas potest dare denominationes.

6. Arg. 3. ad idem. Forma constitutiva Sanguinis Christi in esse Sanguinis est diversa ab Anima: ergo in Christo præter totalem extat partialis forma. Prob. ant. Ex vi verborum consecrationis vini ponitur forma Sanguinis, & non Anima: ergo &c. Prob. ant. Verba illa ponunt, quod significant; sed solum significant Sanguinem, & non Animam: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. ex dictis retroacto art. §. 3. ad 4. num. 9. dist. ant. quò ad 2. p. & non Anima ut forma constitutiva Sanguinis, nego, ut constitutiva totius, & cæterarum partium, concedo ant. & nego conseq. sub speciebus itaque Sacramentalibus vini totus ponitur Christus, adeoque Anima, caro, ossa &c Hoc tamen modo; nimirum formaliter, & per se primò ponitur solus Sanguis, & Anima ut constitutiva Sanguinis in esse Sanguinis.

Dices. Anima non est constitutiva carnis in esse carnis: ergo nec est constitutiva Sanguinis in esse Sanguinis. Prob. ant. Christus est perfectus Homo ex Anima rationali, & humana carne subsistens (ut in symbolo, qui Athanasii creditur) tanquam duobus extremis totum componentibus Hominem; sed caro nequiret esse extremum ab Anima distinctum, si per Animam constitueretur: ergo &c. Prob. min. De ratione unius extremi est esse constitutum seorsim ab alio; sed si Anima constitueret carnem in esse carnis, caro non esset constituta seorsim ab Anima: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob primodùm dici posset, esse extrema duntaxat ex modo significandi. Præterea, nego min. Ad prob. dist. maj. de ratione extremi simpliciter talis, concedo, secundùm quid talis, nego maj. & data min. nego conseq. Caro siquidem comparatur ad Animam ut extremum secundùm quid, & cum addito, nimirum constitutum per ipsam, sumendo subjectum formatum: ad eum modum, quo si diceretur, mensurabile esse constitutum ex quanto, & quantitate, quantum non est extremum propriè, sed duntaxat impropriè, ut constitutum per quantitatem.

7. Arg. 4. contra 2. p. Philosophus 2. de Generatione animalium cap. 3. docet, quòd Embrio priùs est animal, quàm Homo; sed animal constituitur per Animam sensitivam, & Homo per Animam intellectivam: ergo in Homine est Anima sensitiva realiter ab intellectiva distincta.

Resp. ex dictis art. antegresso §. 3. ad 2. num. 7. data maj & min. nego conseq. quæ ad hoc, ut argumentum esset in forma debebat sic inferri: *ergo in Homine priùs est sensitiva, quàm intellectiva Anima*. Sed illa perit. Sic exponit p. p. q. 76. art. 3. ad 3. S. Tho. qui videri potest, etiam q. 118 art. 2. ad 2.

Contra. Anima intellectiva nequit esse sensitiva: ergo illa adveniente remanet ista. Prob ant. Anima intellectiva est incorruptibilis, & vegetativa est corruptibilis; sed nequit eadem res esse corruptibilis, & incorruptibilis: ergo &c.

Resp. primitèr, Animam intellectivam esse corruptibilem, divisibilem, augmentabilem, &c. *ut quo*, licèt non *ut quod*, quemadmodum antreacto art. §. 3. ad 6. num. 11. dixi esse corpoream *ut quo*. Præterea ex D. Th. p. p. q. 76. art. 3 ad 1. dist. maj. quò ad 2. p. sensitiva, & vegetativa est corruptibilis si sit purè vegetativa ut in plantis, aut purè vegetativa, & sensitiva, ut in Belvis, concedo, si etiam sit simul intellectiva ut in Homine, nego. Sic etiam dicimus, quòd Anima, quæ est purè vegetativa, aut sensitiva educitur de potentia, secùs quæ est simul intellectiva, ut idem habet S. Th. quodl. 11. art. 5.

Dices. Anima vegetativa, & sensitiva dependet à corpore, ratio verò non dependet à corpore: ergo non sunt idem.

Resp. primitùs ex dictis 1. Phys. q. 3. art. 3. sub num. 13. ad 5. sub finem, posse optimè Animam rationalem dependere à corpore quò ad operationes, quæ non sunt propriæ illius ut rationalis est, sed duntaxat quatenus eminenter formaliter vegetativa, & Sensitiva est, & non dependere quò ad operationes, quæ sunt propriæ illius ut rationalis formaliter. Præterea ex ibidem dictis ad conf. ult. arg §. 4. num. 14. dist. ant. Vegetativa, & Sensitiva dependet à corpore ex suppositione, quòd velit tales operationes elicere, concedo, absolutè, nego. Vid. ibi.

Inst. Homo, & animal sunt ejusdem generis; sed si Anima sensitiva in Homine esset incorruptibilis, & in Bruto corruptibilis, Homo, & Brutum non essent ejusdem generis: ergo &c. Min. est Arist. qui 12. Meth. cap. 7. ubi dicit, corruptibile, & incorruptibile non sunt ejusdem generis.

Resp. nego min. Ad prob. primitèr ex dictis lo lib. de Cœlo q. 1. art. 3. §. 5. sub num. 3. Resp. Arist. loqui de genere physico. Præterea cum D. Th. satis esse, quòd totum, idest totus Homo sit corruptibilis, ad hoc, ut sit cum Belvis ejusdem generis.

8. Arg 5. Anima rationalis non est affixa organo corporeo, benè verò sensitiva, & Vegetativa: ergo nequit eadem esse in Homine Anima.

Resp. primitèr ex nuper dictis dist. ant. benè vero &c. ex suppositione, concedo, absolutè, subdistinguo, si sit duntaxat Vegetativa, aut sensitiva, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Præterea cum aliis dist. ant. quò ad p. p. non est affixa, hoc est penitùs immersa in materia, concedo, idest non intimè unita, & communicata materiæ, nego ant. & conseq. Anima namque rationalis est vera corporis forma; idcircò prout unita corpori dicitur affixa organis corporeis tanquam eorum substantialis forma. Eapropter est quidem independens à corpore in intelligendo, & volendo; tamen habet esse unitum eidem corpori tanquam forma.

Dices. Ab uno, eodemque principio nequeunt esse potentiæ contrariæ; sed in Homine extant potentiæ contrariæ, cùm sensus contrarietur rationi: ergo &c.

Resp. dist. maj. si sit unum, & idem cùm formaliter, tum virtualiter, concedo, si sit multiplex virtualiter, nego maj. & data min. nego conseq. Quemadmodum namque una, eademque potentia, nimirum voluntas potest elicere actus contrarios, nempe amoris, & odii, ita multò magis eadem Anima valet radicare potentias inter se diversas. Eò vel maximè quòd, ut diximus, est eminenter multiplex.

Qua ex re infero, quòd Vegetativum, & Sensitivum ex sui ratione formali ut sic non dicit positivè esse corruptibile, educi, dependere à materia, &c. sed duntaxat negativè, permissivè per puram non repugnantiam.

9. Arg. postremò. Plures species intelligibiles coexistunt in eodem intellectu: ergo & plures Animæ in eodem vivente. Prob. conseq. Quemadmodum Anima dat subjecto esse vivens, sic species intelligibilis actuat intellectum, eique dat actuale esse in linea intentionali: ergo si &c.

Si respondeas ex dictis 1. Phys. q. 3. art. 4. §. 3. species illas se habere per modum unius.

Contra est. Ergo licèt plures formæ disparatæ nequeant eidem coincubare subjecto, ut ibidem dicebatur; benè tamen plures formæ, & Animæ subordinatæ, ac per modum unius coordinatæ. Eapropter hac solutione missa

Resp. ad arg. dato ant. nego conseq. Ad prob. nego paritatem. Discrimen est, Tum quia forum intentionale, seu magis elevatum majori gaudet amplitudine, quàm forum entitativum, ad quod spectant formæ substantiales, seu Animæ. Tum quia, ut hìc ad 1. num. 4. diximus, nequit unum accidens eminenter aliud continere, benè verò una forma substantialis continere eminenter aliam. Cujus ratio assignata est ibi. Tum denique (& satiùs) quia forma intentionalis, nimirum species dat esse, non simpliciter, sed duntaxat secundùm quid, ac diminutum, nempe dun-

taxat

taxat intentionale, quod vel est esse accidentale, vel reducitur potiùs ad esse accidentale, quàm substantiale, etiam in iis, in quibus species est substantia.

ARTICULUS QUINTUS.

Num forma superior contineat eminenter formaliter inferiores.

§. I.

1. EX præhabitis antegresso art.1. §. 2. n.2. & §.3. n.4. satis innotescit, formam superiorem continere inferiores, imò eminenter continere. Dubitatio impræsentiarum emergit, num contineat eminenter formaliter. Pro quo

Scito, quòd duplex est continentia; formalis una, virtualis altera. Prima est, qua unum continet aliud, taliter quod ei conveniat definitio, & esse formale contenti. Sic Deus dicitur continere sapientiam, scientiam, cæterasque perfectiones simpliciter simplices, quæ sui in conceptu imperfectionem non dicunt. Secunda est, qua unum continet aliud duntaxat in virtute, hoc est habet virtutem illud causandi, & producendi.

Præterea formalis continentia duplex est, una formalis tantùm, & alia formalis eminentialis. Prima est, qua unum continet aliud secundùm ejus rationem formalem illa cum perfectione, vel imperfectione, quam ex se exigit, nullam majorem perfectionem addendo, quemadmodum Homo cotinet humanitatem, album continet albedinem, calidum continet calorem, &c. Secunda est, qua unum continet aliud secundùm esse formale cum majori tamen perfectione, & seclusa imperfectione; quam aliud habet in inferiori. Sic Deus omnes continet creaturarum perfectiones. Ubi namque in creatis intellectus, sapientia, scientia, &c. sunt accidens, suntque realiter inter se distinctæ, in Deo sunt substantiæ, & realiter inter se, atque cum Deo identificatæ.

Similiter continentia virtualis alia est virtualis tantùm, & alia virtualis eminentialis. Prima est, qua unum continet aliquid per modum causæ univocæ, vel quomodocunque non excedentis effectum; quo pacto, leo continet virtualiter alium leonem, Unus homo alium hominem à se generabilem. Hoc etiam modo motus continet terminum, semen fructum. Secunda est, qua unum continet aliquid quatenus illud in perfectione superexcedit, illudque potest excellentiori modo præstare. Sic Deus dicitur continere hominem, creaturas, omnesque causas secundas: sol etiam dicitur continere calorem. Vel etiam contingit continentia hæc, quoties unum altiori modo alteri æquivalet. Sic mixta, saltem viventia dicuntur continere virtualiter elementa. Animal siquidem modo perfectiori quam ignis calorem possidet, quia in animali saltem instrumentaliter generat carnes, secùs in igne. Mixta autem non viventia dicuntur continere virtualiter duntaxat elementa, quia equidem illis æquivalent, sed imperfectiori potiùs, quàm perfectiori modo.

Qua ex re deprehenditur, factam modò esse divisionem continentiæ actualis, at non potentialis, qua universale dicitur sua continere inferiora, vel materia continere formas. Deprehenditur etiam non esse idem continere virtualiter, & continere eminenter, licèt pro eodem usurpentur non infrequenter.

2. Tres extant sententiæ. Prima propugnat, formam superiorem continere inferiorem duntaxat eminenter virtualiter, V. G. Animam rationalem continere vegetativam, & sensitivam, inquantum virtutem habet producendi earum effectus, licèt majori aliqua cum perfectione. Sic Cajet. hic cap.2. & p. p. q.76. art.4. Javellus pariter hic, Toletus.

Secunda defensitat, continere formaliter tantùm, idest nullâ absque majori perfectione. Hanc tenet Suarez lib. 1. de Anima cap.6. n.7. & Scotista nonnemo.

Tertia, quam universi tuentur Thomistæ, & exteri non pauci, inter quos Ruvio, est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Forma superior continet formas superiores formaliter eminenter.

3. HAuritur ex utriusque Magistri doctrina. D. Th. quidem p. p. q. 76. art.3. ubi paritatem inducit de figura, & de numeris; sed figura pentagona continet tetragonam, & tregona trigonam; sicut etiam numerus quaternarius continet ternarium formaliter, ut conspicuum est; & etiam eminenter, quia in Figura pentagona non adest limitatio ad quatuor angulos, nec in tetragona ad tres angulos, sicut est in Trigona. Aristotelis etiam. Siquidem exemplum de Pentagono hausit D. Th. ex Arist. hic tex. 31. ut S. D. testatur tum ibi, tum quodl. 1. art.6. imò etiam exemplum de numeris hausit ex eodem 8. Meth. ubi species assimilat numeris, qui differunt specie secundùm, additionem, vel subtractionem.

4. Prob. 1. quò ad p. p. Tunc aliquid dicitur in alio contineri formaliter, quando continetur secundùm suum esse formale, sive secundùm suam rationem formalem, sed Anima superior V. G. rationalis continet inferiores, puta Vegetativam, & sensitivam secundùm earum esse formale, idest secundùm earum rationem formalem: ergo &c. Maj. enitescit ex dictis n. 1. Min. prob. Tunc unum continet aliud secundùm esse formale, quando illi convenit definitio istius; sed Animæ rationali convenit definitio animæ Vegetativæ, & sensitivæ: ergo &c. maj. patescit inductivè; Ob idque quia sol V. G. continet calorem, non formaliter, sed duntaxat virtualiter, vel eminenter non convenit ipsi caloris definitio, nec dicitur formaliter calidus, uti verificatur de igne, & cæteris, quæ continent calorem formaliter: sicuti quia Deus continet duntaxat virtualiter, aut eminenter Angelum, Hominem, &c. non convenit illi definitio Hominis, Angeli &c. Min. verò prob. Vegetatrix Anima vel definitur cum Arist. quod sit *generativum talis, quale est ipsa*, vel applicando definitionem Animæ in communi, dicendo, quod est *principium formale quo nutriendi, augendi, & generandi*; & sensitiva, quod sit *principium formale quo sentiendi*; sed hæc cuncta verificantur de Anima rationali, ut planum est: ergo &c.

5. Prob. 2. quò ad eandem p. Anima rationalis constituit totum compositum formaliter, & non tantùm virtualiter vegetativum, & sensitivum: ergo in se est formaliter vegetativa, & sensitiva Ant. ex eo est manifestum, quod Homo non minùs vegetativus, & sensitivus est, ac sit rationalis, cùm ejus adæquata essentia sit esse animal rationale, & animal non sit, nisi vivens sensibile; Homo autem est formaliter rationalis per Animam rationalem. Conseq. prob. Anima rationalis quemadmodum constituit compositum rationale, ita constituit illud vivens sensibile; sed non posset dare esse formaliter rationale, nisi esset formaliter rationalis, secùs & dicere quis posset eam esse duntaxat virtualiter rationalem: ergo nec posset constituere formaliter vegetativum, & sensitivum, nisi &c.

Conf. ex discrimine, quod intercedit inter intrinsecam & extrinsecam causam. Forma nequit dare, nisi quod in se formaliter habet; sed Anima dat esse vivens sensibile: ergo &c. Prob. maj. Effectus formalis formæ non est, nisi forma ipsa communicata; sed nulla res potest non esse formaliter suamet entitas: ergo &c. ad differentiam causæ efficientis, quæ causat per suæ virtutis extra-missionem.

6. Prob. quò ad 2. p. Tum quia Vegetativum, & sensitivum in Homine sunt realiter identificata cum esse perfectiori, nimirum cum esse Animæ rationalis, adeoque habente esse perfectius. Tum quia in Plantis, & Belvis sunt realiter distincta, habentque inter se oppositionem; In Homine vero exercent oppositionem. Tum quia Vegetativum in Belvis operationes habet perfectiores, ac in Plantis: Pariter sensitivum in Homine est principium discurrendi saltem materialiter circa singularia, ut de Phantasia diximus in Logica Syntag. 2. art. 4. & etiam principium ridendi, flendi, &c. ergo Vegetativum in sensitivo, & sensitivum in rationali continetur eminenter. Tum demum quia ratio Vegetativi, & sensitivi se habent ut rationes genericæ determinabiles, nimirum Vegetativum est contrahibile, & determinabile per sensitivum in Brutis, & non sensitivum in Plantis: sicut & sensitivum per rationale in Homine, per

hinnibile in equo, per rugibile in Leone; sed ratio generica intrinsecè perficitur per sui differentiam contractivam: ergo &c. Verùm ultima hæc verba (quamquam eis communiter nostrates utantur) urgere minimè videntur; eò quia differentia metaphysica videtur perficere duntaxat metaphysicè, maximè verò, quia ex eis sequeretur, sensitivum contineri eminenter etiam in equo, Leone, &c. cum vel in istis contrahatur per differentiam.

§. III.

Adversa solvuntur argumenta.

7. ARg. probando absolutè, Formam superiorem non continere inferiorem omnibus argumentis solutis tum art. prægresso, tum art. 2. §. 3. ad 6. Vid. ibi.

Arg. 1. contra p. p. Ideo anima V. G. rationalis continet formaliter vegetativum, & sensitivum, quia est principium *qua* constituendi hominem formaliter vivens sensibile; sed ad hoc sat est, quòd contineat virtualiter tantùm: ergo &c. Prob. min. Rationalis Anima est principium non minùs constituendi Hominem in ratione mixti, quàm constituendi illum viventem sensitivum, sed sufficit continere elementa duntaxat virtualiter: ergo à pari &c.

Resp. nego min. Ad prob. dico discrimen esse, quia Vegetativum, & sensitivum sunt formaliter in Homine; at elementa sunt duntaxat virtualiter in mixto, ut conspeximus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 8. art. 2.

Contra. Quamquam elementa sint tantummodo virtualiter in mixto; tamen Homo dicitur formaliter quid mixtum; sed ad hoc, ut sit formaliter quid mixtum sat est quòd contineat virtualiter solummodo elementa: ergo pariter, ut sit formaliter Vegetativus, & sensitivus sat est, continere duntaxat virtualiter vegetativum, & sensitivum.

Resp. retorquendo arg. Etenim quia non formaliter elementa continentur in Homine, Homo, sicut & cætera mixta non dicitur elementum formaliter: ergo pariter si duntaxat virtualiter ejus Anima contineret Vegetativum, & sensitivum, homo non diceretur formaliter vivens sensitivum. Et inde clarum habetur discrimen, & argumenti dissolutio.

Præterea data maj. dist. min. sat est quòd contineat virtualiter cùm elementa, tum elementares qualitates, nego, secùs, concedo min. & nego conseq. In mixto siquidem quamquam non existant formaliter substantiales formæ elementorum; sunt tamen in eo formaliter qualitates elementares, nimirum calor, frigus, humiditas, & siccitas, licèt attemperatæ; quæ sunt virtutes quædam elementares.

Inst. Elementa constituunt formaliter mixtum; & tamen in se non sunt formaliter quid mixtum; benè verò simplex: ergo Anima tametsi, &c.

Resp. dist. ant. & aliàs continentur in aliquo, quod est formaliter eminenter mixtum, concedo, secùs nego ant. & conseq. Elementa quippe continentur virtualiter in Anima, quæ est formaliter *ut qua* eminenter mixta: quemadmodum art. 2. diximus §. 3. esse formaliter eminenter corpoream, vegetativam, & sensitivum. Idipsum dic suo modo de aliorum mixtorum formis. Quare autem anima non contineat formaliter elementa etiam *ut quo*; Hoc ideo est, quia non dat esse formaliter elementum, licèt det esse formaliter mixtum.

8. Arg. 2. Quod est duntaxat virtualiter tale potest facere formaliter tale: ergo ad hoc, ut anima constituat hominem formaliter vegetativum, &c. Prob. ant. Sol est tantùm virtualiter eminenter calidus; & tamen facit formaliter calidum; ergo &c.

Resp. ex jam dictis num. 5. in Conf. dist. ant. loquendo de causa efficienti, concedo, de causa formali, nego.

Dices. Distinctio tantùm virtualis sufficit ad verificanda contradictoria formalia; & tamen est causa formalis talis verificationis. Similiter punctum est solùm virtualiter divisibile; & tamen potest rem formaliter divisibilem terminare: ergo &c.

Resp. ad 1. nego ant. quò ad 2. p. ut namque in Logica Syntag. 3. q. 2. art 4. §. 3. sub num. 10. ad 1. inst. factam contra resp. ad 1. arg. diximus, distinctio virtualis in genere causæ efficientis facit contradictoria verificari. Ad 2. dico, discrimen esse, quia cùm punctum sit divisibile virtualitat terminativè duntaxat, non dat esse divisibile, ut 6. Phys. diximus. Anima autem rationalis dat homini esse vivens sensibile. Idem dicemus infra art. sequenti §. 3. ad 7. de existentia formæ divisibilis.

9. Arg 3. ad idem. Una species nequit continere formaliter aliam; sed sensitivum, & rationale distinguuntur specie inter se; ergo &c. Prob. maj Species siquidem sunt inter se oppositæ.

Resp. primitùs, quòd arg. si quid probat, nimis probat. Siquidem probaret, non solùm, quòd anima rationalis non sit formaliter Vegetativa, & sensitiva, sed etiam quòd neque Homo sit formaliter Vegetativus, & sensitivus. Præterea dist. min. distinguuntur specie sumptis Vegetativo, & sensitivo, ut contractis per differentias specificas, concedo, secundùm rationem genericam determinabilem, nego min. Vide tum art. 1. §. 3. ad ult. arg sub 10. num. tum art. 3. §. 3. sub num. 11. ad 6.

Contra ex Cajet. Si rationalis anima contineret sensitivum secundùm rationem genericam, & sensitivum contineret sic Vegetativum, rationalitas foret differentia contractiva sensitivi, & sensitivum differentia Vegetativi; sed id propugnari minimè potest: ergo &c. Prob. min. Si rationalitas esset differentia sensitivi, & sensitivum vegetativi, rationalitas esset taleitas sensitivi, & sensitivum taleitas vegetativi, sed hoc propugnari nequaquam potest: ergo &c. Prob. min. Quemadmodum vegetativum, est quid communius, & universalius, adeoque magis determinabile quàm sensitivum, & sensitivum, quàm rationale, ita vegetatio est universalior, & communior, quàm sensatio, & sensatio, quàm intellectio; sed intellectio non est taleitas sensationis, nec sensatio taleitas vegetationis; ergo à pari &c.

Conf. Nulla superior differentia (ut communiter in Logica docetur) continet formaliter inferiorem V. G. differentia rationalitatis rationem formalem sensitivi, cùm gradus inter Metaphysicos distinctio intercedat virtualis exclusiva: ergo pariter nec superior forma continet formaliter inferiorem.

Resp ad arg nego min. Ad prob. nego iterum min. Ad prob. dist. maj universalitate puræ extensionis, concedo, universalitate prædicationis unius de alio, nego maj. dataque min. nego conseq. Ut unum se habeat ut differentia, & taleitas alterius opus est, illud de isto prædicari, non quidem in sensu formali, & veluti abstractivo, secùs valeret dici, *animalitas est rationalitas*, sed realiter, cùm dici optimè valeat *animalitas in homine est realiter rationalitas*. Quamvis autem vegetatio sit universalior sensatione, & sensatio intellectione, universalitate puræ extensionis, quatenus in plùs patet, nimirum pluribus convenit sensatio, quàm intellectio; tamen nequit una de alia realiter prædicari, dicendo *Vegetatio in Bruto, & homine est realiter sensatio, & sensatio in Homine est realiter intellectio*. Quare autem Vegetativum, & sensitivum in Homine realiter identificentur cum rationali, quamquam non identificentur vegetatio, sensatio, ac intellectio. Ratio est, quia major unitas est in principio, quàm in effectu, cùm ab eodem principio plures effectus realiter distincti quotidie proveniant.

Ad conf. Responsum est art. antegresso §. 3. num. 4. ad 1. prob. in 1. arg. Præterea aliud assignatur discrimen, quia differentia superior metaphysicè componit cum alia differentia inferiori, totum constituendo metaphysicum. At physica forma constituendo totum physicum componit physicè, non cum alia forma inferiori; sed duntaxat cum materia.

Arg 4. contra 2. p. arg. soluto ibidem art. præcedenti ad 1. Vid. ibi.

10. Arg. 5. adversus 2. p. Vegetativum est idem in Planta, Bruto, & Homine: ergo non continetur eminenter in Bruto, & Homine. Prob. ant. Ratio Vegetativi est dare augmentum; sed tam in Planta, quàm in Belva, & Homine dat augmentum: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob dist. maj. ratio adæquata, nego, inadæquata, concedo maj. cum min & nego conseq. Vegetativum itaque importat, non solùm hoc, quòd est dare augmentum, verùm etiam nutrire, & generare. Et quia nutritio non eodem modo est in Homine, & Bruto, ac in Planta, cùm in planta non aggenerentur carnes, benè verò in homine, & Bruto, idcirco Vegetativum in Homine, & Bruto est perfectius, seu perfectiores habens operationes.

Qua

Qua ex re infero, quòd Vegetativum in Homine, & in Bruto est diversæ speciei à Vegetativo, quod est in Plantis: necnon sensitivum in Homine est diversæ speciei à sensitivo in Brutis. Admonitum tamen lectorem velim, me loqui de specie, non metaphysica, sed physica. Metaphysicè namque ejusdem sunt speciei subalternæ, secùs non essent unum genere Homo, & Brutum in animalitate; nec Homo, & Belva, ac Planta convenirent univocè in esse Vegetativo. Eò vel maximè quod metaphysicè unum ab alio præscindit, nec unum est alterius metaphysicè perfectivum, ut dictum est anteacto art. §. 3. ad 1. prob. in 1. arg. de quo iterum num. sequenti ad 6. arg.

Dices contra hoc 1. Phantasia licèt in Homine per conjunctionem ad intellectum perficiatur, & elevetur supra Phantasiam Equi; tamen ejusdem est speciei in Homine, & Equo: ergo pariter Vegetativum licèt perficiatur, adhuc &c. Ant. quòd ad utramque p. planum est. Quò ad 1. quidem quia Phantasia in Homine est discursiva. Quò ad 2. etiam. Quandoquidem potentiæ sensitivæ externæ communes Homini, & Equo sunt ejusdem speciei: ergo & interiores, inter quas supputatur Phantasia.

Secundò. Calor in animali quamquam perficiatur, & elevetur supra calorem V. G aquæ non tamen est diversæ speciei à calore aquæ: ergo pariter &c.

Resp. ad 1. primitèr omisso ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia major illa perfectio in Homine est purè materialis, cùm juxta complurimos etiam in Homine Phantasia sit duntaxat materialiter discursiva. Præterea, nego ant. quòd ad 2. p. & dico, Phantasiam esse diversæ speciei in Homine, & in Belvis. Ad oppugn. dato ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia interiores potentiæ sunt proximiores intellectui, magisque ad illum accedunt.

Ad 2. prob. nego conseq. & paritatem. Situm in eo discrimen est, quia calor in animali elevatur ut purum instrumentum ad carnis productionem.

11. Arg. 6. Si Vegetativum in sensitivo, & sensitivum in rationali contineretur eminenter, perficeretur essentialiter, adeoque foret specie diversum; sed hoc non: ergo &c. Prob. min. Sensitivum si diversæ esset speciei in Homine, & in Bruto, radicaret potentias in utroque specie distinctas; sed has non radicat: ergo &c. Maj. enitescit, quoniam potentiæ sequuntur ad essentiam: ergo ad diversam specie essentiam diversæ specie potentiæ. Min. prob. siquidem complures potentiæ sensitivæ sunt ejusdem speciei in Homine, & in Brutis.

Conf. Si rationale perficeret sensitivum, potentiæ sensitivæ forent in Homine perfectiores, ac in Brutis; sed non sunt perfectiores; imò imperfectiores sunt: ergo &c. Prob. min. Bruta perfectiores sortiuntur operationes sensitivas, quàm Homo, undè ortum habuit vulgatum illud

Nos Aper auditu, Lynx visu, Simia gustu
Vultur odoratu, præcedit Aranea tactu

Urg. Si in Homine ultra sensitivum genericum extaret specifica perfectio ordinis sensitivi, hæc specifica perfectio esset differentia ultima Hominis; sed hoc non: ergo non differunt specie. Prob. min. Quandoquidem hoc posito extaret duplex differentia specifica Atoma in Homine, nimirum talis specifica perfectio sensitivi, & ipsa rationalitas.

Resp. ad arg. dist. maj. loquendo de potentiis sequentibus differentialem ad gradum, concedo, ad gradum genericum, nego maj. & distincta min. nego conseq. Animadverte, quòd potentiæ aliæ consequuntur ad gradum genericum sensitivi, ut sunt tactus, visus, auditus &c. & istæ sunt in omnibus ejusdem speciei. Aliæ ad gradum sequuntur differentialem. Et istæ diversis in animalium speciebus sunt specie diversæ. Sic potentia V. G. ad latrandum sequens ad esse specificum Canis est diversa specie à potentia ad rugiendum secuta ad esse differentiale Leonis: ita etiam potentia ad ridendum, flendum, &c. secuta ad esse sensitivum differentiale Hominis est specie diversa ab aliorum potentiis.

Ad Conf. primitèr dico, maj. & min. esse veram de potentiis sensitivis secutis ad esse sensitivum differentiale Hominis. Deinde, nego min. Ad prob. dicatur, id esse non per se, sed duntaxat per accidens, & ab extrinseco ex aliqua meliori dispositione extrinseca potentiæ, licè intrinseca organo.

Ad id, quo urgetur, si respondeas cum plerisque in m. f. ipsammet rationalitatem esse differentiam Atomam sensitivi Hominis.

Contra est, quia cùm potentiæ ad ridendum, flendum, &c. sequantur ad esse specificum sensitivi Hominis, jam sequeretur ad rationalitatem, sicque rationalitas ut talis esset principium ridendi, flendi, &c. cùm tamen ut talis sit principium duntaxat intelligendi, volendi, &c. Aliter igitur

Resp. dist. maj. Si extaret specifica perfectio metaphysica, concedo, physica tantùm, nego maj. & data min. nego conseq. Ut namque num. præcedenti 10. diximus, sensitivum Hominis, & sensitivum Bruti distinguuntur specie, non metaphysica, sed physica tantùm. Ad hoc autem non desideratur differentia specifica, sed habetur per hoc tantùm, quod ipsum sensitivum realiter identificetur physicè cum rationali.

12. Arg. postremò contra utramque p. ex D. Th. p. p. q. 76. art. 4. ubi scribit, Animam rationalem continere virtute formas inferiores: ergo per S. Doctorem continet virtualiter, non verò formaliter eminenter.

Resp. cum Jo: à S. Th. quòd persæpè ly *virtualiter* sumitur pro eminenter. Et sic sumitur à D. Th.

Nec inde sequitur, continere duntaxat eminenter. Non, inquam, quia non dicit virtualiter tantùm, sive eminenter tantùm; & aliàs de ejus mente constat ex dictis num. 3.

13. Collige ex dictis, quomodo Anima rationalis possit constituere Hominem sensitivum, & vegetativum etiam, *ut quod*. Nam licèt seorsim inspecta sit vegetativa, & sensitiva *ut quo* duntaxat; tamen collectivè sumpta cùm materia est talis *ut quod*, quemadmodum prout sic est ipsum totum *ut quod*, potens proinde constituere totum *ut quod*.

ARTICULUS SEXTUS.

Num extent Animæ divisibiles in partes integrales, & quæ.

§. I.

1. ANimæ duntaxat sensitivæ in titulo nominantur, & meritò. Quandoquidem exploratum apud cunctos contra Cleantem, Chrysippum, aliosque veteres Philosophos est, Animam intellectivam esse indivisibilem; cùm non tantùm sit spiritualis, quantitatis expers, à corpore independens, ut ex dictis 1. Phys. q. 3. art. 3. verùm & perfectam corporis organizationem efflagitans. De quo videri aliqua possunt apud Guerinois hic art. 5 §. 1. & à fortiori patescet §. sequenti, probando, Animas animalium perfectorum esse indivisibiles. Item haud dubium est contra Platonem, Marsilium, Simplicium, Ficinium, aliosque Platonicos, Animam Vegetativam, quando est purè Vegetativa, ut in Plantis, esse divisibilem. Palam namque est, ramos ex arbore abscissos vivere, & crescere etiam in arbores, si sufficienti cum sollicitudine sint defixi.

Admonitus esto, quòd animalium quædam sunt perfecta, quædam imperfecta, quæ à Philosophis insecta nuncupantur. Prima sunt, quæ partes habent diversæ rationis in magna copia, ut Equus, Bos, Leo, &c. Secunda sunt quæ paucas habent partes dissimiles, ut Lacertæ, Serpentes, Vermes, Vespæ &c.

2. Classicæ sententiæ tres recensentur. Primæ placet, cujuscunque animalis Animam esse indivisibilem in partes actuales. Pro hac stat P. Lincæus, & P. Maurus cum aliis, quamquam annuant, Animas animalium imperfectorum esse divisibiles in partes potentiales.

Secunda extrema contendit, Animam cujusvis sive perfecti, sive imperfecti animalis esse divisibilem. Hanc amplexantur Scotus, Durandus, Ægidius, Suarez, Ruvio, & alii.

Tertia media propugnat, Animas animalium perfectorum esse indivisibiles, imperfectorum verò esse divisibiles. Hanc tutantur Thomistæ omnes, cum quibus

§. II.

CONCLUSIO.

Animæ animalium perfectorum sunt indivisibiles, imperfectorum verò sunt divisibiles.

3. QUò ad p. p. est consentanea doctrinæ Philosophi, qui lib de Juventute, & senectute cap. 5. de animalibus *haud*, inquit, *vivere dissecta queant, eo quod eorum natura quam maximè potest una habeatur*. Quibus verbis explicatè docet, animalia perfecta vivere dissecta non posse, quia eorum forma est maximè una. Nec minus consentanea est doctrinæ Angelici tum p. p. q 76. art. 8. tum q. de spir. creat. art. 4. Tum demum quò ad utramque p. q. de Anima art. 10. ubi *planam est*, inquit, *etiam, quod non dividitur divisione continui, præsertim Animæ animalium perfectorum, quæ decisa non vivunt: secùs enim fortè de animabus animalium annulosorum*.

4 Prob. De ratione Animæ perfectæ est, esse indivisibilem; sed Animæ animalium perfectorum sunt Animæ sensitivæ perfectæ: ergo &c. Min. supponenda venit, secùs animalia perfecta non essent. Maj. prob. Anima perfecta exigit subjectum organicum organizatione perfecta; sed Anima exigens subjectum organicum organizatione perfecta est indivisibilis: ergo &c. Maj. est conspicua. Anima siquidem est actus corporis physici organici: ergo Anima perfecta est actus corporis perfectè organici, adeoque &c. Min. prob. Ad hoc, ut Anima sit divisibilis, debet posse salvari divisa in partibus divisis sui subjecti, cùm non dividatur, nisi ad divisionem sui subjecti; sed in partibus divisis non salvatur perfecta organizatio: ergo &c. Patet maj. & min. etiam. Res siquidem perfecta non est, nisi integra sit, cùm integritas sit ipsa perfectio. Palam autem est, in partibus non adesse perfectam organizationem, sed duntaxat in toto.

5. Prob. ulteriùs quò ad eandem p. Si animalium imperfectorum Anima foret divisibilis, vel esset per se, vel per accidens divisibilis; sed propugnari neutrum potest: ergo &c. Min. quò ad p. p. tam certa est, quàm certum est, quòd Animæ non per se, sed ratione totius existunt, adeoque ratione totius deberent esse divisibiles, proindeque per accidens, seu ratione alterius, sive per aliud. Quò ad a. autem prob. Forma, quæ indivisibiliter informat non est divisibilis per accidens; sed Anima animalium perfectorum respicit, & informat totum indivisibiliter. ergo nec per accidens est divisibilis. Maj. ex terminis elucescit. Ob idque sicut forma informans divisibiliter est divisibilis, ita è contra &c. Min. prob. Anima animalis perfecti respicit subjectum, in quo possit perfecti animalis operationes exercere, quemadmodum è contra animalis imperfecti Anima subjectum aptum pro imperfecti animalis operibus exercendis; sed ad operationes perfecti animalis exercendas exigitur indivisibiliter totum corpus: ergo &c. Min. explicatur. In nulla namque ex partibus possunt exerceri operationes animalis perfecti, secùs pars quælibet foret perfectum animal.

Dilucidatur usitatiori hoc exemplo. Quia namque sine calore ut octo nequeunt exerceri operationes ignis, idcircò ignis indivisibiliter exigit omnes illos octo caloris gradus; ita quòd nisi omnes adsint gradus non salvatur forma ignis. Ita etiam quia sine perfecta organizatione nequeunt perfecti animalis operationes effici, idcircò extra totum minimè persistit animalis perfecti Anima.

Dices, quod arg. nimis probat, nimirum quod etiam ignis forma indivisibilis sit.

Resp. negando illatum, quia licèt etiam imperfecta forma vitalis & etiam forma inanima, ut ignis forma, respiciat subjectum aliqua sub indivisibili ratione; non tamen totum respicit subjectum indivisibiliter, cum qualibet in parte suas possit exercere operationes. Quod præcipuè perspicuum est in rebus inanimis, quæ ceu quid homogeneum partes habent ejusdem rationis.

6. Secunda pars etiam non minùs luculenter colligitur ex Arist. loco n. 3. relato, ubi paulò ante illa verba docet, plantas, & animalia imperfecta vivere post sectionem eadem specie, sed non numero. Talem quoque esse mentem S. Th. deprehenditur ex dictis eodem n. 3. sed apertius a. contra Gentes cap 58.

Prob. Quoniam ad imperfectorum animalium Animas sufficit imperfecta organizatio; sed qualibet in parte adest imperfecta organizatio, quamquam non tanta, quanta in toto: adsunt namque partes heterogeneæ, nimirum caro, os, sanguis &c. ergo &c. Vid. S. Th. quæst. de Anima art. 10. ad 15. arg. & hic 2. de Anima commentario 10. tex. 2. lect 4. ubi post rationem, & quidem efficacem non minùs quàm pulchram probat ab experimento, Animæ animalis imperfecti partes decisas vivere, quia se retrahit, si pungatur; & quidem tunc moventur non præcisè ratione spirituum vitalium transeunter, cùm diu in eis motus perduret.

7. Prob. præterea. Imperfectorum animalium Animæ in infimo sunt vitæ sentientis gradu: ergo divisibiles sunt. Prob. conseq. communi ea maxima *infimum supremi attingit supremum infimi*; ergo si &c. *attingent supremum infimi, nimirum plantarum*, quæ divisibiles sunt.

§. III.

Obversæ partis argumenta solvuntur.

8 ARg. 1. contra p. p. Si animalium perfectorum Anima esset indivisibilis, tota resideret in toto, & tota in qualibet parte; sed propugnari minimè hoc potest: ergo &c. Maj. haud negabilis videtur. Ideo namque S. Th. 3. p. q. 76. art. 3 Corpus Christi totum esse dicit in tota, & totum in qualibet Hostiæ parte, quia ibi indivisibili extat modo. Similiter S. Aug. 6. de Trinit. cap. 6. ex eo colligit, rationalem Animam esse indivisibilem, quia est tota in qualibet parte. Min. prob. Si Anima tota esset in toto, & tota in qualibet subjecti parte posset in qualibet parte suas exercere operationes, V. G. visionem in aure, auditionem in pede &c. sed hoc est vel cæcis ipsis apertè falsum: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. quæ, si quid probat, probat non modò de Anima Brutorum, verùm etiam de rationali Anima dist. maj. cum D. Th. loco n. 3. & 6. citato tum ex p. p. tum ex q. de Anima, tum ex q. de spir. creat. si esset tota totalitate essentiæ & virtutis, concedo, si sola totalitate essentiæ, at non virtutis, nego maj. dataque min. nego conseq. Equidem (ut S Th. habet locis nuper citatis) tota in toto est Anima, & tota in qualibet parte subjecti totalitate perfectionis, & essentiæ, quatenus ejus tota essentia salvatur in toto, & tota in qualibet parte subjecti; non tamen est tota totalitate virtutis, quia non qualibet in parte adest secundùm quamlibet potentiam, sed in oculo secundùm potentiam visivam, in aure secundùm potentiam auditivam &c. Vel si in qualibet est secundùm quamlibet residet potentiam, non tamen in qualibet quaslibet exercet operationes ex defectu dispositionis, aut organi; at non ex defectu sui.

Contra. Si tota in toto, & tota Anima in qualibet versaretur parte totalitate etiam solius essentiæ, ibi haberet vel *Ubi* Sacramentale, quale habet Christi Corpus sacramentalibus sub speciebus, vel *Ubi* haberet definitivum; sed propugnari neutrum potest: ergo &c Maj. plana videtur, cùm non alius indivisibiliter existendi modus assignabilis sit. Min. quoque tum quò ad p. p. quoniam Christi Corpus qualibet in Hostiæ parte habetur totus totalitate, non modò essentiali, verùm etiam integrali, ut constans est ex dictis à nobis in Logica Syntag. 4. q. 4. art. 4. §. 3. ad ult. inst. 4. arg. sub n. 16. Quò ad a. quoque quia *Ubi* definitivum est proprium Angelorum.

Resp. nego maj. Ad prob. dist. ant. non alius adest modus essendi tanquam in loco, transeat, tanquam in subjecto, nego ant. & consequentiam. Esse namque in corpore ut forma in subjectu nullum importat speciale *Ubi*. Dixi *transeat*. Potest enim dari modus essendi *ut quo* habens esse in loco ratione alterius, nimirum subjecti.

Contra. Si Anima esset ut forma tota in qualibet parte, tota educeretur ex qualibet parte; sed hoc penitus est impossibile: ergo &c. Utraque præmissa prob. Maj. quidem, quia forma materialis est in subjectu, ex quo educitur, ut liquet ex dictis 1. Phys. q. 3 art. 3. Min. etiam, Tum quia pars materiæ equi nequit continere formam totalem equi. Tum quia sequeretur, eundem effectum contineri in duplici totali causa.

Conf. saltem ratione subjecti est in loco: ergo assignandum est quodnam habeat *Ubi*.

Resp.

Resp. dist. maj. Tota educeretur ex qualibet parte, sumptis illis partibus collectivè, & per modum unius, concedo, seorsim, ac per modum plurium, nego maj. & distincta min. nego conseq. Eapropter non sequitur, quod una materiæ pars contineat formam totalem, nec quod idem effectus prodeat à pluribus causis totalibus, aut per modum plurium.

Ad Conf. Resp. ex dictis 1. Phys. q. 1. art. unico §. 11. ad 9. arg. dist. ant. si uniretur subjecto modo impenetrativo, concedo, secùs, nego. Unitur autem per penetrationem. Vid. ibi. Et alia solutio videatur apud Cavinum.

9. Arg. 2. Animalium perfectorum Animæ sunt corporeæ, & materiales; sed ad hoc, ut quidpiam divisibile sit, sat est, esse corporeum, & materiale: ergo &c. Prob. min. Ideo animalium imperfectorum Animæ divisibiles sunt, sicut & non viventium formæ, quia sunt corporeæ, & materiales: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. nego causalem. Vera namque causalis est, quia respiciunt subjectum, non indivisibiliter, sed divisibiliter. Quare autem respiciant subjectum divisibiliter. Ratio est, non quia materiales sint, sed quia sunt imperfectæ, adeoque perfectam non requirunt dispositionem, & organizationem; sed satis habent si imperfecta adsit, puta ossa, caro, sanguis &c. quæ haberi & in partibus potest.

Hoc tamen admonitus sis, quòd animalium perfectorum Animæ intra Brutorum collectionem absolutè loquendo sunt perfectæ, licèt comparativè ad rationalem Animam, quæ perfectissima est, dici imperfectæ queant. In Lacertis verò, Serpentibus, Vermibus, Vespis &c. absolutè imperfectæ sunt, licèt comparativè ad Ostreorum, & Conchyliorum Animas gradu loco-motivo carentes, queant imperfectæ dici, uti diximus art. 1. hujus quæstionis §. 3. ad 3. sub num. 7.

Contra. Ideo rationalis Anima indivisibilis est, quia spiritualis est, ly *quia* dicente causam saltem sufficientem: ergo è contra Animæ animalium etiam imperfectorum, quia corporeæ sunt, & materiales, erunt divisibiles.

Resp. ex dicendis num. sequenti primitùs, nego conseq. Quamquam enim illa sit ratio sufficiens, aliæ tamen possunt esse rationes sufficientes, eo ipso, quod adæquata illa non est, ut puta quia perfecta exigitur organizatio, pro qua totum indivisibiliter subjectum exigitur. Præterea, nego causalem. Causalis namque est, quia respicit subjectum indivisibiliter. Eapropter cùm etiam id habeant etiam formæ animalium perfectorum, tametsi corporeæ, & materiales, idcirco & istæ indivisibiles erunt.

10. Arg. 3. ad idem, & potest esse dati responsi oppugnatio. Anima debet proportionari suæ materiæ, sive subjecto; sed subjectum informatum Anima animalis perfecti est divisibile: ergo &c.

Resp. data maj. dist. min. est divisibile entitativè & materialiter, concedo, formaliter in ratione subjecti proportionati, nego min. & conseq. Arg. hoc probat, etiam Animam rationalem esse divisibilem, cùm & Homo sit divisibilis. Scito itaque, quòd dupliciter sumi potest subjectum Anima informatum. Primò secundùm sui entitatem. Et hoc modo est divisibile in partes. Secundò formaliter ut est aptum informari ab Anima perfecta. Et cùm hoc modo, ut vidimus num. 4. respiciat perfectam organizationem, quæ in nulla parte potest salvari; Idcircò hoc modo est indivisibile.

Contra. Animalium perfectorum Anima proportionatur cum materia, quam informat in hoc, quod corporea est, & materialis; sed materia quatenus est corporea est divisibilis in partes: ergo & talis Anima erit in partes divisibilis.

Conf. Materia prima non alia ratione est entitativè divisibilis, nisi quia est corporea; sed & talis Anima est corporea: ergo &c.

Resp. eodem modo dist. min. est divisibilis materialiter entitativè, concedo, formaliter in esse subjecti ipsius Animæ, nego.

Ad Conf. nego causalem. Causalis namque est, quia, ut vidimus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 2. art. 1. §. 3. ad 2. n. 6. tum 1. Phys. q. 5. quæ fuit de existentia art. 5. §. 3. num. 5. ad 1. arg. & iterum videbimus in Metaphys. q. 12. art. 2. Materia prima est prima radix quantitatis, quæ licèt à toto dimanet composito, tamen dimanat ab illo, non secundùm omnia, quæ dicit, puta formam &c. sed secundùm, quod dicit materiam. De quo vide 1. Phys. citato.

Inst. Divisibilitas sequitur ad esse corporeum: ergo si perfectorum animalium Animæ ita proportionantur cum materia, quòd sint corporeæ, erunt divisibiles.

Conf. Corpus in hoc à spiritu distinguitur, quod corpus est quantum & divisibile: ergo Animæ animalium perfectorum si sunt corporeæ, & materiales, sunt quoque divisibiles.

Resp. dist. ant. ita quòd esse corporeum sit ratio inferens divisibilitatem, nego, ita quod sit præsuppositum ad divisibilitatem, concedo ant. & nego conseq. Divisibilitas igitur sequitur ad esse corporeum in hoc sensu, quod divisibilitas supponit esse corporeum, nec datur aliquod divisibile, quod corporeum non sit. Non tamen corporeitas est ratio inferens divisibilitatem. Eapropter quidem divisibile quodcunque erit corporeum, non tamen è contra omne corporeum debet esse divisibile. Sicut quia omne rationale supponitur esse vivens, valet quidem *ergo omne rationale est vivens;* attamen quia esse vivens non est ratio inferens rationalitatem, non valet *ergo omne vivens est rationale,* secùs etiam Bruta, imò & Plantæ inter rationalia supputasentur.

Ad Conf. dist. ant. quia corpus est divisibile secundùm quod dicit materiam, concedo, secundùm quod dicit formam, nego ant. & consequentiam. Corpus namque à spiritu distinguitur per hoc, quod omne corpus includit materiam, quæ est radix quantitatis, & divisibilitatis, ut videbimus in Metaphys. q. 12. idcircò omne corpus est divisibile, non tamen omne corporeum est divisibile.

Ob idque aptè S. Th. p. p. q. 52. art. 2. sicut & 2. contra Gentes cap. 20. ratione 1. & 2. cap. 63. ratione 3. probat, Animam non esse corpus, quia omne corpus est divisibile. Pariter p. p. q. 3. art. 1. & primo contra Gentes probat, Deum non esse corpus, quia non est potentia divisibilis.

Nec est verum, quòd S. Th. q. 27. de verit. art. 4. ad 5. ex eo neget, virtutem, quæ est in Sacramentis ad causandam gratiam posse dici propriè corpoream, quia sit indivisibilis, & extensionis expers. Non inquam est verum. Viso namque illo responso, inveni, quod nullatenus ad hoc recurrit. Nihilominùs glossema videri apud Cavinum potest.

Adde, quòd in sententia advers. corpus distinguitur à spiritu, non per divisibilitatem, sed per impenetrabilitatem. De quo Lerma hic 2. de Anima q. 3. pag. 45. Et quidem posse extare corporeum aliquod indivisibile constat in puncto.

11. Arg. 4. ad idem. Quod habet partes est divisibile; sed Animæ animalium perfectorum habent partes: ergo &c. Prob. min. Dum per nutritionem animal acquirit novam materiæ partem, tunc ex hac nova parte educitur nova formæ pars: ergo &c. Prob. ant. Materialis forma educitur ex materia, quàm informat; sed si dum per nutritionem nova acquiritur materiæ pars non educeretur nova formæ pars, forma non educeretur ex illa parte, quam informat: ergo &c.

Conf. Quandoquidem secùs sequeretur, eundem indivisibilem effectum pendere à duplici causa, una adæquata, & altera inadæquata: ergo dicendum est, habere partes. Prob ant. Eadem indivisibilis forma dependeret ab illa materia totali, à qua primò fuit educta, & rursus dependeret ab omnibus illis, quæ recenter per nutritionem acquiruntur, ad quas informandas de novo extenditur. Imo sequeretur, idem producere seipsum. Etenim forma Equi ad hoc, ut informet novam illam partem, debet ex illa educi; non ab alio autem educente nisi ab Anima educeretur: Igitur nec hoc dicatur, fatendum est, unam partem educere aliam, proindeque partes habere.

Resp. nego min. Ad prob. in primis dico, si quid probat, probare non solùm animam esse divisibilem, verùm etiam plures in animali adesse partiales animas. Quod nec Scotista prætendit, ut ex dictis art. 3. habes. Præterea nego ant. Ad prob. (ultra responsa alia) dist. maj. educitur ex materia, quam informat, inspecta materia secundùm se, & purè materialiter, nego, inspecta materia formaliter ut stat sub tali, vel tali dispositione, concedo maj. & distincta min. nego conseq. Ut namque diximus 1. Phys. q. 4. in Præloquio num. 11. materiæ partes, quæ temporis lapsu acquiruntur in vivente per nutritionem continuantur cum prioribus partibus sub iisdem dispositionibus, sub eadem forma; Idcirco materia est semper eadem formaliter. Inde fit,

quòd forma dicitur educta etiam ex illa etiam, quæ de novo acquiritur; quæ licèt materialiter non adfuerit, cùm fuit educta forma ex tota materia; tamen aderat formaliter, quia formaliter est idem cum illa, quæ fuit per naturalem calorem deperdita, & cum tota illa, quæ modo adest. Sicut etiam in hac quæst. art. 3. sub num. 9. ad 4. explicuimus quomodo Christi Corpus vivum, & mortuum est idem formaliter in ratione termini conversionis, & consecrationis, ubi & nonnulla ad hoc exempla dedimus. Forma autem educitur ex materia, non secundùm se considerata, sed formaliter inspecta ut stat sub tali dispositione, quantitate, &c. Hinc

Ad Conf. Resp. vel quod sunt plures causæ in esse entis, non verò formaliter, & in esse causæ materialis talis formæ. Vel saltem se habent per modum unius.

Nec sequitur, formam educere seipsam. Non, inquam, quia non educitur de novo ex ista, sed ex ista formaliter inspecta dicitur educta, quando fuit primò educta.

12. Arg 5. Si anima animalium perfectorum foret indivisibilis, etiam operationes indivisibiles forent; sed istæ sunt divisibiles: ergo &c. Maj. ex eo certa fit, quòd operari sequitur ad esse; Et min. ex eo, quòd hujuscemodi operationes sunt accidentia materialia.

Conf. Fieri est via ad esse; sed fieri Animæ animalis etiam imperfecti est divisibile, cùm sit accidens materiale; ergo & ipsa divisibilis est.

Resp. primiter ad hoc, ut ejus operationes sint formaliter divisibiles satis esse, quòd ipsa sit virtualiter divisibilis. Præterea nego maj. Ad prob. dicatur, quòd operari sequitur ad esse totius compositi, idcirco sat esse, quod istud divisibile sit.

Ad Conf primodùm Resp. quòd fieri licèt sit divisibile entitativè, & materialiter, non tamen formaliter ut fieri, cùm generatio, seu instantanea mutatio fiat in instanti indivisibili. Præterea dicatur, quòd sequitur ad esse totius, & in illo recipitur.

Dices. Formæ vitalitatem colligimus ex operationibus vitalibus, & ubi non est motus vitalis infertur, non esse formam vitalem: ergo pariter formæ indivisibilitas ex operationum debet indivisibilitate deduci.

Resp. dato ant. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia non aliunde possumus venire in cognitionem vitæ, nisi ex operationibus vitalibus. Cæterùm aliunde formæ indivisibilitatem deprehendimus absque confugio ad operationes; nimirum dignoscimus ex motivis §. a. productis.

Inst. Ex eo, quod Animæ rationalis operationes indivisibiles sint infertur, rationalem Animam indivisibilem esse: ergo pariter ex eo, quod operationes Animæ animalis etiam perfecti divisibiles sint, inferri optimè poterit, & eorum Animam divisibilem esse.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen est de se conspicuum, quia conspicuum est, nunquam posse operationes in perfectione suum excedere principium. At potest principium, seu substantia operationes excedere suas.

13. Arg. 6. ad idem. Ideo perfectorum animalium animæ sunt indivisibiles, quia in partibus divisis suas nequeunt operationes exercere; sed compertum est, eas in illis decisis exercuisse: ergo &c. Prob. min. Tum exemplo sex Martyrum Tolosatum ex ordine nostro, qui caput proprium abscissum ad proprium detulere cœnobium; sicut & D. Dionysius abscissum caput ad plura detulit milliaria. Item compertum non semel est, caput Hominis abscissum plures erumpere in saltus imò interdum compertum est, verba proferre. Fertur etiam persæpè à Junioribus ex Arist. Arietem deambulasse abscisso cervice; & de pullis, Gallinis &c. Quibus omnibus addi potest, id quod narrat Albertus Lazari suo in opere, cui titulus est *Motivi, e cause di tutte le guerre* italicè edito *sesto motivo* pag. 118. sub finem de Comite Ludovico Mirandulano, cujus corpus avulso capite vi glandis instrumenti bellici, gestavit Equus aliquo temporis tractu; & pro tunc ejus corpus se movebat, protendens brachia quasi pugnare velle videretur, imò quasi reipsa pugnaret.

Conf. Videmus, quòd si pars aliqua recisa festinè reuniatur vivit sicut antea: ergo signum est, aliquid animæ in ea remansisse cùm à privatione ad habitum non detur naturaliter regressus.

Resp. ad arg. id, quod de martyribus, & Dionysio objicitur, fuisse miraculosè Divina virtute factum, qua corpora illa agebantur, non verò virtute animæ moventis; secùs & rationalis anima divisibilis foret.

Ad id, quod dicitur de Hominis capite reciso saltante, & interdum loquente, primitùs dico, quòd qui fateatur, rationalem Animam esse divisibilem est nemo. Undè hoc nobis potiùs favet ad suadendum, quòd, neque in aliorum Animalium partibus, in quibus separatis aliquis cernitur motus, re vera non adsit anima. Præterea id evenisse dico, quia spiritus vitales, nimirum subtiliores sanguinis partes ibi in magna copia inclusi, mortis tempore dum foris erumpunt causabant tales motus, & aliquas jam immediatè inchoatas voces articulant. Idem dico de aliis adductis, vel adducibilibus exemplis, præsertim de Mirandulano, in quo sic spiritus agebantur vitales.

In nonnullis etiam fortasse miraculosè, aut Dæmonum virtute evenit.

Ad Conf. Resp. nego conseq. Ex hoc namque non sequitur, fuisse viventem, sed remanere in illa parte dispositiones aliquas, per quas fit proximè apta ut vivificetur; sicque reunita conglutinatur, atque successivè vivificatur; secùs etiam rationalis Anima divisibilis foret, cùm vel in homine id nonnunquam eveniat. Et instatur. Etenim si quis partem aliquam alterius animalis comedat; hæc posteaquam est in comedentis substantiam conversa vivit vita istius; & tamen non sequitur, quòd priùs ea in parte fuerit anima, vel pars animæ comedentis. Ita quoque &c.

Ad id verò, quod subditur *à privatione ad habitum non dari naturaliter regressum* etiam brevem post mortuam, imò & instans dico, esse intelligendum de privatione totali in toto composito.

14. Arg. 7. contra 2. p. Existentia animalium etiam imperfectorum est indivisibilis: ergo & eorum Anima. Consequentia est exacta, quia existentia sequitur ad essentiam ratione formæ. Ant. autem prob. quoniam Thomisticis hærendo principiis, nullibi dantur existentiæ partiales, ut vel nos diximus 1. Phys. q. 5. in fine & q. 6. in fine.

Respondeo, quod nimium probat. Probat namque vel Inanimatorum formam esse indivisibilem. Præterea dist. ant. est indivisibilis formaliter, transeat, virtualiter etiam, nego ant. & conseq. Quemadmodum namque scripsimus 4. Phys. q. 2. art. 2. § 3. num. 7. ad 1. instans esse virtualiter divisibile, & 6. Phys. punctum esse virtualiter divisibile terminativè duntaxat; ita idem de existentia dicas, nimirum esse divisibilem virtualiter terminativè tantùm. Dixi *transeat*, quia poterat absolutè negari; & ad prob. dato ant. negari conseq. quia aliud est dicere, quòd sint impossibiles existentiæ partiales, & aliud est dicere, quod existentia sit indivisibilis. Primum facit sensum, quòd non sint possibiles plures existentiæ inter se divisæ, & discontinuatæ, licèt sibi contiguas terminantes diversas partes. Secundum verò reddit sensum, impossibile esse, quòd eadem existentia dividatur in plures partes, quæ sanè valde diversa sunt: sicut vel nos dicimus, in animali etiam imperfecto esse impossibiles plures animas partiales realiter distinctas; & tamen censemus, ejus Animam divisibilem esse.

15. Arg. postremò ad idem. Etiam imperfecti animalis anima est modo indivisibili tota in toto, & tota in qualibet parte: ergo indivisibilis est. Prob. ant. Operari sequitur ad esse, sed operari animalis etiam imperfecti ita indivisibili modo attingit objectum aliquod, ut simul attingat totum objectum, & quamlibet objecti partem: ergo &c. Prob min. Serpens namque unico visionis actu potest videre totum alium serpentem, omnesque simul partes ejus: ergo &c.

Conf. primò. Si pars Animæ existens in cauda serpentis esset alia à parte existente in capite non deberet exponere periculo caudam pro capitis tutamine; sed ita certum est evenire: ergo &c. Prob maj. Si exponere sic deberet, utique quia est sibi conjuncta; sed quod curat de aliquo, quia est sibi conjunctum, multò magis de seipso curat: ergo &c.

Secundò. Si animalium imperfectorum Anima divisibilis foret, sequeretur, quòd qualibet in corporis parte esset distincta partialiter Anima; sed id possibile non est: ergo &c. Prob. min. Distinctæ Animæ distincta postulant organa, eo quòd Anima est actus corporis physici organici; sed non in qualibet parte animalis etiam imperfecti sunt distincta realiter organa: ergo &c.

Tertiò

Tertiò. Forma divisibilis respicit eodem modo totum & partes, ut habet S. Th. p. p. q.76. art.8. Sed Anima animalis etiam imperfecti non eodem respicit modo totum, & partes; quia in toto sunt plura, quàm in partibus organa: ergo &c.

Resp. ad arg. nego ant. Ad prob. dist. maj. operari subjectivè inspectum, concedo, purè terminativè inspectum, nego maj. & dist. min. indivisibili modo indivisibilitate terminativa, concedo, subjectiva, nego min. & conseq. Quilibet namque animalis imperfecti actus, imò etiam perfecti, ut diximus ad 5. est divisibilis subjectivè, ceu accidens materiale, licèt sit indivisibilis terminativè, quatenus modo indivisibili terminatur ad objectum. Adde, quòd attingere objectum indivisibili modo non est ea natura ipsius operationis animalis imperfecti, sed est eo, quod indivisibili modo repræsentatur per speciem.

Ad 1. Conf. nego sequelam maj. Ad prob. dist. maj. præcisè quia est illi conjuncta, nego, quia est conjuncta ut principalior pars & prima, concedo maj. & distincta min. nego conseq. Quemadmodum namque miles periculo se exponit in Ducis præsidium, quia iste est potior exercitus pars: sic optimè brachium &c.

Ad 2. dist. maj. in qualibet parte idonea retinere vitam, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Non enim corporis pars quælibet est capax, ut sejuncta vitam retineat, sed illæ duntaxat, quæ habent partes diversæ rationis. V G. si solus sanguis separetur, vel sola caro, vel sola ossa &c. haud aptæ sunt vita gaudendi, adeoque ole Anima; benè verò cauda, in qua sunt partes diversæ rationis, nimirum caro, & sanguis simul.

Ad 3. dist. maj. forma divisibilis in partes ejusdem rationis, concedo, diversæ rationis, subdist. eodem modo, & nonnihil diverso, concedo, eodem omnino modo, nego maj. & distincta min. nego conseq. Noveris ex Cajet. ubi supra, & Bannez ibidem, quòd triplex extat formarum genus. Aliæ sunt, quæ indifferenter respiciunt totum, & partes, ut forma ligni, aquæ &c. cujus operationes qualibet in parte eodem salvantur modo, dummodo pars non prætereat suæ parvitatis terminum. Aliæ differenter simpliciter, ita quod solo in toto, nulla verò in parte esse queat, uti est Anima nostra, perfectorumque animalium Anima. Aliæ inter istas mediæ sunt, quæ medio modo se habent, nimirum partim differenter, & partim indifferenter, idest partim eodem, partim diverso modo respiciunt totum, & partes. Tales sunt animalium imperfectorum Animæ. Istæ namque respiciunt aliqualiter indifferenter, quatenus consistere queunt in capite, & cauda. Et aliqualiter differenter, quatenus nequeunt qualibet in parte salvari.

Ex quo inferas, hujuscemodi formas non esse divisibiles in infinitum, ut sunt formæ homogeneæ.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Ad quæ se extendat Animæ informatio.

§. I.

1. **A**Liis sub terminis proponi dubium consuevit, nimirum *quænam partes informantur ab anima*. Consultiùs tamen aliter exposui, quoniam apud nonnullos haud dubium est, ea cuncta, quæ actu animati corpus sunt partes ab Anima informari; Undè quæ informantur ab illa, ex eo informari probatur, quia sunt actu partes: & quæ non informantur, ex eo non informari evincitur, quia actu partes non sunt; ac proinde re vera apud istos agitatur, quænam dicendæ veræ partes veniant. Verum est tamen, quòd & apud nonnullos lis etiam est, num etiam omnia, quæ sunt actu partes informentur ab Anima. Pro quo

Ut certa ab incertis sejungantur, suppono primò, partes principaliores viventis, uti sunt Caput, Cor, Hepar, &c. informari ab Anima. Quod autem in dubium vertitur est de sanguine, cæterisque quatuor humoribus, necnon aliis minùs principalibus partibus, quales sunt capilli, ungues, dentes, lac, semen, &c. sicut in Brutis pili, cornua, plumæ, squammæ, &c.

Secundò. In Homine, qui est *Microcosmos* extare quatuor humores, correspondentes quatuor Universi elementis. Primus humor est sanguis, qui est humor quidam calidus, & humidus, & dulcis correspondens aeri, cujus pars densior, & obscurior à corde procedit in venas; pars vero nitidior, majorique spiritu pollens immittitur in arterias, quæ venæ dicuntur vitales. Secundus est Bilis, quæ est humor quidam calidus, siccus, & amarus correspondens igni, ac sanguinem supernatans veluti spuma, immittiturque ad vessicam fellis. Tertius est Pituita, quæ est humor quidam frigidus, & humidus, albus, & insipidus correspondens aquæ, immittiturque in ventriculum. Quartus est Melancolia, quæ est humor quidam densus, frigidus, & siccùs, ater, & acerbus, immittiturque in lienem. Si quis verò totius animalis structuram descriptam optat, legat nostrum Goudin tomunculo 3. quarta Philosophiæ parte in appendice posita post quæstionem 3. Itaque de his omnibus dubium emergit, quos tamen, quia omnes singillatim nominare, valde prolixum foret, idcircò principaliorem duntaxat, nimirum sanguinem in discursu habebimus, intelligendo idem reliquis de humoribus, non modò animalium, verùm etiam plantarum; necnon animalium quorundam, in quibus præfati non adsunt humores, sed alii eis correspondentes, ut medullæ, & hujusmodi.

Ast neminem lateat doctrina Cajetani p. p. q.54. super art. 2. cui concordat Sylvester cum aliis non paucis, adnotantis, quod duplex distinguitur sanguis. Unus est naturalis, qui unus est quatuor ex humoribus, estque sanguis propriè dictus. Alius nutrimentalis, qui est humor quidam duntaxat inchoatus, & imperfectus, nec propriè sanguinis rationem obtinet, sed quandam tantummodo in colore similitudinem præsefert. Quæ sanguinis distinctio, quamquam fictitia censeatur, vel censeri singatur à PP. Malrio, Suarezio, & Vasquezio; tamen ex eo fit palam, quod naturalis residet in venis, at alius extra venas versatur; & habetur ex D. Th. quodl. 5. art. 5.

Dicitur autem iste nutrimentalis, non quia ex eo nutriantur caro, ossa, &c. Sed quia fit immediatè ex alimento, & nutrimento. Ad differentiam sanguinis naturalis, qui fit immediatè ex sanguine nutrimentali. Siquidem sanguis, qui est unus ex quatuor humoribus, qui fiunt per nutritionem (quæ, ceu substantialis transmutatio perfectam exigit concoctionem, quam non habet sanguis ille modicè decoctus, estque potiùs humor sanguineus) est meliùs defecatus; quia natura, cum non statim percurrat de extremo ad extremum, gradatim habet concoquere.

Quicquid tamen de hoc sit, in hypothesi, quòd extet sanguis iste nutrimentalis, citra dubium est, minime esse de naturæ integritate, cùm gloriosis in corporibus natura humana integerrima sit futura sine illo, proindeque exploratum est, ab anima non informari.

2. Prima sententia tetur, sanguinem non informari ab Anima, sed informari ab alia forma non vitali, quam vocitat formam sanguinis. Ab ista sunt D. Bonaventura, Richardus, Scotus, Conimbricenses, Suarez, Vasquez, Ruvius, Maurus, aliique cum Durando, ac Galeno, & ex Thomistis citatur Capreolus, & Paludanus.

Secunda autumat, informari ab Anima. Hanc tuentur universi Thomistæ demptis relatis. Thomistis subscribunt Arriaga, Oviedus, Lincæus, Hurtadus, & alii.

Quò ad alia partes sententia ferè communis est, dentes, capillos, & ungues informari ab anima, licèt lis aliqua sit de capillis, & unguibus, de quibus inficias eunt non pauci antiqui relati ab Arnù, quos nonnulli sequuntur recentiores præcipuè Maurus.

Quò ad semen, & lac abnuunt informari ab Anima communiùs Thomistæ, ut Serra p. p. q.76. super art. 8. Complut. hìc, & alii. Annuunt verò Jo: de S. Th. in lib. de Gener. & Corrup. & Lerma hìc.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Sanguis (Idem dixeris de reliquis humoribus) informatur Anima totius, saltem quò ad gradum vegetativum.

3. **M**Irum est, quot, quantisque authoritatibus fulciatur. Et primitèr habetur clara authoritas Aristotelis qui 3. de historia animalium cap.19. *palpat*, inquit, *intra venas sanguis animalium, pulsaque simul undique movetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus*

corpus animalium est. Et quamdiu vita servatur Sanguis unus animatur, & fervet. Ubi non solùm in ultimis verbis per illam dictionem *animatur* (quam Maurus dicit malè esse latinè ab Interprete expositam, & in sensu græco Aristotelis esse dictionem, quæ latinè significat *est*) sed toto in discursu, cunctisque verbis illis.

Præterea authoritates S. Th. complures, de quibus videri alii possunt Scriptores, & novissimè Guerinois. Perpetuus namque est in asseverando, quòd Sanguis est de humanæ naturæ integritate, & proinde fuisse à verbo assumptum.

In hoc conspirant etiam Summi Pontifices, & Concilia. Quandoquidem in primis Cajus Papa in dehortatoria ad Felicem, ubi eos damnando, qui negabant, Verbum veras assumpsisse naturæ humanæ partes: *Si Christus*, subdit, *veras naturæ humanæ partes non assumpsit, quo Sanguine redempti sumus?* Similiter Innoc III. in extravaganti de celebratione Missarum docet, ideo ex Christi latere aquam fluxisse, & Sanguinem, ut ostenderet esse ex quatuor humoribus compositum. Item Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. docet, Sanguinem esse sub panis speciebus ex vi illius connexionis, qua partes corporis invicem copulantur. Ex quibus omnibus

4. Prob 1. Sanguis est pars actualis ad naturæ animalis perfectionem, integritatemque pertinens, sed partes cunctæ actuales, ad naturæ viventis integritatem attinentes informantur ab Anima: ergo Sanguis informatur ab Anima. Maj. (ultraquamquod ejus oppositum contradicens præallatis omnibus authoritatibus temerarium videtur, ne dicam hæreticum) suadetur. Quæ non sunt de integritate humanæ naturæ non competunt Homini semper, & in omni statu, ut V. G. lac, sine quo resurgent fœminæ; & semen sine quo omnes resurgemus, necnon sine Sanguine nutrimentali; Sanguis autem Homini competit pro omni statu, nimirum cùm pro statu corruptionis, tum pro statu resurrectionis, & gloriæ. Min quoque constans videtur, non solum quia art. 4. ostensum est, non adesse formas partiales, verùm quia totum conflatur, & integratur ex partibus; sed totum informatur ab Anima: ergo & partes actuales attinentes ad illius naturam. Quemadmodum namque totum absolutè constat ex partibus absolutè, sic tale totum, nimirum animatum ex partibus animatis.

Respondent obversarii, Sanguinem equidem esse viventis partem, sed tamen duntaxat secundariam. Non autem omnes partes informantur ab Anima, sed tantummodo partes primariæ. Sed

Contra. Partes actuales primariæ informantur primariò ab Anima: ergo pariter partes secundariæ informantur saltem secundariò ab Anima.

Conf. Objectum secundarium scientiæ attingitur saltem de secundariò à scientia: ergo à pari partes secundariæ informantur secundariò ab Anima.

Neque dixeris, ideo objectum secundarium scientiæ attingi saltem secundariò ab illa, quia alia non est scientia, à qua attingatur. Ne, inquam, id dixeris, Tum quia art. 3. & 4. probatum est, nec in vivente aliam adesse formam præter Animam. Tum quia si alia non datur scientia, à qua ejus secundarium attingatur objectum: ergo pariter nec præter Animam alia extabit forma, à qua secundaria pars corporis animati informetur.

5. Prob. 2. à post. Sanguis ab intrinseco vitaliter se movet: ergo informatur ab Anima. Consequentia est exacta ex dictis q. 1. art. 2. ant. prob. Sanguis nutritur, augetur, fervet, totum circumcursat corpus, ascendendo, & descendendo; sed isti sunt motus vitales: ergo &c. Prob. min. Nisi forent motus vitales, competerent illi etiam extra corpus, V. G. contento in vase; quod tamen minimè contingit, nisi miraculosè, ut de D. Januarii Sanguine Neapoli asservato fertur: ergo &c.

6. Prob. 3. paritate, quam habet S. Th. in 4. sent dist. 44. art. 2. ad 3. ubi *humores*, inquit, *in Homine se habent sicut elementa in Universo*. Ex quo sic. Quemadmodum se habent elementa in Universo, ita quatuor humores in Homine; sed elementa omnia stant sub forma, & ordine Universi: ergo & quatuor humores sub Anima. Maj. ex eo innotescit, quod Homo est Mundus parvus.

Dilucidatur hoc. Elementa in Universo duplicem habitudinem habent, alteram partis actualis, quatenus sunt partes actu totum integrantes Universum: alteram partis possibilis, quatenus transmutari nobiliores ad formas, nimirum mixtorum possunt. Ita humores in animali duplicem sortiuntur habitudinem. Alteram partis actualis: sunt namque partes actu integrantes corpus animatum. Alteram partis potentialis, inquantum sunt in potentia, ut ad nobiliorem transadigant partis rationem, nobiliùs formam totius participando. Ex illis siquidem, & præcipuè ex sanguine fit caro, os, nervus, aliæque potiores partes. Cum hac tamen differentia, quod elementa evadendo mixta substantialiter transmutantur, novamque formam acquirunt, non sic verò humores, qui evadunt partes nobiliores, perfectiorem duntaxar acquirendo dispositionem, ut diximus art. 3. §. 3. ad 2. Ob idque paritas non currit quò ad omnia. Sed de hoc iterum §. sequenti 3. in fine num. 13.

Ratiocinatio alia Theologica videri apud Compl. Lermam, Cavinum, & Arnù potest.

§. III.

Oppugnantium argumenta solvuntur.

7. ARg. 1. Quod est in potentia ad informari ab Anima non est actu ab ea informatum, secùs esset in potentia simul & in actu; sed Sanguis est in potentia, ut informetur ab Anima: ergo &c. Prob min. Quod est in potentia, ut fiat pars animata, est in potentia, ut informetur ab Anima; sed Sanguis est in potentia, ut fiat partes animatæ, nimirum os, nervus, caro, &c. ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. maj eo modo, quo est in potentia, ut fiat pars animata, concedo, secùs, nego maj & distinguo min. est in potentia, ut fiat pars animata animatione gradus sensitivi, concedo, gradus vegetativi, nego min. & conseq. vel dist. consequens. Sanguis informatur ab Anima secundùm gradum duntaxat vegetativum cùm non sentiat. Est autem in potentia, ut informetur secundùm gradum sensitivum, secundùm quem informantur caro, ossa &c.

Qua ex re (pro cujusdam objectionis solutione) infero, quòd Sanguis naturalis non est purum alimentum, sed est alimentum aliarum partium magis principalium, estque simul pars, licèt minus principalis.

Contra 1. Si Sanguis foret animatus, esset informatus secundùm gradum etiam sensitivum: ergo &c. Prob. sa si foret animatus, ejus motus essent vitales, proindeque motus ejus etiam circularis per venas foret vitalis; sed motus circularis est sentientium proprius, cùm ut art. 1. diximus loco-motivum fundetur in appetitivo: ergo &c.

Secundò. Forma quæ nequit esse in subjecto secundùm gradum ultimum, nequit esse in illo essentialiter: ergo si Anima nequit informare Sanguinem secundùm ultimum gradum, nimirum sensitivi, nullatenus illud informare valet. Prob ant. Etenim gratia, quia nequit esse in lapide secundùm ultimum gradum specificum constituendo ipsum gradum, nec ullo modo valet esse in illo: ergo &c.

Resp. ad 1. nego maj. Ad prob. ex ibidem dictis habes, non omnem motum localem ab intrinseco esse proprium sensitivorum, sed motum localem duntaxat progressivum, qui est ad procuranda vitæ necessaria procul posita, qui Sanguini minimè competit.

Ad 2. (quæ nimis probat, cùm probet, nec Animam rationalem posse informare secundùm gradum sensitivum corporis partes, quas nequit secundùm intellectivum informare) dico, ant. esse verum, quando forma habet præcisè formaliter cæteros gradus, at non quando habet etiam eminenter, sicut forma sensitiva habet eminenter vegetativum. Vel dist. ant. si sit subjectum adæquatum, ut eo in casu, quo lapis fieret gratiæ subjectum, concedo, quia tunc nulli ex partibus suum posset ultimum tribuere gradum si sit subjectum inadæquatum, ut in casu nostro, in quo etiam cæteræ partes ultra Sanguinem sunt ejusdem Animæ subjectum, nego. Vid. art. prægresso §. 3. ad 1. arg. ubi vidimus, quomodo Anima est tota in qualibet parte, licèt non secundùm totam sui virtutem qualibet in parte.

Contra ex Garcia, primam persequendo oppugnationem. Ungues, Capilli, & Dentes qui informantur ab Anima secundùm gradum vegetativum non sunt in potentia, ut informentur secundùm sensitivum gradum: ergo pariter Sanguis, si semel informaretur ab Anima secundùm gradum vegetativum, non esset in potentia, &c.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen autem est, quia ex dentibus & unguibus ceu solidioribus carne, &

æqua-

æqualiter saltem ac ossa solidis; nec ex capillis, seu ex excrementis procreatis fiunt partes, quæ secundùm vegetativum informantur gradum. Benè verò fiunt ex sanguine.

8. Arg. 2. Sanguis non est actu pars corporis: ergo &c. Prob. ant. 1. Quemadmodum semen est in potentia, ut ex eo fiat fœtus, ita sanguis est in potentia, ut ex eo fiat caro, &c. sed semen quia est sic in potentia non est pars corporis animati: ergo neque &c. 2. Partes omnes actuales Corporis Christi veniunt perse ex vi consecrationis panis in Eucharistia, sicut corpus ipsum, sed sanguis venit duntaxat per concomitantiam, ut Concilium docet Trid. sess. 13. cap. 3. ergo &c. 3. S. Th. 3. p. q. 35. art. 5. ad 1. inquit, quòd Sanguis non est actu pars, sed in potentia totum. Et ibidem docet, corpus Christi non fuisse factum ex carne, vel ossibus B. V. quia hujusmodi sunt actu corporis partes, sicque minuta corporis B. V. integritas fuisset; fuisse tamen purissimo ejus ex sanguine factum, ceu illo, qui non est actu pars: ergo &c. 4. Partes omnes actuales animalis sunt invicem continuatæ, secùs animal non esset simpliciter unum cùm *unum*, ut Philos. 5. Phys. tex. 36. *necesse sit esse continuatum*, sed sanguis non continuatur cum reliquis partibus: ergo &c. Min. habetur eodem ex Arist. 3. de partibus animalium cap. 3. ubi: *non enim*, inquit, *sanguis est continuus carni, neque cognatus, sed in corde, & in venis quasi in vase detinetur*.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. nego causalem. Causalis enim est, quia non est de integritate, & perfectione individui. Ratio autem, quare non sit de individui integritate est, quia intenditur, non propter ipsum individuum, sed propter bonum speciei.

Ad 2. Resp. maj. esse veram de partibus solidis, cùm ibi Christi corpus veniat per modum cibi; non verò de partibus fluidis, ceu illis, quæ veniunt per modum potus.

Ad 3. Resp. S. D. vel negare, quòd sit pars comparativè ad alias principaliores, vel negare, quod sit pars principalior. Per quod patet ad id, quod ex eodem subditur. Non enim viventis integritas minuitur per hoc, quod quicquam ex partibus minùs principalibus adimitur: quemadmodum nec minuitur per hoc, quod aliquid sanguinis deperdat. Imò nec cæteris in Matribus minuitur integritas per hoc, quod earum ex sanguine fœtus formetur, sed per Uteri aperitionem; Idcirco Christus exivit utero clauso. Vide quo ad hoc ulteriùs Salm. 3. p. in tract. de incar. nimirum tract. qui est 21. disput. 10. q. dub. 5. à num. 12.

Ad 4. nego min. Si quamcunque continuationem excludat. Ad prob. dico, Arist. vel negare continuationem illam adeo perfectam, qua solida continuantur, cùm facillimè discontinuetur; Vel denegare continuationem immediatam duntaxat, cùm sanguis mediis quibusdam pelliculis cum ossibus, & carne continuetur, & à Medicis fibræ vocitantur. Quæ licèt non cernantur in omnibus propter sui exiguitatem; tamen Taurorum conspiciuntur in sanguine, qui est sanguis crassior. Eapropter fallitur Mastrius, dicens, nusquam esse ab Anotomistis compertas. Vel demum, loqui de sanguine nutrimentali.

Nec loquitur cum omni rigore, sed minùs rigorosè, cùm dicit, contineri in corde, & in venis sicut in vase. Nam etiam medullæ continentur intra ossa, & tamen non est ita rigorosa continentia. Sanè de Arist. mente constat ex dictis num. 3.

Dices. Solidum, & liquidum nequeunt continuari; sed sanguis est liquidus: ergo &c. Prob. maj. Nequit idem indivisibile punctum affici, nec etiam mediatè, fluiditate, & soliditate, ceu qualitatibus contrariis: ergo &c.

Resp. nego maj. cujus falsitas nitet in lacte cujus nonnunquam pars una coagulata continuatur cum liquida. Ad prob. dist. ant. nequit simul affici &c. perse, concedo, per accidens, nego ant. & conseq. Punctum siquidem perse nec soliditate, nec fluiditate, sicut nec alia ulla afficitur qualitate, sed duntaxat per accidens, sive per aliud, nimirum ratione partium. Minimè autem repugnat, idem affici per accidens duabus qualitatibus contrariis, sicut 4. Phys. diximus, quòd idem licèt perse nequeat contrariis motibus cieri; benè tamen per accidens ad motum alterius, puta Navis.

9. Arg. 3. Sanguis si ab Anima informaretur, eandem haberet substantialem formam, quam cæteræ obtinent partes, nimirum ossa, carnes, & nervi, cùm omnia per nos eadem informentur Anima, licèt secundùm diversum gradum, sed non habet eandem substantialem formam: ergo &c. Prob. min. Substantiva mutatio est à privatione substantialis alicujus formæ ad talem substantialem formam, sed nutritio, qua ex sanguine fit caro, est mutatio substantialis, licèt duntaxat partialis (qua ratione dicitur aggeneratio, ad differentiam mutationis substantialis totalis, quæ generatio dicitur) ergo sanguis est privatus forma substantiali, quam habet caro, adeoque &c.

Resp. nego min. Ad prob. cui maximè fidunt Garcia, & Mastrius primodùm insto. Etenim quemadmodum per nutritionem ex sanguine fit caro, ita ex carne fiunt ossa, nervi, &c. sed hoc non obstante inficiatur nemo, carnem informari eadem, qua ossa & nervi informantur anima: ergo pariter licèt, &c.

In forma autem dist. maj. mutatio substantialis formaliter talis, concedo, consumativè duntaxat talis, nego maj. & distinguo min. est mutatio substantialis consumativè, concedo formaliter, nego min. & conseq. Sanguinis itaque mutatio in carnem est consumatio nutritionis, & mutationis substantialis inchoatæ ex cibo, qui primò transmutatur in sanguinem; & tum fit transitus de privatione ad formam. Quæ mutatio tandem perficitur, & completur in carnes; non quidem novam acquirendo formam substantialem, sed novum acquirendo informationis substantialis modum, itaut si priùs secundùm vegetativum informabatur gradum, postea subsensitivo informetur.

Dices ex Mastrio. Ergo si non est mutatio substantialis formaliter, erit formaliter accidentalis mutatio. Quod tamen falsum esse ne dubita.

Resp. quòd formaliter non est mutatio, adeoque nec substantialis, nec accidentalis mutatio est, sed est consumatio substantialis mutationis, licèt secùm afferat mutationem aliquam etiam accidentalem, nimirum de fluido, & liquido ad solidum, de rubeo colore ad alios colores.

10. Arg. 4. Quod est informatum ab Anima est substantialiter diversum abeo, quod non est ab Anima animatum; sed sanguis naturalis non est substantialiter, seu essentialiter diversus à nutrimentali, qui per nos non informatur ab Anima: ergo &c. Prob. min. Quæ differunt secundùm perfectum, & imperfectum non sunt essentialiter diversa, sed sanguis naturalis differt à nutrimentali duntaxat penes perfectum, & imperfectum: ergo &c. Maj. est conspicua in viro, & puero, in mare, & fœmina.

Resp. nego min. Ad prob. dist. maj quæ differunt secundùm perfectum, & imperfectum perfectione accidentali, concedo, perfectione essentiali, nego maj. & distincta min. nego conseq. Namque unus Angelus differt ab alio, quia est illo perfectior, & tamen essentialiter ab illo differt & sic de pluribus aliis. Naturalis autem sanguis, & nutrimentalis differunt secundùm perfectum, & imperfectum perfectione essentiali, quia nutrimentalis veram sanguinis essentiam non obtinet, nec est verè sanguis, sed duntaxat apparenter, & quo ad aliqua accidentia. At Puer, & Vir, Mas, & Fœmina differunt perfectione tantùm accidentali, quia omnes vera gaudent hominis essentia, quæ est animal rationale.

Dices. Nutrimentalis differt à naturali, quia iste magis, ille minùs est decoctus, sed magis, & minùs decoctum non differunt specie essentiali: ergo &c. min. enitescit in musto, & vino.

Resp. dist. maj. majoritate ut octo idest in summo, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Etiam namque lignum calefactum, & lignum combustum differunt quia istud magis, illud minùs est calefactum; & tamen essentialiter differunt, quia secundum, ceu ut octo calefactum, est ignis. Nec vinum est decoctum ut octo, secùs factum esset acetum. Quod autem sanguis nutrimentalis non sit verè sanguis, deprehenditur, tum ex eo, quod vitæ operationes non habet, nimirum fervere in venis, cùm extra illas degat, inter carnem, & pellem; Tum quia non remanet in resurgentibus.

Inst. Sanguis naturalis, & nutrimentalis invicem continuantur, ut palam est, cùm è vena emittitur: ergo non sunt essentialiter diversi.

Conf. Sanguis, qui est in vena dissecta continuatur cum illo, qui effunditur, sed iste non informatur ab anima: ergo nec ille.

Resp. nego ant. Tum siquidem permiscentur. Quemadmodum si aqua vino infundatur permiscentur, & videntur continuari, quamquam re vera minimè continuentur.

Ad Conf. nego maj. Sicuti namque Virgæ pars virens, & pars arida videntur continuari, & re vera haud continuantur, & sensus decipitur, cùm una sit viva, & altera pars mortua; ita &c.

51. Arg. postremò. Quicquid ad humanæ spectat naturæ integritatem reassumpsit Christus resurgendo juxta illud Damasc. lib. de fide cap. 27. *quod semel assumpsit nunquam dimisit*, sed non reassumpsit totum sanguinem: ergo iste non spectat ad naturæ humanæ integritatem, adeoque &c.

Resp. dist. min. non reassumpsit sanguinem nutrimentalem, concedo, naturalem, nego min. & conseq. Ut enim inquit Sylvester in rosa aurea cap. 31. sanguis, qui à Maria Magd. servatus fuit in urceolo, & colitur apud PP. nostri Ordinis in Ecclesia S. Maximini; necnon ille, qui Mantuæ adoratur in Ecclesia S. Andreæ à Longino delatus, est sanguis nutrimentalis. Quod ex eo deprehenditur, quòd est sanguis mixtus non perfectè decoctus. Pius autem Secundus in quadam Bulla dixit, *non repugnare Fidei nostræ* dicere quòd aliquid in terra sanguinis reliquerit; non tamen dixit ita esse. Vel intellige de nutrimentali.

In non paucis autem locis fertur, haberi de sanguine Christi. Verùm (ut inquit S. Th.) plerisque in locis est sanguis manatus, non ex Christi corpore, sed quibusdam ea imaginibus, seu statuis Crucifixi.

Dices. Sanguis, qui est in corde, vel circa cor, est sanguis naturalis, ac purissimus ut Medici obtestantur; sed ille, qui Mantuæ asservatur est circa cor, vel in corde Christi, cùm fluxerit ex latere: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob dato ant. nego conseq. Ex Christi latere sanguis equidem fluxit, qui erat in corde, vel circa cor; sed tamen exivit etiam alius sanguis, qui ad vulnus illud aliis ex partibus confluebat.

Inst. Juxta probabilem Cajet. sententiam Christus totum effudit sanguinem nutrimentalem in Horto: ergo sanguis in passione effusus est totus naturalis.

Resp. primitèr Cajetani sententiam non adeo plausibilem esse, imò Cajet. non loquitur absolutè, eumque vindicant PP. Salmant. in tract. de Incarn. ubi supra dub. 3. in §. 5. n. 46. à nonnullorum calumnia. Præterea dico, quòd Christus secundùm Cajet. effudit in Horto sanguinem totum nutrimentalem, quem tum habebat. Cum quo tamen stat, quòd paulisper postmodum advenire potuerit tum ex cibo in Cœna, tum aliquo ex cibo, & potu, quem improbabile non est, ante crucifixionem sumpsisse.

Quibus omnibus addere possumus, Christi humanitatem integram adhuc fuisse, tametsi sanguinis tantillum terræ admixtum non reassumpserit, cùm parum pro nihilo reputetur.

Libet nihilominùs hic ab errore nonnullos revocare Mantuæ Historicos, qui non tam Christi, quam Patriæ zelo freti quandam recantant, fabellam, nimirum ferunt, celebrem peractam fuisse disputationem inter Minores, & Dominicanos summo coram Pontifice Leone III circa Christi Sanguinem Mantuæ asservatum *num sit verè Christi sanguis in passione effusus, vel aliqua duntaxat ex imagine*, ac Summum Pontificem sententiam tulisse contra Prædicatores dicentes, quod Christus totum reassumpsit sanguinem, nec quicquam proinde potest ejus adinveniri in terra.

Libet, inquam, hoc eos revocare ab errore. Quandoquidem lis inter duos istos Ordines fuit, non præadducta, sed alia prorsus, num, nimirum *sanguis in triduo mortis fuerit Verbo unitus*. Abnuentibus Minoribus præsertim Jacobo de Marchia, quem Minoritæ Mantuæ exhibent in imaginibus gestantem præ manibus vasculum, quasi palmam ex Dominicanis reportatam; & annuentibus Dominicanis suo cum Magistro, fuitque disceptatio habita coram Pio II. qui Prædicatorum sententiam approbavit; Minorum verò placitum improbavit, permotus tum rationum vi, Tum quia Prædicatores ostenderant eidem Pontifici decretum, & litteras apostolicas probatas ut authenticas, quas Clemens VI. ad Inquisitorem dederat Eymericum Ordinis nostri, ut Doctorem quendam, negantem, sanguinem in triduo mortis fuisse Verbo unitum, compelleret ad talem ejurandam Cathedrali in Ecclesia doctrinam tanquam erroneam. Historia legitur apud Gibelli l. 2. comment. Pii II. præsertim à pag. 511. adusque 537. ubi longam hac de re Dominicanos inter, & Minores fert fuisse habitam coram Pio II. dissertationem consentiente illo cum majori Cardinalium parte Dominicanis affirmantibus, unitum fuisse. De quo Sylvester in Rosa aurea tract. 3. q. 30. & 31. & 33.

Sic etiam fuisse determinatum à Pio II. fertur in Director. Inquisitorum part. 2. q. 50. Idemque ferunt Dominicus de Dominicis in Tract. de Sanguine Christi. Salmant. 3. p. Tract. 21. disp. 10. q. 5. dub. 3. Et qui tunc tempore pro Minoribus coram Pio II. agebat fuit Franciscus de Ruvere tunc Minorum Vicarius, qui fuit postea Sixtus IV. quique de hac re tractatum prætulerat. Vide Salmant. ubi supra num. 6. Tandem verò determinata res fuit à Paulo II. succedaneo ejusdem Pii II. De quo vide Medinam 3. p. in Trat. de Incar. & Nuperrimum nostrum P. Ignatium Amat de Graveson in opere de Mysteriis, & annis Christi dissert. 21. §. 1. concl 2. Item Natal. Alexandre sua in Ecclesiastica historia seculo 15. & 16. p. 1. cap. 1. art. 7. qui est de Pio II. ubi nonnulla digna fert ex Gobelino.

12. Colligi ea dictis potest, paritatem à nobis adductam n. 6. de 4. elementis haud quò ad omnia servari. Ob idque quamquam elementa singula formam habeant specificè diversam; non inde sequitur, etiam quatuor humores in Homine formam sortiri specificè diversam. Ratio est, quia totius Universi forma, sub qua cuncta stant elementa, quæ sunt Universi partes, non est forma aliqua substantialis, sed est potiùs ordo; secùs sequeretur, quòd quemadmodum singula elementa suam obtinent propriam formam totalem; ita quatuor ex humoribus quilibet formam possideret diversam totalem. Quod tamen admiserit nemo, nisi formam ad summum partialem diversam.

Colligi etiam potest, quòd spiritus vitales, sicut & spiritus animales sunt animati, cùm hujuscemodi spiritus sint sanguis purissimus. Idcircò separata anima à corpore remanent spiritus, non univocè, sed duntaxat æquivocè: quemadmodum sanguis, caro, ossa, &c. non nisi æquivocè dicuntur cum aliis, quæ erant, dum anima corpus informabat.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Capilli, Dentes, & Ungues, non verò semen, & lac informantur Anima totius.

13. QUò ad p. p. habetur ex Philos. 2. de Gener. animalium cap. 4. & hic tum lib. 1. tex. 79. tum lib. 3. cap. 13.

Prob. 1. ratiocinio D. Th. in 4. sent. dist. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ubi S. D. ostendit, Quòd Anima se habet ad corpus sicut ars ad artificiatum, & ad partes ejus, sicut ars ad instrumenta. Ars autem instrumentis utitur quibusdam, & hæc sunt de prima intentione artis. Sic ars militaris utitur gladio ad bellum, & vagina ad gladii conservationem. Ita etiam in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes Animæ exercendas, sicut Cor, Hepar, Manus, Pes, &c. & quædam ad conservationem cæterarum partium, ut folia sunt ad cooperimentum fructuum; ita capilli; & ungues sunt in Homine cæterarum partium ad tutamen; Ob idque sunt de secundaria intentione corporis humani, quamvis non de prima. Tum verò sic. Sed anima informat omnia sua instrumenta, hoc est organa, cùm sit actus corporis physici organici: ergo capilli, dentes, & ungues informantur ab anima.

14. Prob. 2. Capilli, dentes, & ungues spectant naturæ ad integritatem; ergo &c. conseq. est exacta ex dictis § 2. Ant. prob. Tum quia continuantur cum reliquis partibus. Tum quia corpora gloriosa cum iis duntaxat resurgent quæ naturæ ad integritatem attinent; sed gloriosa corpora resurgent cum capillis, dentibus, & unguibus, ut etiam docet S. Th. ubi supra: ergo &c.

15. Prob. 3. alio ratiocinio D. Th. ubi supra ad 3. Capilli, dentes, & ungues operationes sortiuntur Animæ Vegetatricis: ergo &c. Prob. ant. Capilli, dentes, & ungues nutriuntur, & augentur ab intrinseco, non verò per juxta-positionem; ergo &c. Conseq. est exacta ex dictis q. 1. art. 2. Ant. prob. Eorum inserentibus in partibus deprehenduntur venulæ quædam, & fibræ, per quas attrahunt alimentum: ergo &c.

16. Quod de capillis dixi, idem dicendum de pilis, sive barbæ, sive aliis in partibus tum Hominis, tum cæterorum animalium: necnon de plumis avium, de squamis piscium, &c.

Si-

Similiter quod de Unguibus, ac Dentibus dictum est, idem de cornibus, & spinis quorundam animalium dicendum.

17. Quòd ad 2. p. docetur à D. Th. q.3. de pot. art. 9. ad 9. ubi cohærenter ad Philosophum hic 2. de Anima *dicitur*, inquit, *in 2. de Anima, quod potentia vitæ, quæ est in corpore organico, cujus actus est Anima non est abjiciens Animam, sicut semen & fructus. Ex quo datur intelligi, quod semen est ita in potentia ad Animam, quod Anima caret.*

Quæ tamen authoritas, ni benè intelligatur, videbitur nobis adversari, cùm dicat, semen abjicere Animam sicut fructus; exploratum autem est, fructum non carere anima. Sed animadverte, quod loquitur de fructu considerato, non ut in se, sed ut virtualiter contento in semine. Cujus signum est, quòd postmodum duntaxat de semine, non verò de fructu intulit dicendo: *ex quo datur intelligi, quod semen ita est in potentia ad Animam, quod Anima caret.*

18. Prob. unico ratiocinio D. Th. In 4. dist. 44. q. 1. art. 2. ad 5. Ea tantummodo informantur ab anima, quæ sunt partes spectantes ad individui integritatem; sed semen, & lac non attinent ad individui integritatem: ergo &c. Maj. ex dictis §. 2. n. 4. enitescit. Min. verò est doctrina S. Th. loco nuper citato, ubi, *semine*, inquit, *non indigetur ad perfectionem individui, sicut capillis, sed solùm ad perfectionem speciei*. Ex quo postea S. D. probat. Hominem resurrecturum cum capillis, & unguibus, at non cum semine. Et præterea prob. sic. Semen, & lac intenduntur, non propter bonum individui, benè verò propter speciei bonum; ergo &c. Prob. ant. Semen intenditur à natura propter generationem prolis, sicut & lac propter alendam prolem: ergo &c.

Conf. Homines non resurgent cum semine, & lacte: ergo ista non spectant illorum ad integritatem.

Neque dixeris cum Lerma, ideo sine semine, & lacte resurrecturos, quia non amplius propagationis speciei, sicut nec nubendi statuerit.

Ne, inquam, id dixeris, Tum quia ex hoc habeo, esse intenta duntaxat propter speciei bonum. Tum quia sequitur, non spectare individualis ad naturæ integritatem, cùm corpora resurrectura sint sua in integritate. Et sanè non est dicendum, pueros carentes semine, sicut & Virgines carentes lacte esse mancos.

Urg. Si semen, & lac informarentur ab Anima, jam dum è generante, aut nutriente decidunt amitterent Animam, sicque corrumperentur; quod tamen falsum esse constat vegeti ex virtute in eo ad generationem manente, & nutritionem; solumque dicitur corrumpi sanguis, ex quo fit sperma, aut lac.

§. V.

Adversariorum argumenta solvuntur.

19. ARg. 1. contra p. p. Capilli non nutriuntur, nec augentor vitali modo ab intrinseco: ergo &c. Prob. ant. Quod augetur ab intrinseco, augetur secundùm trinam dimensionem, omnesque positionum differentias, ut habet Philos. 2. de Gener. cap. 5. & hic lib. 2. cap. 2. tex 14. sed capilli augentur duntaxat secundùm longitudinem: ergo &c. Prob. min. Capilli si etiam secundùm latitudinem, & profunditatem crescerent, tantam sortirentur latitudinem, & profunditatem, quantam & longitudinem: ergo &c.

Conf. Si capilli informarentur ab Anima, sicut & ungues, aliquo afficeremur dolore, non modò dum convelluntur, verùm cùm scinderentur, ut in dentibus contingit.

Resp. nego ant. Ad prob. nego min. cujus ad prob. dist. ant. si crescerent æqualiter concedo, secùs, nego.

Ad Conf. dico, non defuisse, qui dixerit, dentes informari, etiam sensitivum secundùm gradum. Satiùs tamen dicendum, dentes non percipere dolorem, sed quòd membrana, & nervus illi unitus, vel etiam corpus ipsum, cui præ capillis, & unguibus fortiter hærent dentes, affici dolore.

Dices. Capilli, & ungues crescunt etiam, imò magis in cadaveribus; sed in istis non est Anima: ergo non augentur vitali modo.

Urg. non majorem habet Anima virtutem in ægrotis, quàm in sanis; sed in illis palam est, magis crescere ungues, & capillos: ergo &c.

Resp. in illis crescere ad corruptionem per juxtapositionem partium, quæ tabescere incipiunt; ut 6. Phys. in fine de corpore humido in loco posito diximus. Nec in cadaveribus sunt univocè capilli, & ungues, sicut nec caro, os, &c.

Ad Conf. Dico quòd in ægrotis magis crescunt, quia in eis magis dilatantur pori, minusque proinde impedimentum extat, non verò quia in infirmis incrementum sortiantur ab extrinseco.

Inst. Quæ vitaliter crescunt, determinatum sui augmenti terminum habent; sed capilli, & ungues si infinitiès resecarentur, infinitiès crescerent: ergo &c.

Conf. Si ungues vitaliter crescerent, crescerent quoque maculæ quædam in illis repertæ, quemadmodum maculæ in carne extantes, & nodi in arbore crescunt; sed id falsitate laborat: ergo &c.

Resp. dist. maj. ad hunc sensum, quòd habeant tantam magnitudinem, quam excedere minimè queant, concedo; ad hunc sensum, quòd si quidpiam eis detrahatur nequeat restaurari, nego. Etiam namque caro aliqua interdum sibi minuta parte, æqualem recuperat.

Ad Conf. omissa maj. nego min. Palam namque est, in Pueris magis, quàm in viris tenues esse maculas illas. Non tamen ab intrinseco crescunt maculæ illæ, sicut neque in carne, cùm nec ad ornatum, nec ad fortitudinem spectent, sed per accidens omninò quibusdam ex imperfectissimis adveniunt excrementis. Nodi autem ab intrinseco crescunt, quia sunt partes arboris magis pressæ, & condensatæ.

20. Arg. 2. ad idem. Capilli, & ungues sunt excrementa naturæ; sed ista non informantur ab Anima, ut de saliva, urina, sudore, &c. certum est: ergo &c. Prob. maj. Fiunt ex excrementis, & non ex alimento: ergo sunt excrementa, imò excrementis ipsis deteriora.

Conf. Capilli, & ungues non fuerunt assumpti à Verbo; sed Verbum omnia assumpsit, quæ naturæ ad integritatem attinent: ergo Capilli & ungues non sunt de naturæ integritate, adeoque &c. Prob. maj. Complures ex capillis non est probabile non deperdidisse Christum, sicut & unguium partes rescidisse; sed Verbum quod semel assumpsit (ut Damasc. inquit lib. de Fide cap. 57.) nunquam dimisit: ergo &c. Idem dici quò ad dentes potest, nimirum eos variasse, sicut & cæteri in pueritia.

Resp. ad arg. capillos, & ungues ex aliquo fieri, quod licèt comparativè ad id, ex quo fiunt partes nobiliores, sit excrementum, absolutè tamen loquendo est nutrimentum, licèt imperfectum valde.

Dentes quoque (ut & Medici annount) non fiunt, ex excrementis, sed nonnulli fiunt ex semine crassiori inter maxillas latitante; alii fiunt, ac nutriuntur ex lacte; alii ex ipsius individui substantia.

Dices. Ideo sudor, urina, ac saliva non informantur ab Anima, quia abjiguntur ab Anima; sed etiam capilli, & ungues foras abjiciuntur: ergo &c.

Resp. nego min. absolutè loquendo. Ut namque S. Th. loco citato supra num. 14. docet, partes aliquæ omnino retinentur, ut sunt caro, sanguis, nervi, ossa &c. aliæ verò omnino abjiciuntur, ceu nullatenus naturæ ad perfectionem spectantes, uti sunt sudor, urina, saliva, &c. Aliæ partim retinentur, & partim abjiciuntur, quia aliqualiter attinent naturæ ad perfectionem, nimirum ad ornatum, fortitudinem, &c. Et hujusmodi sunt capilli, dentes, & ungues.

Ad Conf. nego maj. Ad prob. dist. min. quod semel assumpsit per modum transeuntis, nego, per modum permanentis, subdist. loquendo de partibus principalioribus, concedo, imperfectissimis, nego min. & conseq. Quemadmodum namque non deperditur integritas naturæ Christi per hoc, quod vi caloris naturalis partem aliquam suæ materiæ decursu vitæ amiserit, non minùs ac cætera viventia; ita multò minùs per deperditionem alicujus capilli, dentis, vel partis unguium. Eò vel maximè, quòd novæ continuò subrogantur. Sicut & supra diximus §. 3. non minui integritatem per hoc, quod modicum sanguinis non reassumpserit.

21. Arg. 3. contra 2. p. Semen, & Lac moventur ab Anima: ergo ab Anima informantur. Prob. ant. Semen, & Lac recipiunt Animæ impressiones, & ab ea moventur ad sua propria loca.

Resp. dist. ant. moventur ab extrinseco, concedo, ab intrinseco, nego ant. & conseq. Ea namque duntaxat Anima movet ab intrinseco, quæ individui ad integritatem, & perfectionem attinent; alia verò tantummodo ab extrinseco, nimirum vel ea attrahendo, ut cibum, vel abigendo, ut excrementa; sicut & omnia ad extranea perficienda, ut semen, & lac.

Contra. Semen movetur ab Anima ab intrinsecis: ergo &c. Prob. ant. Arborum fructus solent esse etiam semina; sed fructus moventur ab intrinseco: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. solent esse semina ratione ejus, quod includunt, concedo, ratione sui, nego min. & conseq. Fructus namque non sunt ipsum semen, sed claudunt in se ipsum semen.

22. Arg. postremò. Semen, & Lac ad substantiam individui spectant, & perfectionem: ergo &c. Prob. ant. Tum quia S. Th. in 2. sent. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 2. *Sanguis*, inquit, *aliquo modo dicitur esse de substantia generantis, & multò amplius semen, quod est ad ulteriorem digestionem productum*. Tum quia sanguis pertinet ad individui substantiam; sed Semen, & Lac fiunt ex sanguine: ergo &c. Tum quia constat naturam debilitari Seminis ex effusione. Tum demum quia Spadones Semine carentes sunt manchi.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. explico cum distinctione, est de substantia generantis, hoc est factum de substantia generantis, concedo, hoc est pars ipsius substantiæ, nego. Ubi animadverte, quòd S. D. ibi loquitur de sanguine, non in se considerato (iste namque non tantùm est ex gignentis substantia, sed est actu illius pars). sed de eo, quod ad genesim ministratur, estque in corrumpi, ut fiat semen. Per quod patet ad 2. prob. Semen namque, & Lac quamquam fiant ex sanguine, qui est pars substantiæ generantis, non tamen sunt sanguis, adeoque nec individui pars sunt.

Ad 3. dicatur, id provenire, non quia Semen sit pars viventis, sed quia quò plùs de Semine emittitur, eò plùs de sanguine convertitur in semen.

Ad ult. Resp. Spadones dici mancos, non quia Semine careant (secùs etiam pueri forent manchi) sed quia in eis resecantur nervi aliqui, qui sunt Seminis fabri.

QUÆSTIO TERTIA.

De Potentiis Animæ in Communi.

TRia perpendere operæ pretium hic est 1. Num potentiæ specificentur per actus, & objecta, quotque sint potentiæ generales Animæ 2. Num potentiæ realiter distinguantur ab Anima 3. quodnam sit subjectum potentiarum vitalium animæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Num potentiæ specificentur per actus, & objecta, quotque sint potentiæ generales Animæ.

§. I.

1. DUo simul pervestigantur, quia ex primo secundum infertur.

Ut autem primæ partis sensum Lector assequatur, noverit, quòd res in Universo sunt duplici in differentia. Aliæ sunt omnino absolutæ, per se primò intentæ à natura, ut sint. Et istas exploratum est, speciem habere à sui differentia metaphysica intrinseca absoluta. Aliæ sunt per se primò intentæ propter aliud, ut relatio, motus, actio, passio, &c. quas inter potentiæ obtinent locum per se primò ordinatæ ad objecta.

Noverit prætérea, quòd specificativum aliud est intrinsecum, sicut forma dat speciem composito, animalitati rationalitas, &c. Aliud extrinsecum, sicut idea (quam in fine 2. Phys. diximus, spectare ad genus causæ formalis extrinsecæ) est specificativum artefacti, seu ideati, mensura rei mensurabilis, &c. Omnibus apertum est, potentias non specificari intrinsecè ab actibus, & objectis, seu extrinsecis, adeoque intrinsecè specificari Thomista dicit ab ordine ad objecta, eò quòd ordo ad objecta, & actus est potentiis intrinsecus. Quod ergo discutitur est, num specificentur ab illis extrinsecè.

2. Scotus, Scotique gregales in 2. sent. dist. 26. negant, potentias specificari ab actibus, & objectis à priori, concedunt tamen, ab eis specificari à post. quatenus per actus, & objecta diversæ dignoscuntur potentiæ. Hæc quoque fuit sententia Philoponii, Apollinaris, & Pauli Veneti.

Thomistæ verò, & ferè communiter Thomistæ ab affirmantibus sunt.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Potentiæ distinguuntur, seu specificantur per actus, & objecta.

3. EAm in terminis edidit S. Th. p.p. q. 77. art. 3. ubi etiam in arg. *sed contra* citat Philosophum dicentem 2. de anima tex. 33. *quod priores potentiis actus, & operationes secundùm rationem sunt, & adhuc his priora sunt opposita, seu objecta*, sed distinctio specifica sumitur à priori secundùm priora: ergo potentiæ specificantur à priori per actus, & objecta. Item q. de Anima art. 13. per totum.

Prob. 1. ratiocinio, quod habet S. Th. ubi supra. Quotiescunque unum per se primò, & essentialiter ordinatur ad aliud specificatur ab illo, ad quod sic ordinatur; sed potentiæ ordinantur per se primò, & essentialiter ad actus, & objecta, nimirum ad actus immediatè, & ad objecta mediatè: ergo &c. Utraque præmissa probanda venit. Prob. Maj. inductivè. Siquidem artefactum, seu ideatum, quia est factum ab Artifice per se primò per respectum ad ideam, nimirum ut assimiletur ideæ specificatur ab idea, & juxta ideæ diversitatem diversificantur ideata. Similiter mensurabile per se primò, & essentialiter respiciens mensuram, specificatur à mensura, cùm tota mensurabilitatis essentia sit posse per mensuram mensurari. Tum ratione. Etenim quando per se primò, & essentialiter ordinatur ad aliud, esse ipsius est intentum propter illud: ergo ejus esse pensatur secundùm illud, adeoque ab eo specificatur. Tum à pari. Quod est per se primò, & essentialiter intentum propter se, specificatur ab eo, quod in se est: ergo pariter quod est per se primò, & essentialiter intentum propter aliud specificatur ab illo.

Modò prob. min. 1. De potentiis, Tum quia potentiæ sunt per se primò intentæ, ut inserviant substantiæ ad operationem, & reapse potentia visiva non est ordinata, nisi ad visionem. Tum quia magis ordinantur ad actus, & objecta potentiæ, quàm habitus, cum illæ præ istis tendant ad illa, sed exploratum est, habitus per se primò, & essentialiter esse propter actus, & objecta: ergo &c. Tum quia quemadmodum species est repræsentativa objecti, ita potentia est elicitiva actus, & attactiva objecti, sed species per se primò, & essentialiter ordinatur ad repræsentandum objectum: ergo pariter &c.

Præterea eadem prob. min. de actibus. Actus est potentiæ exercitium, quod exercitium nil aliud est, quàm tendentia potentiæ ad objectum, ut palam est: ergo &c.

Conf. Actiones in moralibus specificantur ab objectis, ad quæ ordinantur, vel à fine, propter quem eliciuntur in omnium sententia, ut videbimus in Ethica q. 5. art. 4. ergo pariter potentiæ specificabuntur physicè ab actibus, & objectis, ad quæ physicè ordinantur. Sicut namque se habet moraliter ordinatio in esse moris, ita se habet physicè ordinatio in esse physico.

4. Prob. 2. Conclusio, seu potiùs confirmantur prædicta. Unumquodque speciem sumit, saltem tanquam ab extrinseco specificativo per ordinem ad quod definitur, sed potentiæ definiuntur per actus, & objecta: ergo &c. Maj. ignoratur à nemine non ignorante, quòd definitio explicat essentiam rei. Min. explicatur. Potentia intellectiva definitur principium proximum intellectionis, volitiva volitionis, visiva visionis, auditiva auditionis, &c. ergo &c. Et quidem essentialibus definitionibus, cùm non aliæ sint excogitabiles pro potentiis essentiales definitiones & differentiæ essentiales, quas tamen habere debent, cùm suas habeant essentias inter se diversas.

§. III.

§. III.

Adversariorum argumenta solvuntur.

5. ARg. 1. Ideo per nos potentiæ specificantur per actus, & objecta, quia per se primo essentialiter ordinantur ad actus, & objecta; sed id propugnari haud potest: ergo &c. Prob. min. Absolutum non ordinatur essentialiter ad aliud, cùm absolutum etymologicè dicatur quasi *ab alio solutum*, sed potentiæ sunt quid absolutum: ergo &c. Prob. min. Potentiæ sunt de genere qualitatis, non verò de genere relationis: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. ex dictis 1. Phys. q. 2. art. 4. § 3. dist. min. sunt quid absolutum à relatione, & ordine prædicamentali, concedo, transcendentali, nego min. & conseq. Palam namque est, quòd materia prima non est relatio prædicamentalis, cùm sit de genere substantiæ; & tamen essentialiter ordinatur ad formam. Substantia non est relatio prædicamentalis, & tamen essentialiter ordinatur ad subsistendum, adeoque ad subsistentiam. Et sic in aliis compluribus. Ita &c.

Contra. Si potentiæ essentialiter ordinarentur ad objecta, necessaria semper foret distinctio realis inter potentiam, & objectum; sed nonnunquam oppositum evenit: ergo &c. Maj. latet neminem, quem non lateat, quòd nihil refertur ad seipsum. Eò vel maximè, quòd inter causam præcipuè extrinsecam, & effectum realis versatur distinctio, ut 2. Phys. diximus; objectum autem foret causa formalis extrinseca potentiæ. Min. prob. Objectum intellectivæ potentiæ est ens; sed potentia intellectiva non distinguitur realiter ab ente, cùm sit realiter ens: ergo &c. Eò vel maximè quòd eadem intellectiva potentia potest esse objectum suipsius per actum reflexum.

Resp. nego min. Ad 1. prob. primitèr dico, quòd potentia intellectiva licèt sit realiter ens, non tamen illud idem ens, quod est ejus objectum, sed est aliud ens. Præterea ad utramque prob. dist. non distinguitur realiter à suo objecto nudè sumpta, concedo, simul cum actu, nego. Hoc enim modo dicit actum, qui & ab ipsa potentia, & ab objecto realiter distinguitur. Sufficit autem distingui realiter sumpta cum actu, quia specificatur ab objecto, non immediatè, sed mediatè, nimirùm mediante actu.

6. Arg. 2. Potentiæ intelliguntur sua in specie constitutæ in aliquo priori ad ordinari ad actus, & objecta: ergo &c. Prob. ant. Priùs est, quòd potentiæ sint constitutæ in sua natura, & specie, quàm quòd ordinentur ad actus, & objecta: ergo &c. Prob. ant. Ideo ordinantur ad actus, & objecta, quia sunt talis naturæ, hoc est quia earum sic exigit natura: ergo &c.

Resp. dist. ly *ideo* dicente veram propriè causalem, nego, causalem impropriè, ac per modum explicandi, concedo ant. & nego conseq. Licèt ergo quòad imperfectum explicandi modum priùs sit habere essentiam potentiæ, quàm ordinem ad actus, & objecta, & iste videatur earum ex essentia provenire; Tamen re vera haud ita res se habet; quia talis ordo transcendentalis est ipsa earum essentia. Quemadmodum si diceretur, Homo constituitur per animal rationale, quia est talis naturæ, quæ petit constitui talia per prædicata, ly *ideo* non dicit causam verè, & propriè, nec sequitur, priùs intelligi essentiam Hominis verè, & propriè, quàm animal rationale, cum animal rationale sit ipsamet hominis essentia.

Contra. Eatenus potentiæ specificantur ab actibus, & objectis, quia ad ea ordinantur ut ad finem; sed pro priori ad causam efficientem, & finalem res intelligitur constituta metaphysicè in sua essentia: ergo &c. Prob. min. Tum quia substantia habet causam efficientem, & finem; & tamen pro priori ad istas intelligitur metaphysicè constituta, cùm non sit specificabilis ab extrinseco: ergo &c. Tum quia res intelligitur pro priori ad actualem existentiam, sed causa efficiens, & finalis influunt in existentiam: ergo &c.

Resp. dist. min. pro priori ad causam efficientem, & finalem sumpta causa finali prout exercet purum causæ finalis munus, concedo, prout exercet munus causæ formalis extrinsecæ, nego min. & conseq. Regula autem pro dignoscendo quando exerceat, vel non exerceat munus etiam causæ formalis, ea videtur, nimirum quotiescunque finis est finis operis, ac operati, non verò operantis duntaxat, tunc exercet etiam munus causæ formalis extrinsecæ, & tunc res definitur per ordinem ad talem finem. Per quod patescit ad 1. & 2. prob. Ad 1. quidem quia substantia non ita definitur per ordinem ad finem, benè verò potentiæ per ordinem ad actus, & objecta, ut vidimus n. 4.

Dices. In sententia probabili eadem est causæ efficientis, & finalis causalitas; sed causa efficiens nullatenus influit in essentiam, ut dans illi speciem, ut 2. Phys. visum est: ergo & sic se habet finalis causa.

Resp. sententiam illam, quam nos 2. Phys. improbavimus, loqui de fine purum causæ finalis munus exercente. Præterea sententia illa dicit, eandem utriusque esse causalitatem, secundùm tamen diversam rationem.

7. Arg. 3. Prius non specificatur per ea, quæ sunt posteriora; sed potentiæ sunt priores ad actus: ergo non specificantur per actus. Maj. manifesta extat, Tum quia, quod est posterius supponit id, quod est prius; Tum quia judice D. Th. ut vidimus n. 3. unumquodque specificatur per ea, quæ sunt priora. Min. verò prob. Actus producuntur à potentiis: ergo &c.

Resp. dist. maj. prius in genere causæ formalis, & finalis, concedo, in genere causæ purè efficientis, nego maj. si universaliter loquatur, & distincta min. nego conseq. Dupliciter considerari actus queunt. Primò ut sunt effectus potentiæ in genere causæ efficientis, vel, ut alii dicunt, in executione. Et hoc modo non specificant potentias à priori, sed duntaxat eas à post. manifestant. Secundò quatenus sunt finis earundem potentiarum. Et hoc modo præcedunt in genere causæ formalis, & finalis extrinsecæ, seu (ut alii dicunt) in intentione potentias, idcircò secundùm hanc rationem specificare eas possunt.

Contra: Dari mutua nequit causalitas eodem in genere causæ; sed actus specificantur à priori per potentias: ergo &c. Prob. min. Per nos unumquodque specificatur ab eo, ad quod essentialem dicit habitudinem; sed actio essentialiter respicit potentiam, & quodlibet sui effectivum principium, cùm essentialiter dicat *ab*, nimirum esse ab alio: ergo &c.

Ad hoc complures respondent in m. f. dupliciter considerari actionem posse. Primò ut est egressio ab agente. Et hoc modo specificatur à principio operativo. Secundò ut actualitas agentis. Et hoc modo non specificatur ab illo, sed specificat illud. Ob idque mutua causalitas est secundùm diversam rationem.

Verùm aliis durum videtur, quòd eadem res etiam secundùm diversam rationem duplex queat sortiri specificativum, cùm nec secundùm diversam rationem duas habeat essentias. Propter quod durum quoque eis videtur (ut videre est apud Jo: à S. Th.) dogma Cajetani, asseverantis, potentias in ratione proprietatis specificari ab essentia, à qua dimanant; in ratione verò potentiæ specificari ab objectis. Qua ex re postea Cajet. infert, potentiam visivam Leonis, & Equi esse diversæ speciei in ratione proprietatis, & esse ejusdem speciei in ratione potentiæ. De quo Deo dante aliqua ipse dicam in tract. de Incar. quæstiuncula ponenda post quæst. quintam art. unico post quæsitum 2. §. 1. adversus Lorcam.

Nihilominùs sententia ista se tutatur dicendo, quòd differentiæ illæ sunt subordinatæ se habentes per modum unius.

Verùm quicquid sit de hoc, cùm de potentia visiva Leonis, & Equi nos aliter diximus q. prægressa art. 4. ad 6. arg. Ideò aliter.

Resp. nego min. Ad prob. dist. maj. quod essentialiter ordinatur ad aliud ut ad sui perfectivum formale, concedo, ut ad suum perfectibile ut forma ad materiam, vel ut perfectivum duntaxat in genere causæ efficientis, ut actus ad potentiam, nego maj. & distincta min. nego conseq.

Inst. Actio vitalis distinguitur à non vitali per hoc, quod prima est à principio ab intrinseco, non verò secunda: ergo à priori actus specificantur à suo principio. Prob. conseq. Quoniam hic nullatenus involvitur objectum.

Resp. nego conseq. Ad prob. dist. ant. non involvitur explicitè, concedo, nec implicitè, nego ant. & conseq. Distinguuntur namque ex diverso modo, & diversa ratione formali tendendi ad objectum; quia nimirum actio vitalis tendit ad objectum modo vitali & ut attingibile vitaliter, nempe media actione proveniente à principio se movente; secùs verò non vitalis.

Dices. Actiones Animæ Vegetativæ V. G. generatio,

tio, &c. ut sunt à Deo habent eundem specificè terminum, ac prout sunt à causa secunda; sed nihilominùs distinguuntur specie inter se: ergo actiones specificantur à suo principio, & nullatenus ab objecto.

Resp. dist. ant. eundem in esse entis, concedo, in esse termini, nego ant. & conseq. Ut namque vidimus 7. Phys. q. 2 art. 2 §. 3. ad 5. num. & ibi lib. 2. q ult. art. unicu §. 3. Deus, causæ secundæ particulares, & universales secundùm diversam rationem eundem ad effectum concurrunt.

8. Arg. 4. Actus specificantur à potentiis, & ab objectis; sed actus nequeunt specificare objecta, à quibus specificantur: ergo nec potentias specificare valebunt. Prob. maj. Per nos actus specificantur ab objectis; sed potentia, & objectum sunt unicum principium totale productivum actus, cùm per suas species unà cum potentia effectivè concurrat: ergo actus specificantur à potentia, & ab objecto.

Resp. dist. maj. specificantur ab objectis in genere causæ formalis extrinsecæ, concedo, in genere causæ efficientis, nego maj. & data min. nego conseq. Specificantur namque ab objectis ut sunt mensura, forma extrinseca, ac terminus potentiarum, actumque, non verò ut sunt actuum principium.

Dices. In nostra sententia relatio specificatur & à fundamento, & à termino: ergo pariter & à principio, & ab objecto specificabitur actus. Conseq est exacta, quoniam quemadmodum potentia effectivè ad actum, ita fundamentum ad relationem se habet.

Resp. dist ant. specificatur formaliter à fundamento, nego, causaliter effectivè, concedo ant. Et in hoc sensu, concedo etiam conseq. Hanc tamen scias differentiam in Logica assignatam inter relationem, & ipsam actionem, quod licèt utraque causaliter extrinsecè specificetur à principio effectivo, & formaliter intrinsecè ab ordine, quem habent ad objectum, vel terminum, & extrinsecè ab utroque; Tamen relatio specificatur extrinsecè à termino, non formaliter, sed duntaxat completivè, & terminativè, cùm respiciat terminum, ut purè terminum. Potentia autem respicit objectum ut sui mensuram, & causam formalem extrinsecam, adeoque formaliter ab eo specificatur.

Adde, discrimen etiam aliquod esse, quia fundamentum non ordinatur per se ad relationem, cùm hæc ei omnino accidat. Potentia autem per se ordinatur ad actum.

Dices iterum. Unio specificatur ab utroque extremo unitu: ergo pariter actio à principio, & objecto. Prob. conseq Tum quia quemadmodum unio respicit utrumque extremum, ita actio principium, à quo est, & objectum, seu terminum, ad quem est. Tum quia actio est unio quædam agentis ad passum.

Resp. primitùs ant. eadem, qua non probatur facilitate negari posse. Præterea discrimen est, quia unio ceu modus quidam, est quid incompletum nullo directè in genere, & specie collocatum, reducandum proinde ad speciem utriusque extremi, cum utrumque afficiat in sententia illa probabili, quam nos 1. Phys. q. 4 abjecimus. Cæterùm actio ceu quid directè collocatum in prædicamento actionis est quid completum, sicut & potentia de prædicamento qualitatis.

Inst. S. Th loco num. 3. à nobis relato *differt enim*, inquit, *calefactio ab infrigidatione secundùm quod hæc à calido activo ad calidum; illa autem à frigido in frigidum procedit:* ergo de mente S. Th. actio à principio, & ab objecto speciem venatur.

Resp. S. Th loqui de specificari activè, juxta jam dicta. Vid. Cavinum, qui etiam aliam solvit objectionem in quorundam Thomistarum doctrina, quos ego minimè inveni.

9. Arg. 5. Si specie distinguerentur potentiæ, & actus per ordinem ad objecta, quoque realiter per ordinem ad illa distinguerentur; sed per ordinem ad objecta non distinguuntur realiter: ergo &c. Maj. haud ignota erit ei, cui haud ignotum est distinctionem specificam esse realem, & magis quàm numericam. Min prob. Nemo dat, quod non habet; sed pluries potentiarum realiter distinctarum objecta haud realiter distinguuntur, ut de vero intellectus objecto, & de bono voluntatis objecto palam est: ergo nec potentiis realem præbere distinctionem queunt.

Resp. nego min. Ad prob. dist. min. & aliàs attinguntur, ac si realiter distinguerentur, adeoque distinguuntur realiter æquivalenter, tametsi non formaliter, concedo, secùs, nego min. & consequentiam. Quòd itaque verum, & bonum sint realiter identificata de materiali se habet respectu intellectus, & voluntatis, quia considerantur, ac si distincta realiter forent. Intellectus namque attingit verum, ac si non esset bonum, nimirum nihil curando de bono. Idcircò cum objecta specificent potentias eo modo, quo ab illis considerantur, fit inde, quòd realis distinctio haberi per ea possit. Idem dic de voluntate, quæ attingit bonum, nihil curando, quòd sit verum.

Nec inde sequitur, quòd distinctio minor majorem causet. Non, inquam, quia se habet, ac si non esset minor, sitque æquivalenter non minor, seu æquivalenter realis.

Adde, quòd distinguuntur saltem virtualiter; & virtualis distinctio reali æquivalet; habentque in se virtualiter distinctionem realem.

Contra ex Arriaga, cui istæ minimè arrident doctrinæ. Voluntas ipsa debet cognoscere objectum: ergo curat de vero, debetque cum intellectu confundi. Prob. ant. Voluntas debet moveri, & excitari motione, & excitatione intentionali; sed moveri, & excitari intentionaliter est moveri, & excitari in ratione cognitionis habitæ ab objecti bonitate, vel malitia: ergo &c.

Conf. Nequit objectum amari per unam potentiam, & cognosci per aliam: ergo &c. Prob. ant. Idem Christi Domini objectum nequit cognosci per unam naturam, puta Divinam, & amari per aliam, puta humanam, secùs non esset necessarius in Christo intellectus creatus: ergo pariter &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. maj. prout ly *esse intentionale* idem est, ac objectivè, concedo, prout idem est, ac cognoscitivè, subdistinguo, si dicat puram conditionem, concedo, si rationem dicat formalem, nego maj. & distincta min. nego conseq. Cùm dicitur, quòd finis movet in esse intentionali, sumitur ly esse *intentionale* prout dicit esse objectivum, sumpto esse objectivo, non pro esse cognito, sed pro esse intento; & etiam pro esse cognito, si tamen in hoc puta importetur conditio, nimirum status iste intentionalis ut conditio necessariò requisita, juxta dicta 2. Phys. q. 3.

Ad Conf. nego ant. Ad prob nego conseq. & paritatem Discrimen est, quia potentiæ intellectiva, & volitiva ita sunt in operando connexæ, quòd eodem communicant in radicali principio, quod est Anima. Si autem foret amatum ab una natura, & cognitum ab altera, non tantùm essent duæ potentiæ, sed neque communicarent in radicali principio.

10. Arg. 6. Stat unitas, & distinctio specifica potentiæ absque unitate, & distinctione specifica actuum, & objectorum: ergo &c. Prob. ant. 1. quò ad p. p. de actibus. Eodem ab intellectu proveniunt actus assensus, & dissensus; actus scientiæ, & opinionis; apprehensio, judicium, & discursus, & complures alii mediis diversis habitibus. Similiter eadem à voluntate proveniunt actus amoris, & odii; sed omnes isti actus sunt inter se specie diversi: ergo &c. Secundò quò ad 2. p. De iisdem actibus. Stat distinctio specifica habituum sine distinctione specifica actuum: ergo pariter stabit distinctio specifica potentiarum sine distinctione specifica actuum. Prob. ant. Actus V. G. fidei proveniens ab habitu fidei, & actus fidei proveniens ab auxilio alio intrinseco sunt ejusdem speciei, cùm habeant objectum ejusdem speciei; & tamen habitus fidei specie distinguitur ab illo auxilio.

Prob. præterea de Objectis. Eadem visiva potentia potest plura specie distincta objecta attingere, puta album, & nigrum &c. Idem intellectus plura entia specie distincta.

Conf Stat actuum specifica distinctio & habituum absque objectorum specifica distinctione: ergo &c. Prob. ant. Actus, quo quis per martyrium vult vitam profundere propter Dei amorem, & actus, quo quis vult eleemosynas elargiri pariter propter Dei amorem, distinguuntur specie; & tamen idem habent objectum, eundemque finem: ergo &c.

Resp. ad arg. primitùs probare, quòd nec à post. specificentur per actus, & objecta. Deinde, nego ant. si absolutè loquatur. Ad 1. prob. quantùm ad id, quod dicitur de actu assensus, & dissensus, apprehensionis, judicii, & discursus (quod & de actibus speculativis, & practicis objici poterat) dico, quòd licèt distinguantur specie in esse entis, vel in esse attingibili ab habitibus, non tamen in esse attingibili ab intellectu. Ratio est, quia omnes respiciuntur ab

intel-

intellectu, ut tendunt ad veritatis acquisitionem, trahendo objectum ad se, in quo distinguitur intellectus à voluntate. Quantùm verò ad actus scientiæ, & opinionis (sicut etiam dici potest de actibus diversarum scientiarum) dico, quòd actus illi eâtò distinguantur specie ut stant sub illa ratione, sub qua considerantur ab intellectu, ut diversis habitibus informato, non tamen ut stant sub illa ratione, sub qua considerantur ab intellectu secundùm se. Seu licèt diversa sit ratio specifica, sub qua considerantur ab habitibus; non tamen illa, sub qua considerantur ab intellectu; quia ab intellectu considerantur & attinguntur sub universaliori ratione.

Et per hoc patescit ad id, quod de odii, & amoris actibus dicitur. Isti namque quamquam specie distinguantur in esse entis, non tamen in esse intentionali attingibili à voluntate; quia omnes spectant ad voluntatem ut sunt acquisitio boni, & fuga mali, non trahendo objectum intra se, sed objecto trahente voluntatem. In quo distinguitur voluntas ab intellectu.

Ad 2. prob. dicas, auxilium illud ad nullam directè speciem pertinere, ceu quid incompletum, & viale, sed reductivè spectare ad speciem habitus fidei. Quod idem dico de habitu spei proveniente ab habitu spei, & de proveniente aliquo alio ab auxilio.

Ad Cons. nego ant. Ad prob. dico, quòd licèt sit idem finis operantis, nimirum Dei amor; non tamen idem finis operis, qui est objectum. Finis namque martyrii sunt difficultates in conflictu superandæ, victoriam reportando. In quo stat virtutis fortitudinis objectum. Finis verò eleemosynæ est alienæ miseriæ sublevatio, quæ est misericordiæ objectum.

Contra. Ens est objectum intellectus in esse entis, & coloratum est objectum potentiæ visivæ in esse colorati: ergo si sunt diversa in esse entis, & in esse colorati, sunt quoque diversa in esse objecti attingibilia.

Resp. dist. maj. Objectum intellectus est ens in esse entis, considerato ente in esse entitativo, nego, in esse intentionali, concedo. Similiter objectum visus est coloratum in esse colorati, inspecto colorato absolutè, & in esse entitativo, nego, in esse visibili, seu attingibili à potentia visiva, concedo maj. cum min. & nego conseq.

Instantiæ aliæ, quæ adversus ista responsa possent afferri solventur §. 5. dissolvendo argumenta contra secundam conclusionem facienda.

11. Arg. postremo. Potentiæ nequeunt definiri per ordinem ad actus: ergo non specificantur ab illis. Prob. ant. 1. ex D. Th. qui hic lect. 6. *Si intellectus*, inquit, *pro hoc statu cognosceret animam per seipsam, ejus cognitio non inciperet ab actibus, & objectis, sed è converso, quia quanto aliquid est propinquius Animæ, tantò perfectiùs cognoscitur ab eo.* Secundò. Si potentiæ definirentur essentialiter per ordinem ad actus, ex comprehensione actus sequeretur comprehensio potentiæ; sed falsum hoc est: ergo &c. Prob. min. Actus est effectus potentiæ, sed ex comprehensione effectus non sequitur comprehensio causæ: ergo &c. Min. valet in sententia apud Thomistas probabili, præcipuè Araujum, quòd ex comprehensione possibilium non sequatur comprehensio omnipotentiæ. Eò vel maximè quòd sequeretur, esse veram istam. Ideo omnipotentia à priori comprehenditur, quia possibilia comprehenduntur. Quæ tamen falsa est, quemadmodum falsa est ista: à priori ideo omnipotentia potest producere, quia possibilia produci possunt.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. nihil ea ex authoritate inferri contra nos. Quandoquidem Tunc tametsi non cognosceret Animam ipsam per actus, per quos modo eam cognoscit, sicut nec per eadem objecta extra ipsam; tamen ipsa tunc Anima esset objectum actus. Præterea tametsi non eos haberet actus & circa talia objecta, haberet tamen alios, & circa alia objecta, ac semper in ratione veri, aut entis. Nihilominùs glossemata aliqua videri apud Lermam, & Cavinum possunt.

Ad 2. pariter dico, nihil urgere. Eapropter nego min. sumpto effectu modo prædeclarato, quatenus finis, &c. Ad prob. dico, non esse ad rem, quia sermo est de creaturarum potentiis, quæ essentialiter ordinantur ad actus, & objecta; at non de omnipotentia Divina, aliisque Dei potentiis, puta intellectu, voluntate &c. Divina, quæ ceu actus purus, nequeunt ad extrinsecum aliquod ordinari.

12. Colligitur ex dictis, quatenus ab actibus, & objecta specificentur potentiæ. Ab actibus siquidem immediatè, ab objectis verò mediatè specificantur.

Nec scrupulum aliquod suboriatur, quòd eadem pro re duo assignemus specificativa. Non, inquam; quoniam duo per modum unius sunt. Sunt etenim actus subordinati objectis, cum ab objectis actus specificentur, & per specificationem ab objectis habitam dent speciem potentiis.

13. Colligitur etiam, quod potentiæ specificantur ab objectis formalibus, non verò materialibus, cùm possit una, eademque potentia plura respicere objecta materialia, ut de visu, intellectu, aliisque potentiis, ac habitibus est palam. Nec obest, quod ad objecta etiam materialia, ordinentur. Non inquam, quia ordinantur ad ista, non per se primò, sed per accidens, nimirum per aliud, ratione objecti formalis.

Quare autem stare queat cum materiali objectorum diversitate potentiæ unitas neutiquam verò unitàs compositi cum materia diversæ rationis? Hoc ideo est, quia materia est pars essentialis compositi, ut 1. Phys. q 4. art. 2. §. 1. Objectum autem materiale non est pars essentialis objecti formalis. Eò vel maximè, quod potentia quodam saltem immateriali modo objectum attingit.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Potentiæ generales Animæ sunt quinque, nimirum Vegetativa, sensitiva, intellectiva, appetitiva, & loco-motiva.

14. TOtidem percensentur à D. Th. p.p. q. 78. art. 1. & Philosopho hìc cap. 3. tex. 27.

Prob. Potentiæ distinguuntur per actus, & objecta, sed quinque sunt genera actuum, & objectorum inspectorum à potentiis: ergo &c. Maj. habetur ex dictis, & haud respuitur à Scotistis, loquendo de distinctione saltem à post. Min. prob. 1. quò ad p. p. nimirum de actibus, sive operationibus. Extat operatio, quæ est omnino immaterialis, & exercetur independenter ab organo corporeo, & qualitatibus elementaribus, ut actus intellectionis. Alia quæ exercetur dependenter ab organo corporeo, & independenter à qualitatibus elementaribus, nimirum sensatio: alia quæ exercetur dependenter etiam à qualitatibus elementaribus, ut actus vegetativi, juxta dicta q. prægressa art. 1. Sed ultra ista actionum genera, alia extant duo: ergo &c. Min. probat S. D. sic. Ad formam apprehensam per cognitionem quamcunque sive sensitivam, sive intellectivam sequitur inclinatio ad rem apprehensam, & ad talem inclinationem sequitur tendentia, sive motus ad talem consequendum rem ad eum modum, quò materialem ad formam sua sequitur inclinatio, & talem ad inclinationem sequitur operatio, & tendentia ad terminum, G. V. ad formam lapidis sequitur inclinatio ad centrum, & talem ad inclinationem sequitur motus ad centrum, in quo naturaliter conservatur. Sed inclinatio illa vocatur appetitus, & tendentia illa dicitur motus localis: ergo &c. Adde, quòd, ut festinè videbimus, quinque sunt objectorum genera: ergo & quinque genera actionum, quæ sunt ad objectum tendentiæ.

Præterea prob. 2. p. nimirum de objectis. Objectum terminans motum vitalem vel est unitum. Et sic vel est omnino corporeum, & unitum per seipsum. Et hoc est objectum Vegetatricis potentiæ. Vel habet aliquod esse intentionale, & unitum media specie. Et hoc rursus vel est unitum mediante specie sensibili, ut aliquod corpus sensibile. Et hoc est objectum sensitricis potentiæ. Vel aliquod universale repræsentatum per speciem intelligibilem? Et hoc est objectum intelligibile. Vel objectum est separatum. Et istud vel terminat sicut finis intentionem virtutis. Et hoc est objectum potentiæ appetitivæ. Vel terminat in executione motum ad se acquirendum. Et hoc est objectum potentiæ loco-motivæ: ergo &c.

Ista sunt potentiarum genera, sive generales potentiæ, quæ in diversas subdividuntur species. Vegetativa dividitur in Nutritivam, Augmentativam, & Generativam. Nutritivæ inserviunt retentiva, digestiva, & expulsiva. Generativæ deserviunt seminativa, immutativa, & formativa. Sensitiva dividitur in sensitivam internam, & sensitivam externam. Externa dividitur in quinque sensus, nimirum visum, auditum, &c. Interna dividitur in quatuor

tuor sensus internos, nimirum sensum communem, Phantasiam &c. de quibus infra q. 5. quæstiuncula ponenda post art. 4. Loco-motiva dividitur in progressivam, volativam, & raptivam. Intellectiva dividitur in intellectum agentem, & intellectum possibilem, de quibus lib. 3. Appetitiva tandem dividitur in appetitum rationalem (videlicet voluntatem) & in sensitivum, qui duplex est irascibilis, & concupiscibilis; de quibus in Ethica quæstiuncula de passionibus ponenda sub Ethicæ finem ante quæstionem de virtutibus.

§. V.

Adversa solvuntur argumenta.

15. ARg. 1. Unum tantùm datur intellectivæ potentiæ genus; ergo pariter unum duntaxat sensitivæ potentiæ genus, adeoque &c. Prob. conseq. Quemadmodum objecta omnia intelligibilia conveniunt in ratione intelligibilis, sive cognoscibilis cognitione intellectiva, ita objecta cuncta sensibilia conveniunt in ratione sensibilis, sive cognoscibilis cognitione sensitiva. Præterea quemadmodum cuncti potentiæ intellectivæ actus conveniunt in ratione intellectionis, ita sensitivi in ratione sensationis; ergo si &c. Potentiæ siquidem per actus specificantur, & objecta.

Resp. negu ant. Ad prob. nego conseq. Ad prob. discrimen est, quia cùm intellectiva potentia sit longè perfectior, adeoque amplior sensitiva, omnia intelligibilia objecta, omnesque intellectiones considerantur ab intellectu sub universaliori ratione, quàm objecta sensibilia, & actus sensationum à potentia sensitiva; idcircò quæ sunt plura respectu potentiarum inferiorum, sunt unum respectu potentiæ superioris.

Contra. Non minùs differunt actus apprehensionis, assensus, & dissensus, scientiæ, & opinionis, &c. quàm actus omnes sensationis; sed pro illis non dantur diversæ potentiæ intellectivæ: ergo nec pro istis diversæ potentiæ sensitivæ.

Conf. Magis differunt odii, & amoris actus in voluntate, ceu contrarii, quàm sensationes cunctæ; sed pro illis una, eademque sufficit potentia volitiva; ergo similiter &c.

Resp. ad arg. hæc omnia vera esse in esse entitativo, at non in esse attingibili à potentiis. Ratio est in promptu, quia cuncta illa sunt impræscindibilia ab intellectu, eo quia intellectus objectum est verum, quod intellectus sine illorum altero consequi haud potest. Non enim sufficit una intellectiva potentia eliciens apprehensionis actum, quia veritas formalis stat in judicio. Item unus non sufficit intellectus habens judicium, & apprehensionem, quia discursus ordinatur ad perfectum habendum de veritate judicium. Pariter actus dissensus impræscindibilis est, quia non stat, intellectum assentiri vero, nisi dissentiat falso.

Quantùm verò ad scientiæ, & opinionis actum, jam dictum est num. 10. ad 6. elici ab intellectu mediis habitibus.

Idem dic de amoris, & odii in voluntate actu. Non enim stat amari bonum, nisi odio habeatur malum ei oppositum, idcircò unus est ab altero imprescindibilis. Cæterùm optimè stat, visum V. G. percipere colorem, sine eo, quod connexionem ullam habeat V. G. cum sonitu, qui est auditus objectum. Et sic de aliis.

16. Arg. 2. Potentiæ sunt proprietates Animæ, & ab illa dimanant; sed tria sunt animarum genera: ergo tria quoque sunt potentiarum genera, vel ad summum quatuor, juxta quatuor vivendi modos.

Conf. Appetere est commune omnibus potentiis, cùm etiam visus, auditus, &c. inclinentur, & tendant in objectum ut bonum sibi conveniens: ergo haud benè pro eo specialis assignatur potentia appetitiva.

Resp. ad arg. (quod nullatenus est in forma) concessa maj. & min. nego conseq. quia potentiæ se habent ut Animæ instrumenta. Non est autem inconveniens, unam, eandemque causam pluribus instrumentis uti. Vide q. 2. art. 2. §. 3. num. 7. ad 3.

Ad Conf. vide dicta ibidem n. 8. ad 4. quòd licèt appetere appetitu quasi naturali sit commune omnibus, secùs tamen appetere appetitu simpliciter elicito.

17. Arg. 3. sensitivum, & intellectivum duo constituunt potentiarum genera: ergo pariter rationalis, & sensitivus appetitus duo alia constituet genera, adeoque sex sunt potentiarum genera. Prob. conseq. Non minùs sensitivum, & intellectivum conveniunt in ratione cognoscitivi, quàm appetitus rationalis, & sensitivus conveniunt in ratione appetitivi: ergo si &c. etiam &c.

Resp. nego conseq. Discrimen est, quia intellectus objectum est quid universale; objectum verò sensus est quid particulare. Cæterùm objectum appetitus tum rationalis cùm sensitivi est quid singulare, cum voluntas trahatur ab objecto, quod trahere minimè posset, nisi foret singulare, cùm actiones sint singularium.

18. Arg. postremò. Si essent quinque potentiarum genera, plures in homine, quàm in Brutis haberentur potentiæ; sed propugnari id minimè potest: ergo &c. Prob. min. Quò aliquid perfectius est eò paucioribus indiget instrumentis si tinem comparandum; sed homo est Brutis perfectior: ergo &c.

Ad hoc habes ex dictis in tract. de Cœlo q. 4. art. 2. §. 3. ad 6. quòd licèt quando aliqua sunt ad idem conquirendum bonum, id quod perfectius est paucioribus indigeat instrumentis, quàm id, quod imperfectius est. Quando tamen est ad acquirendum bonum perfectius potest pluribus indigere instrumentis. Sanè perfectius est, pluribus mediis perfectam assequi valetudinem, quàm imperfectum paucioribus instrumentis consequi robur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num potentiæ realiter distinguantur ab Anima.

§. I.

1. NOdum hunc enodavimus a. Phys. q. 1. ubi ostendimus, contradictionem sapere, quod substantia sit immediatè operativa. Verùm quia nonnihil peculiare occurrit de potentiis; idcircò litem hanc denuo persequimur.

Quatuor extant sententiæ. Prima absolutè, & universaliter abnuit. Hanc ratam habent Nominales, ut Ocham, Gabriel, & alii complures ex Societate, ut Hurtadus, Arriaga, Oviedus, qui non contenti, Divo Thomæ contraire, eum redarguere non verentur, quasi hanc in re SS. Patrum semitam declinaverit. At iniquæ accusationis reos esse palam, & multæ (sed quam ultrò condonavit) obnoxios fecit vel ipse S. D. locis infra num. 2. citandis ut etiam dicemus, ad ult. argumentum, eos profetico suo prævidens spiritu.

Secunda ferur, distingui formaliter ex natura rei. Hæc est Scotistarum consueta opinio.

Tertia cum distinctione loquitur dicendo, quòd potentiæ spirituales, & sensitivæ, quarum operationes & effecta sunt accidentia, realiter ab Anima distinguuntur. Potentias autem vegetativæ V. G. nutritiva, augmentativa, & generativa, quarum effectus sunt substantia, negat realiter ab Anima distingui. Hanc propugnant D. Bonaventura, & Durandus in 1. sent. dist. 3.

Quartam, quam universi tuentur Thomistæ, quibus ex Societate adhærent Toletus, Suarez, Conimbr. Fonseca, Ruvius, & Maurus, est nostra verissima.

§. II.

CONCLUSIO.

Potentiæ omnes Animæ realiter ab Anima distinguuntur.

2. EAm docet, probat, defendit Angelicus p. p. q. 54 art. 3. & q. 77 art. 1. & disp. 15. q. de spir. creat. art. 11. & q. unica de Anima art. 12. & ubicunque de Anima pertractat. Sancti Doctoris ratiocinia expendimus a. Phys. Ea propter ne eadem redintegremus.

Prob. una ex ratiocinationibus Angelici p. p. Si potentiæ non distinguerentur realiter ab Anima, hæc foret operans immediatè per se ipsam; sed propugnari id minimè potest: ergo &c. Maj. evidens est. Min. prob. Si Anima esset immediatè per seipsam, hoc est suam per essentiam operans, jam foret incunctanter in actu secundo operans; sed haud ita res se habet: ergo &c. Min. non est cur in dubium vertatur, Tum quia Anima est *actus corporis* &c. *potentia vitam*

tam habentis, idest potentia ad vitam accidentalem, nimirum actualem operationem. Tum quia Anima nonnunquam cessat ab intellectionis, & volitionis actu, ut cuique non dormienti perspicuum est in dormientibus. Maj. prob. à pari. Siquidem quia est per seipsam, sive per suam essentiam vivens, & semper in actu vivens secundo vita substantiali: ergo pariter si &c. Tum ratione. Etenim Anima nequit per seipsam immediatè esse in potentia ad operationem; sed semel supposito, quòd esset immediatè operans, & non esset semper in actu secundo operationis, esset per seipsam in potentia ad operationem: ergo &c. Min de se plana est. Maj. prob. non solùm quia (ut a. Phys. vidimus) substantia nequit ab operatione specificari, verùm etiam quia, quod est per seipsum in potentia ad operationem, est per se primò intentum ut potentia ad illam, ut antegresso art. §. a. visum est, & manifestum est in materia prima, quæ quia per seipsam est in potentia ad formam, est per se primò intenta ut potentia ad illam; sed Anima non est per se primò intenta ut potentia, benè verò ut actus: ergo &c.

Dices, discrimen esse, quia in genere causæ formalis Anima est vitæ substantialis principium; vitæ verò accidentalis in genere causæ efficientis. Item quòd Anima est quidem actus, sed ita actus, quòd ulteriorem ad actum est in potentia. Sed

Contra primam, Tum quia ideo formalis causa est semper in actu secundo sui effectus, nisi ab extrinseco præpediatur, quia causat per suam entitatem; sed etiam Anima causaret operationem per suam entitatem si non distingueretur realiter à potentiis: ergo &c. Tum quia etiam Deus operatur ut causa efficiens; & tamen quia per suam essentiam operatur non admittitur in Deo potentia ad operationem suam: ergo pariter tametsi &c.

Conf. (quandam præcludendo evasionem) Deus quia per suam essentiam operatur identificat sibi suam actionem, estque actus purus; vel è contra, quia est actus purus suam sibi identificans actionem, operatur immediatè per suam essentiam: ergo à pari si immediatè per seipsam Anima operaretur identificaret sibi suam operationem, proindeque actus purus esset.

Contra secundam haud difficulter instatur; quoniam nos non inficiamur, Animam posse ulteriorem ad actum ordinari, nimirum operationem; sed negamus, posse ordinari immediatè per seipsam, quia est per se primò intenta à natura ut actus.

Ratiocinatio ista, quam Arriaga, & alii conantur in D. Th. retorquere, sicut & illas 2. Phys. magis dilucidabitur § sequenti num. 5. ad 1. & 2.

3. Prob præterea adversus Scotistas. Quæ distinguuntur secundùm quidditatem, distinguuntur realiter; sed potentiæ distinctam sortiuntur quidditatem: ergo &c. Min. videtur satis certa, quoniam nisi distinctam haberent quidditatem, jam Anima, & potentiæ se haberent per modum prædicati superioris, & inferioris constituentium unam, eandemque metaphysicè essentiam. Min. verò prob. Tum in prædicatis, sive gradibus metaphysicis, quorum, ceu duntaxat formaliter ex natura rei distinctorum (ut Scotista obtestatur) unum non habet ab alio distinctam quidditatem, benè verò se habent ut superius, & inferius, constituentia unam, eandemque quidditatem. Tum quia plùs distinguuntur quæ distinguuntur secundùm quidditatem, quàm quæ distinguuntur purè numericè, habentque speciem, idest quidditatem eandem; sed ista distinguuntur realiter: ergo &c.

Conf. Scotista dicit, potentias distingui formaliter ab Anima propter distinctionem operationis ab eadem Anima; sed operatio realiter, & non tantùm formaliter distinguitur ab Anima: ergo similiter &c.

Sanè mirum, quòd Scotista nolit, distingui realiter potentias saltem organicas, cùm sentiat nobiscum, non remanere in Anima separata, ut videbimus in Metaphys. q. 53. art. 2. §. 1. Nullum namque majus realis distinctionis signum, quàm realis separatio.

4. Ex his probatum remanet, etiam Vegetativis Animæ potentias realiter ab ea distingui; quia nec Anima Vegetativa est semper in actu secundo nutritionis, augmentationis, & generationis.

Num autem distinguantur realiter duntaxat modaliter, vel realiter entitativè. Dicendum venit, distingui realiter entitativè; quia quod ponitur directè in prædicamento est res, & non modus, ut de relatione in Logica diximus; Arist. autem cap. de qualitate collocat potentias in genere qualitatis; ut vel nos ibi dicebamus, esse in secunda qualitatis specie positas.

§. III.

Adversantis partis argumentis respondetur.

5. ARg. 1. Si potentiæ distinguerentur realiter ab Anima, adhuc Anima foret immediatè per seipsam, sive per suam essentiam operativa; sed hoc non obstante haud sequitur, esse incunctanter in actu secundo operantem: ergo nec ex eo, quòd realiter cum ea identificarentur, proindeque insubsistens D. Th. ratiocinium. Prob. maj. Siquidem immediatè dictas causaret potentias.

Si respondeas ex dictis 2. Phys. & ex dicendis art. sequenti §. 4. quòd hujusmodi actio est duntaxat impropriè actio, estque mera dimanatio; per actionem verò propriè talem potentiæ causantur de secundariò à generante, quod dando esse, dat quoque consequentia ad esse.

Contra exurgit du Hamel in sua Ethica. Saltem immediatè applicaret dictas potentias ad agendum; sed applicatio ista est propriè actio: ergo &c. Maj evidens est. Non enim potentias media alia potentia applicaret, secùs daretur processus in infinitum. Min. quoque, cùm applicatio illa nequeat dici dimanatio, eò quod nihil dimanet:

Resp. bene ibi; Ad opp. dist. min. applicatio est propriè actio distincta ab actione, qua agunt ipsæ potentiæ, nego, indistincta, concedo min. & nego conseq. Una enim, eademque actione agit Anima, & potentia ut instrumentum impropriè, idest ut ipsamet Animæ virtus. Videlicet Anima agit *ut quod*, potentia verò *ut quo* per unam, eandemque actionem.

6. Arg. 2. ad idem. Anima est immediatè per seipsam actus corporis; & tamen non est semper in actu secundo actus corporis, ut certum habetur de Anima separata. Similiter Anima per seipsam unitur materiæ, & identificat sibi unionem; & tamen non est semper in actu secundo materiæ unita: ergo nec ex eo, quod &c.

Conf. 1. Deus identificat sibi suam potentiam operativam, imò operationem; & tamen non est semper in actu secundo operans, secùs Mundus foret ab æterno.

Secundò. Ex eo, quòd Anima identificat sibi potentiam operativam, non sequitur, sibi identificare operationem; ergo non sequitur, esse in actu secundo semper operantem. Ant. prob. pluribus modis adductis 2. Phys. & præterea prob. sic. Potentia operativa realiter distinguitur ab operatione: ergo ex eo, quod &c.

Resp. ad arg. nego min. Ad prob. dist. ant. propter impedimentum ab extrinseco, puta ex defectu actionis extrinseci agentis, & unientis vel ex defectu debitæ dispositionis in materia, concedo, ab intrinsecis, nego min. & conseq. Anima autem (ut q. 2. vidimus) ut distinguitur à formis non vitalibus, potest ab intrinseco etiam suppositis omnibus requisitis cessare à suis operationibus, saltem illis, quæ sunt non à generante. Quod minimè haberet si esset suam per entitatem operans. Obidque retorqueas arg.

Contra. Ideo S. Th. dicit, Animam fore jugiter in actu secundo operantem, quia esset suam per essentiam actus; sed etiam potentiæ sunt per seipsas actus, cùm sint qualitates accidentales; sine eo, quod sint semper in actu secundo operantes: ergo &c.

Resp. ex dictis num. 2. dist. min. quia est per seipsam actus, & per se primò à natura intenta ut actus, concedo, præcisè quia est per seipsam actus, nego maj. & dist. min. & aliàs sunt per se primò intentæ à natura ut potentiæ, concedo, ut actus, nego min. & conseq. vide dicta num. 2. sub finem.

Inst. Etiam potentiæ sunt per se primò intentæ ut actus: ergo &c. Prob. ant. Priùs est, potentias actuare subjectum, & esse in illo, quàm quod operentur: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. ex dictis 2. Phys. ad 3. arg. dist. ant. in executione, concedo, in intentione, nego ant. & conseq. Esse namque accidentis non est intentum à natura, nisi ut præsuppositum, ut possit operari, ad quod est per se primò intentum, ut inserviat substantiæ.

Ad 1. Conf. habes ex dictis 7. Phys. q. 2. art. 5. § 3. ad ult. Vel aliis sub terminis dicas, quòd Deus ab æterno denominatur agens, suæque actioni conjunctus, ac identificatus; non tamen est conjunctus cum effectu, quia iste non ponitur

ponitur in re, nisi juxta ordinem suæ sapientiæ, & voluntaria. Sanè Deum esse in potentia ad operationem dicere audebit nemo. Hoc sit interim satis, ne alias ingrediamur Theologicas controversias.

Ad 2. nego ant. Ad prob. dist. ant. ubi potentia est accidens, concedo, ubi potentia est substantia (ut esset in casu, quo Anima identificaret sibi potentias) nego. Vide dicta 2. Phys. q. 1. art. unico §. 2. num. 8. in ult. prob.

7. Arg. 3. Repugnat, potentiam volitivam non esse formaliter liberam, sed si distingueretur realiter ab intellectu, & Anima non esset formaliter libera: ergo &c. Prob. min. Nequit aliquid esse formaliter liberum, nisi sit cognoscitivum, & intellectivum, sed voluntas si foret realiter distincta ab Anima, & per consequens ab intellectu non esset formaliter cognoscitiva, & intellectiva: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. qua nonnulli etiam utuntur Atomistæ ad probandum, quòd judicium sit actus voluntatis, dist. maj. nequit esse formaliter liberum per modum principalis agentis, nisi &c. concedo, per modum agentis ministerialis, & instrumentalis, nego min. Et conseq. Ad hoc namque sat est, quòd inserviat ei, quod est intellectivum, & liberum principaliter, nimirum Animæ. Alia solutio apud Cavinum, & nonnihil diximus in summularum exordio.

8. Arg. 4. ex Arriaga, aliisque Modernis. Anima immediatè per seipsam liberè operatur: ergo non distinguitur realiter à voluntate, quæ est principium proximum, & immediatum liberum. Prob. ant. Si sola voluntas immediatè liberè esset operans, ipsa sola, & non Anima mereretur præmium, vel pœnam, sed hoc &c. ergo &c.

Resp. nego ant. vel dist. ant. immediatè immediatione principii *quod*, & principalis, concedo, immediatione principii *quo*, & ministerialis, nego ant. & conseq. Quemadmodum namque Anima mediis habitibus elicit actus scientiæ, aut virtutis moralis; & tamen ipsa Anima, & non solus habitus dicitur sciens, merens, &c. ita &c. Et ratio est, quia potentiæ, sicut & habitus licèt sint immediatè operantes proximè, & instrumentaliter; tamen Anima immediatè operatur ut principium principale, quatenus operatur non mediante alio principio radicali, sed duntaxat mediante potentia tanquam instrumento.

Contra. Haud imputabiles ad culpam sunt, vel vituperium ut præmio, vel pœna digni actus, ei, in cujus potestate non est, eos impedire, sed nullatenus in Animæ potestate foret voluntatis præpedire actiones, si realiter ab Anima voluntas distingueretur: ergo &c. Prob. min. Anima nullatenus effectivè immediatè concurreret ad voluntatis actus; ergo non haberet immediatum dominium supra illos: ergo &c.

Resp. primitùs instando iterum de habitibus virtutum, vitiorum, & scientiæ. Præterea in forma nego min. Ad prob. ex jam dictis dist. ant. nullo modo immediatè concurrit immediatione principii *quo* proximi instrumentalis concedo, immediatione principii *quod*, & principalis nego ant. & consequentiam. Repetantur dicta. Eò vel maximè quòd voluntas est intransitivè ipsamet potestas, adeoque Anima habens voluntatem habet quoque potestatem.

Contra: Anima concurrendo ad actus liberos mediante voluntate realiter distincta concurrit naturaliter, non verò liberè: ergo cùm in naturalibus nec mereamur, nec demereamur &c. Prob. ant. Concurrere mediante voluntate est concurrere radicando, & substentando voluntatem immediatè concurrentem, sed Anima radicat, ac substentat voluntatem modo naturali, & non libero: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. primitùs instatur pariter in habitibus, quos etiam Anima radicat, & substentat. Præterea dist. maj. præcisè radicando, & substentando voluntatem, nego, concurrendo etiam ipsa effectivè principaliter *ut quod* ad tales actus, concedo maj. cum min. & nego conseq. In hoc itaque hallucinatur Adversarius, quia imaginatur, Thomistam velle, quòd perpetuo Anima torpeat otio, nihil operando.

Contra 1. Deus quamvis concurrat immediatè ad actus peccaminosos, quia tamen concurrit ut determinatus à voluntate creata non imputatur illi peccatum: ergo à fortiori si Anima concurrit solùm mediatè liberè, ut determinata à voluntate, non est ei imputabile peccatum.

Secundò. Si voluntas separaretur ab Anima, & operaretur benè vel malè, tales operationes non imputarentur ipsi Animæ: ergo nec quando voluntas est Animæ unita. Prob. conseq. Anima quemadmodum immediatè non concurrit ad operationes voluntatis sibi conjunctæ, ita nec à se separatæ, & quemadmodum voluntas separata est virtus Animæ, ita quoque ut conjuncta: ergo si &c.

Vel dicatur. Si operationes voluntatis conjunctæ sunt imputabiles Animæ principaliter: ergo tametsi separaretur Anima voluntate, &c. Prob. conseq. Quia namque calor ignefacit in virtute ignis, calefactio, quam calor separatus præstat, igni attribuitur: ergo similiter &c.

Resp. ad 1. nego suppositum. Supponit namque, Deum concurrere ad formale peccati. Ut enim 7. Phys. vidimus q. 2. concurrit duntaxat ad materiale. Præterea discrimen est, quia etiam si ut à creatura determinatus Deus ad peccatum concurreret, creatura determinaret, non purè instrumentaliter, sed principaliter Deum. Voluntas autem ad summum ministerialiter potest dici determinare animam. Anima namque potiùs determinat seipsam ad operandum media voluntate.

Ad 2. nego iterum suppositum. Supponit namque, voluntatem (idem reliquis de potentiis vitalibus dicas) separatam ab Anima posse vitaliter operari. De quo videri potest Cajet. p. p. q. 54. art. 3. Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 65. Nec eadem est ratio de calore. Non, inquam. Actiones siquidem vitales petunt essentialiter esse à principio ab intrinseco se movente. Calefactio autem non est actio vitalis.

Quòd si pervicaciter velint, hanc nos facere impossibilem hypothesim, in primis dico quod & eos peto in impossibili suppositione, quod voluntas identificata separaretur, quid ipsi dicerent. Præterea respondeo, quòd si eo in casu voluntas operaretur benè, vel malè, tales actus imputarentur Animæ repugnanter, hoc est imputarentur, & non imputarentur. Imputarentur, quia voluntas operaretur ut virtus Animæ, & non imputarentur, quia Anima non esset principaliter volens, ceu non habens in se volitionis actum, per quem ab intrinseco se moveret. Quæ sunt contradictoria. Sicque ad impossibile respondemus cum impossibili.

Si dicas. Voluntas separata esset potentia vitalis: ergo vitaliter operaretur.

Resp. quòd est vitalis *ut quo*. Principium autem vitale *quo* essentialiter indiget principio vitali, radicali *quod* ut vitaliter operetur, quia petit actus esse à principio ab intrinseco se movente.

Si autem petas num, & quæ potentiæ vitales queant ab Anima separari. Ad hoc dicetur in Meth. q. 13. per vestigando quænam retineat Anima separata?

In casu autem quo separaretur intellectus, & voluntas (quas naturaliter esse inseparabiles docet S. Th. p. 2. q. 110. art. 4. ad 4. licèt fortasse non repugnet supernaturaliter, sed eum modum, quo non repugnat conservari accidens sine subjecto) Tunc Anima esset intellectiva, & volitiva radicaliter duntaxat, non verò proximè.

9. Arg. 5. Unum ex potissimis ratiociniis 2. Phys. adductis, quare nequeat substantia esse immediatè operativa est, quia substantia specificaretur ab operatione, sed id minimè sequitur: ergo &c. Prob. min. Si operatio substantiam specificaret esset illius finis; sed finis saltem *cujus gratia* est ipsum suppositum ut operans, non verò operatio: ergo &c. Maj. habetur ex dictis retroacto art. de potentiis. Min. quoque ex dictis q. 1. art. 2. ad 4.

Resp. nego min. Ad prob. habes ex dictis prægresso art. §. 3. ad 1. inst. 3. arg. quòd operatio licèt non sit finis *cujus gratia* respectu principii radicalis, benè tamen respectu principii proximi, quod est per se primò intentum propter illam. Eapropter cùm in casu, quo substantia foret immediatè operativa, esset principium proximum; Idcircò &c.

10. Arg 6. Angeli substantia non distinguitur realiter à suo intellectu: ergo neque Anima. Conseq. est exacta à pari. Ant. prob. substantia Angeli non distinguitur realiter à specie intelligibili: ergo neq. &c. Prob. Conseq. Sicut intellectio est ultima actualitas in linea intellectivi, ita species intelligibilis est ultima actualitas in linea intelligibilis: ergo sicut hoc non obstante, &c.

Resp. nego ant. Ad prob. nego conseq. Ad prob. dico, probate, quòd non distinguatur realiter ab intellectione. Præterea nego ant. Ultima siquidem actualitas in linea intelligibili est, esse actu intellectum, sicut ultima actualitas in linea intellectivi est actu intelligere, sive actualis intellectio.

11. Arg.

11. Arg. postremò nonnullis SS. PP. Authoritatibus.

Verùm has omitto, quia eas solvit S. Thom. loco num. 2. relato, adeoque videri apud ipsum possunt, vel apud Lermam, Cavinum, &c.

12. Ex dictis collige, recolenda ea omnia esse, quæ circa hanc difficultatem dicta sunt 2. Phys. q. 1. art. unico. Ubi §. 2. remanet etiam refutatum, quod nonnulli cum Suarez dicunt, Animam saltem partialiter esse immediatè operativam. Vidimus namque, substantiam nec partialiter posse esse immediatè operativam.

ARTICULUS TERTIUS.

Quodnam sit subjectum potentiarum Animæ.

§. I.

1. CОntroversia ista procedit de subjecto *quod*, non verò *quo*, quia Animam esse subjectum *quo* potentiarum haud dubitat ullus.

Recole, potentias alias esse inorganicas, quarum nempe operationes independentes sunt ab organo corporeo, cujusmodi sunt intellectus, & voluntas. Alias organicas, quæ nimirum operantur dependenter ab organo corporeo, ut sunt potentiæ cunctæ sensitivæ.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Potentiæ inorganicæ subjectantur in sola Anima ut quod; *potentiæ verò organicæ in toto composito.*

2. EAm universi tutantur Thomistæ cum D. Th. p. p. q. 77. art. 5. quibus compIures alii adstipulantur contra Scotum in 2. sent. dist. 52. q. 3. & adversus Gregorium ibidem dist. 17. q. 3. quem sequuntur illi omnes, qui defendunt, potentias non distingui realiter ab Anima, asseverantes, potentias etiam inorganicas sola in Anima subjectari. Et

3. Quò ad p. p. eam docuit Arist. hic lib. 2. tex. 21. ubi *aliquæ*, inquit, *partes Animæ nullius corporis sunt actus* & lib 3. *intellectus*, ait, *est separatus, & nullius corporis est actus*, Quò ad 2. verò eam habet lib. 2 de somno, & vigilia cap. 1. apud S. Th. p. p. q 77. art. 5. In arg. *sed contra*.

4. Prob. quò ad p. p. ratiocinio D. Th. In eo subjectantur potentiæ inorganicæ, Intellectus nimirum, & voluntas, quod denominant; sed denominant, non compositum, benè verò Animam: ergo &c. Maj. ex eo nota est, quod notum est, accidens suum denominare subjectum. Min. prob. Si totum ab illis denominaretur potentiis, per eas denominaretur potens operari in aliqua integrali sui parte; sed hoc non: ergo &c. Præmissæ certæ penitùs sunt. Maj. quidem, quoniam subjectum media qualibet potentia est potens operari, licèt non in omni parte, cùm nequeat videre brachio, &c. Min. etiam, quia assignabilis haud est hujuscemodi pars. Tum quia tales operationes sunt corporeo ab organo independentes, & reapse eliciuntur etiam ab Anima separata.

5. Probatur quò ad 2. p. Potentiæ organicæ sunt corporeæ, & materiales: ergo recipiuntur in corpore. Ant. patescit, secùs essent propriæ solius Animæ rationalis, ut rationalis. Conseq. prob. Tum à pari. Potentiæ spirituales inorganicæ petunt subjectari in sola Anima ut subjecto *quod*, ergo è contra &c. Tum quia si sunt corporeæ, & materiales, supponunt in subjecto quantitatem, quæ est primum accidens materiale; sed quantitas recipitur in toto subjecto: ergo &c.

Conf. Tum quia Anima Brutorum hujuscemodi sortitur potentias; & tamen nequit operari *ut quod*, secùs posset separata consistere, non secùs ac rationalis Anima. Tum à pari. Siquidem hujuscemodi potentiæ sunt corpori affixæ, & operantur dependenter ab organo corporeo: ergo quemadmodum potentiæ inorganicæ independentes à corpore in operando, sunt quoque independentes quò ad esse ut à subjecto, ita &c. Eò vel maximè, quòd operari sequitur ad esse, ac cum illo aptatur.

Demum adversus Scotistas arguo. Quandoquidem non alia ratione ipsi nobiscum probant, ut in Metaphy. q. 23. art. 2. probabimus, potentias organicas non remanere in Anima separata, nisi quia ceu corporeæ fundantur in corpore.

6. Ex hactenus dictis inferas contra Suarez, & alios, hujuscemodi potentias non subjectari in materia prima nuda; Tum quia sola materia prima non est operans *ut quod*. Tum quia quantitas, ut lib 1. de Gener. q. 2. art. 5. probavimus non recipitur immediatè, vel saltem non in sola materia prima. Tum quia materia prima non est per se consistens se sola, naturaliter saltem.

7. An autem rationalis Anima in Homine possit esse subjectum saltem *quo* potentiarum organicarum.

Respondeo affirmativè contra Serram, & Lermam hic q 21. quos sequitur M. Cavinus. Ratio est Tum quia ut persæpè diximus, Anima rationalis est corporea, & materialis *ut quo*, licèt non *ut quod*. Tum quia non est assignabile aliud, quod sit subjectum *quo* talium potentiarum.

§. III.

Adversæ partis argumenta solvuntur.

8. ARg. 1. contra p. p. argumento soluto q. prima art. 5. §. 3. ad instantias ultimas quinti argumenti. Sunt num. 7. Illò adeas.

Arg. 2. contra utramque p. Ideo potentiæ organicæ subjectantur in conjuncto, sive composito, quia conjunctum sive compositum, non verò Anima est id, quod operatur *ut quod*; sed ratio hæc vel haud convincit, vel probat etiam potentias inorganicas subjectari in composito: ergo ex his alterum respuendum venit. Prob. min. Etiam illud, quod operatur *ut quod* operationes potentiæ inorganicæ est conjunctum, sive compositum: ergo &c. Ant. prob. Tum quia Thomistica maxima est, quòd actiones sunt suppositorum. Tum quia Philosophus hic tex. 64. *melius*, inquit, *fortassis est non dicere Animam misereri, aut discere, aut intelligere, sed Hominem per Animam*. Tum quia S. Thom. p p. q 75. art. 2. ad 2. *potest*, inquit, *dici quod Anima intelligit sicut oculus videt, sed magis propriè dicitur, quod Homo intelligit per Animam*. Tum demum, quia falsum videtur, Animam per tales operationes non operari *ut quod*. Siquidem S. Aug. lib. 12. super Genes. ad. litt. cap. 46. *non corpus*, inquit, *sed Anima sentit per corpus*, quo tanquam nuncio Anima ipsa utitur.

Resp. nego min. Ad prob. dist. ant. est conjunctum ratione alicujus partis essentialis, concedo, ratione alicujus partis integralis, nego ant. & conseq. Responsum enitescit ex dictis num. 4. Hæc namque est differentia inter modum, quo operatur suppositum mediis potentiis inorganicis, & illum, quo operatur mediis organicis. Primo modo operatur ipsum suppositum *ut quod*, tamen ratione alicujus partis essentialis, nimirum Animæ. Secundo verò modo ratione alicujus integralis partis, nimirum organi corporei. Idcirco quia pars integralis quælibet habet compositionem ex materia, & forma, ita organicæ potentiæ dicuntur subjectari in composito, sive conjuncto: Et è contra; quia pars essentialis, qualis est Anima non est ita composita, ideo potentiæ inorganicæ non subjectantur in composito.

Et per hoc habes ad 1. & alias ex Philosopho probationes adductas.

Ad illam verò ex Aug. respondet S. Th. p. p. q. 77. art 5. ad 3. D. Augustinum, non in sui sententia, sed juxta Platonis opinionem cui philosophicis in rebus se accommodare consuevit.

Alia ex Cajet. hujusce arg. solutio videri apud alios Scriptores potest.

Contra S. Th. dicit, quòd Anima intelligit sicut oculus videt; sed oculus non dicitur operans *ut quod*, benè verò compositum: ergo nec Anima est intelligens *ut quod*.

Resp. S. Th. velle, quòd ita possit dici potius impropriè, ut ex ejus verbis ibi conspicuum fit.

Oppugnabis. S. Th. dicit, Hominem intelligere per Animam.

Resp. S. Th. loqui originativè, quia intellectus, per quem Homo intelligit originatur ab Anima. Cum quo stat, quòd etiam Anima possit intelligere *ut quod*.

Vestigandum modò foret, num Anima rationalis etiam pro statu unionis sit per se consistens ut quod. Sed de hoc vide Cavinum.

9. Arg. 3. contra p. p. Totum non distinguitur realiter à partibus simul sumptis, & unitis: ergo nequeunt potentiæ illæ subjectari in Anima, quin subjectentur in toto.

Resp. ea dictis 1. Phys. quòd totum licèt non distinguatur à partibus collectivè, benè tamen à qualibet illarum seorsim etiam ut unitis. Ob idque stat, posse subjectari in una, & non in toto.

10. Arg 4. contra 2. p. ex Scoto. Potentiæ in illo debent esse subjectu, à quo dimanant, ut inductivè cæteris in accidentibus est palam; sed potentiæ vitales etiam organicæ à sola dimanant Anima: ergo &c.

Resp. nego min. Dimanant enim à toto composito *ut quod*.

At quia dimanant à toto composito quidem *ut quod*, sed tamen ratione Animæ ut *id quo*, dicuntur potentiæ Animæ. Vel dicuntur potentiæ Animæ, non quia sint à sola, & in sola Anima, sed ut significetur, esse vitales.

11. Arg. 4. Potentia loco-motiva subjectatur in sola Anima: ergo potentiæ organicæ, &c. Prob. ant. Potentia loco-motiva perdurat in Anima separata, secùs Anima separata foret immobilis: ergo &c.

Resp. ex dicendis in Meth. q. 13. sub finem quæsito 3. quòd alia prorsus est vis loco-motiva perdurans in Anima separata.

12. Alia arg. vide soluta in D. Th. ubi supra.

Argumenta Suarez nullius sunt ponderis, & soluta manent ex alibi à nobis dictis.

QUÆSTIO QUARTA.

De Anima Vegetativa, Ejusque potentiis.

VEgetatrix Anima definitur à Phil. hic lib. 2. tex. 29. his verbis *erit utique prima Anima generativum talis, quale est ipsum*, idest principium generativum, &c. Intellige de generatione vitali. Vid. S. Th. ibidem lect. 5. Vel definiri potest aptando ei definitionem Animæ in communi *est id quo vivimus, nutrimur, augemur, & generamus*.

ARTICULUS UNICUS.

Num potentiæ Animæ Vegetativæ distinguantur realiter tum ad invicem, tum à calore naturali.

§. I.

1. ANimæ Vegetatricis potentias suppono, nec plures, nec pauciores esse, quàm tres, nimirum nutritivam, augmentativam, & generativam. Circa quod lege S. Th. p. p. q. 78. art. 2.

Prima sententia tenet, identificari realiter inter se, & distingui duntaxat secundùm diversa munera. Sic Durandus, Rovius, Suarez, Conimbr. &c. qui videntur etiam asseverare, potentiam nutritivam non distingui realiter à calore naturali, & temperamento primarum qualitatum.

Secunda communis apud Thomistas (licèt unus, nimirum Bannez hærens nonnihil sit circa augmentativam, & generativam, ut videre est apud Cavinum) est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Potentiæ Animæ Vegetativæ distinguuntur realiter specificè, tam inter se, quàm à calore naturali.

2. FAvent Angelicus loco num. 1. citato, Arist. quoque apud eundem ibi. Et

Prob. 1. Potentiæ distinguuntur per actus, & objecta; sed potentiæ Animæ vegetativæ respiciunt actus, & objecta realiter, imò & specificè distincta: ergo &c. Maj. habetur ex art. 1. & de distinctione saltem à post. à nemine respuitur. Min. prob. Actus generativæ est productio totius esse viventis, ejusque objectum est ipsum esse viventis: actus nutritivæ est partium deperditarum restauratio, ejusque objectum sunt partes restaurandæ: Augmentativæ tandem est viventis ad perfectam quantitatem perductio, ejusque objectum est debita quantitas: ergo &c.

Responsa Rovii videri possunt explosa alios apud Scriptores.

3. Prob. 2. Nullum majus realis distinctionis signum, quàm realis separatio; sed præfatæ potentiæ realiter separantur inter se: ergo &c. Prob. min. Tum quia potentia nutritiva, & augmentativa reperitur in qualibet parte, non verò generativa; cùm namque non in omnibus partibus operetur, frustra in illis poneretur. Tum quia nonnullis in viventibus imperfectis extat potentia nutritiva, & augmentativa sine generativa.

4. Prob. 3. Majori amplitudine pollet potentia sensitiva in ordine ad sui objectum, quàm potentia Animæ Vegetativæ; sed in genere potentiæ sensitivæ licèt una genericè sit potentia sensitiva in ordine ad objectum sensibile; tamen secundùm diversa objecta sensibilia multiplicantur specie potentiæ: ergo multò magis plurificari debent potentiæ Animæ Vegetativæ, nec debet una sufficiens esse. Maj. ex eo innotescit, quod quò forma est perfectior, ejus virtus est universalior, idest amplior in operando.

5. Secunda autem pars conclusionis est consona doctrinæ S. Th. p. p. q. 78. art. 2. ad 1. & q. 118. art. 1. ad 3. & Philosophi 2. de Generatione animalium cap. 4. ubi uterque Magister docet, caliditatem, & frigiditatem esse instrumentum virtutis Animæ, nimirum virtutis nutritivæ, &c. De quo iterum §. sequenti 3 ad 3. arg. Et

Prob. Potentiæ Animæ Vegetativæ sunt potentiæ, & proprietates Animæ ut forma vitalis est; sed non sic se habet calor naturalis: ergo &c. Prob. min Calor, & reliquæ qualitates elementales conveniunt etiam formis elementorum, quæ haud vitales sunt: ergo &c.

Qua ex re sequitur, quòd calor, & reliquæ elementales qualitates tametsi ab Anima dimanent; tamen dimanant ab illa, non ut forma vitalis est, sed ut forma mixti.

Conf. Anima siquidem ceu forma perfectior debet radicare proprietates perfectiores illis, quæ in aliis radicantur, imò vitales.

Num autem in sententia Ferrariensis aliorumque paucorum, volentium, calorem viventis distingui specie ab elementali, dicendum sit, distingui realiter à potentia nutritiva. Respondeo affirmativè, negante Lerma, & Cavino. Ratio est, quia habent operationes realiter, & specie diversas. Actus namque nutritivæ potentiæ est vitaliter aggenerare carnes, depellere superfluum, diffundere alimentum, illudque in substantiam aliti convertere: actus verò caloris est, cibum coquere, separare partes crassiores nutrimenti à subtilibus; quæ omnia præstat in virtute ipsius potentiæ, nec facit immediatè ipsa potentia.

§. III.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

6. ARg. 1. Una, eademque sufficit potentia ad præstandos actus nutritionis, augmentationis, & generationis: ergo &c. Prob. ant. 1. quò ad p. p. Actus nutritionis est restaurare partes deperditas, actus augmentationis est perducere vivens debitam ad quantitatem; sed ad hæc omnia sufficit una: ergo &c. Prob. min. Quantitas producitur, non per se, benè verò resultat ad substantiæ productionem, cum agens producendo substantiam producat eadem actione accidentia, quæ sunt illius proprietates, & inter quæ est quantitas 2. quò ad 2. p. à pari. Eadem nutritiva potentia sufficit ad producendum aliqua in parte sanguinem, & in alia medullam, &c. ergo etiam producere valebit semen ex eodem alimento, proindeque &c.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. ex dictis 5. Phys. quæstiuncula 1. cum Jo: à S. Th. dist. ant. quantitas absolutè ut proprietas substantiæ est, concedo, quatenus habet facere majus, & majus, nego Vid. ibi.

Contra. Eadem virtus sufficit ad producendum calorem, & calorem etiam magis intensum: ergo pariter &c.

Resp. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia calor terminatur per se primò ad calorem producendum; ibique tota ejus exercetur vis. At potentia nutritiva, seu aggenerativa terminatur per se primò ad substantiam partialem.

Inst. Licèt nutritio producat quantitatem illam partialem sub ratione proprietatis substantiæ, & non sub ratione quantitatis; tamen nova non requiritur potentia producens il-

lam

lam sub ratione quantitatis : ergo pariter licèt non attingat sub ratione majoris ; tamen &c.

Conf. Majus, & minùs non variant speciem: ergo &c.

Resp. dato ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia non stat, produci quantitatem sub ratione proprietatis, & non sub ratione quantitatis. Cæterùm optimè stat produci sub ratione proprietatis, imò etiam sub ratione quantitatis, quin producatur sub ratione majoris, ut palam est in quantitate parva.

Ad conf. dico quòd majus & minùs non variant speciem, quando attinguntur sub eadem ratione formali. At in casu nostro attinguntur sub diversa ratione formali, nimirum de secundario sub ratione proprietatis per nutritionem, & sub ratione majoris quantitatis de primario per augmentationem

Ad prob 2. p. arg. Discrimen est, quia sanguis, & medulla, quæ de novo producuntur per nutritionem, attinguntur sub eadem ratione formali, nimirum ut restauratio partium deperditarum. At non sic semen, quod (ut vidimus q. præcedenti art. 7) non spectat ad rationem individui. Vid. Guerinois hic q. 2. art. 3. §. 2.

7. Arg. 2. ad idem. Si potentia augmentativa esset realiter distincta à nutritiva, sequeretur, quòd cùm vivens debitam ad quantitatem pertigerit, destrueretur talis potentia; sed hoc admittit nemo: ergo &c. Prob. maj. Frustra ponitur potentia illa, quæ ad actum reduci haud potest; sed debita comparata quantitate non ultra ad actum augmentativa reduci potentia valet, secùs vivens nusquam cessaret crescere: ergo &c.

Resp. nego sequelam. Ad prob. dist. maj. quæ non potest reduci, nec unquam reducta fuit, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Quemadmodum namque stat optimè, quòd potentia aliqua sit in aliquo pro aliquo tempore, in quo non est reducibilis ad actum habendum pro eodem tempore, licèt sit reducibilis pro futuro, V. G. potentia visiva in Cane pro 9. primis diebus, & potentia generativa in pueris : ita stat, quòd perseveret potentia, quæ non est ulterà redigibilis, quia quondam fuit redacta.

Dices. Pro tunc potentia illa ad nihil deservit : ergo est superflua.

Resp. nego ant. Deservit namque ad perfectionem, & complementum individui. Qua de causa perdurat in Beatis resurgentibus.

8. Arg 3. contra 2. p. Calor quamquam secundùm se nequeat præstare effectus vitales, puta generare, nutrire, & augmentare, benè verò ut Animæ conjunctus: ergo frustra ad hoc multiplicantur potentiæ. Prob. ant. 1. Cogitativa licèt secundùm se nequeat formaliter discurrere, benè tamen in Homine ex conjunctione ad intellectum in sententia probabili : ergo pariter &c. 2. Species intelligibilis licèt vitalis non sit, tamen ut intellectui unita potest vitaliter concurrere ad intellectionem in sententia probabili præcipuè Godoy. 3. Potentia generativa, & nutritiva licèt secundùm se nequeant producere vivens vita sensitiva, ceu virtutes Animæ vegetativæ, benè tamen id possunt ut sensitivo conjunctæ. 4. Præmissa naturalis ut conjuncta cum alia supernaturali potest concurrere ad conclusionem supernaturalem. Demum calor ut radicatus in substantia ignis potest producere substantiam ignis : ergo pariter &c.

Resp. nego ant. Ad quatuor primas probationes, nego conseq. & paritates. Discrimen est quia omnia illa conjunguntur alteri potentiæ perfectiori, & virtuti, nimirum cogitativa intellectui, species itidem intellectui unitur, potentia generativa potentiæ sensitivæ ; & una præmissa alteri præmissæ. At calor si foret ipsæ potentiæ vegetatrices, non esset unitus immediatè alteri potentiæ, sed immediatè ipsi Animæ, cujus tunc esset potentia.

Ad 5. & ult. disparitas est, quia calor radicatur in Igne ut substantia ignis est. Cæterùm calor radicatur in Anima, non ut forma vitali, (cùm non sit actus alicujus organi, & conveniat etiam formæ non vitali) sed ut forma mixti.

9. Arg. 4. & ult. Potentia nutritiva non habet organum determinatum, diffunditurque per omnes corporis partes : ergo non est aliud, quàm primæ qualitates, quæ totum per corpus sunt inter spersæ.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. terminativè, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Organum siquidem potentiæ nutritivæ est ventriculus, & Hepar. Dicitur tamen totum per corpus diffundi, quatenus terminum, sive effectum suum omnibus in partibus producit.

QUÆSTIO QUINTA.

De Anima sensitiva, ejusque potentiis, nimirum sensibus.

PRÆLOQUIUM CONTRA SAGUENS

Circa Animæ sensitivæ quidditatem.

JUxta ea, quæ de Anima Vegetativa diximus, potest sensitiva Anima definiri sic : *est actus corporis physici organici potentia vitam sensitivam habentis*, comprehendendo sub sensitivo etiam appetitivum, & loco-motivum. Vel 2. definiri potest sic : *est id, quo vivimus, sentimus, & loco movemur primò*.

Quam definitionem Saguens dicit, esse de Anima metaphysicè inspecta, non verò physicè sumpta. Animam siquidem physicè acceptam dicit consistere in corpusculis, sive atomis, quas ipse dicit, esse illos, quos nos Peripatetici vocitamus spiritus vitales. Sic discurrit tom. 4. altera p. disp. 2. art. 2. Cujus Doctrinæ falsitas enitescit ex dictis 1. Phys. q. 1. art. unico §. 2. num. 9. & iterum ibi § 8. num. 24. Spiritus autem vitales, seu potiùs animales, sunt partes quædam subtiliores sanguinis, vel alterius humoris, pura pituitæ, quæ interdum in morte violenter commoventur ; & eo ex impulsu commotionem brevi pro tempore retinent etiam post mortem. At sanguinem, cæterosque humores ex atomis constare negamus, sicut & de reliquis rebus negamus.

Nec istis in humoribus sita esse vita potest. Non, Inquam, Tum quia secùs etiam vita Hominis, in quo & illi habentur humores, consisteret in humoribus, & atomis, sicut & rationalis Anima, quam & hæretici nonnulli, eam esse in sanguine dixere. Tum quia partes principaliores animalis, ut sunt partes solidæ, debent principaliùs vivere ; & tamen non sunt humores. Tum quia si Anima sensitiva illis sita foret in humoribus, sequeretur, quòd sanguis extra venas effusus sentiret. Tum demum quia sequeretur, posse fieri naturaliter ressurrectionem mortuorum ; quia posset saltem Angelus illorum humorum partes reunire. Obidque possibile id naturaliter esse docuit Atomistarum Coriphæus Democritus, uti vidimus 1. Phys. q. 1. art. unico §. 8. num. 24.

Præterea, qui perspicuè dignoscere velit, sensitivam Animam non esse sitam in atomis legat B. Alb. Magnum in summa de creaturis, quæ est tomus 19. part. 2. q. 3. art. 1. folio 12. col. 2. sub n. 6. & fol. 14. & 15. à n 5.

ARTICULUS PRIMUS.

Num sensus sit potentia simpliciter activa, vel passiva.

DUbium hoc fusè pertractant nonnulli, sicut & ipse meis in autographis egi. At modò maturior factus, cùm videam nullius esse utilitatis, & multò minùs necessitatis, ut brevitati studens omittere constitui. Et scire sufficiat, sensum duo respicere, nimirum speciem qua actuatur, & actionem, quam elicit. Respectu primæ passivè simpliciter se habet, respectu verò secundæ activè simpliciter. At quia activitatem, quam respectu sensationis obtinet, habet dependenter à specie actuante, idcircò est magis passivus, quàm activus, proindeque denominationem simpliciter passivi obtinet, quicquid in oppositum dixerit Scotus, volens, speciem actuantem, præsuppositivè duntaxat se habere.

Videri potest M. Cavinus & alii legi possunt. Vide lib. 3. q. 2. art. 1. §. 3. n. 6. ad Conf. 1. arg.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num, & quomodo sensus externi possint decipi, & num possint reflectere supra suos actus.

§. I.

1. PRæconsidera 1. prop. p. quòd sensibile dividitur à Philosopho hic 2. de Anima tex. 23. & D. Th. ibidem,

sicut & p.p. q.78. art.3. trifariam , nimirum in proprium, commune, & seosibile per accidens. Primum est illud, quod est potentiæ specificativum, & distinctivum illius ab aliis potentiis, ut est sonus respectu auditus, lucidum coloratum respectu visus, &c. Secundum dicitur sensibile commune, non quasi quòd attingatur à sensu communi (hic enim est sensus quidam particularis internus, qui, ut iofra videbimus, sub universaliori ratione attingit omnia objecta propria cujuslibet sensus particularis) sed dicitur illud, quod à pluribus attingitur seosibus, sicut V.G. magnitudo, & figura, quæ attingitur à visu, & tactu. Tertium dicitur illud, quod est veluti substratum objecti proprii formalis, solerque dici objectum materiale *quod* per accidens, nimirum per aliud, sive ratione objecti formalis. Sic paries V.G. dicitur visibile per accidens.

Quomodo autem objecta ista distinguantur inter se; dico, quòd si inspiciantur in esse entis, dubio procul est, distingui essentialiter adæquatè. Color namque est de genere qualitatis, figura de genere quantitatis, & paries de genere substantiæ. At si in esse objecti inspiciantur, dico, distiogui essentialiter duntaxat inadæquatè. Quòd distinguantur perspicuum ex eo est quod diversimodè ad potentiam spectant, ut palam est. Quòd verò non distinguantur adæquatè ex eo dignoscitur, quod secùs haud possent ad eandem specificè potentiam attinere. Distinguuntur itaque specie ioadæquata, ad eum modum, quo diximus, distingui potentias ejusdem Animæ, quæ suot perfectiones provenientes ab eadem forma. Sensibile namque commune se habet ut modus modificans sensibile proprium. Nisi enim coloratum sit figuratum, sive figura modificatum, videri nequit. Similiter objectum per accideus aliam non habet sensibilitatem, oisi quam habet à sensibili proprio.

Sub sensibili communi comprehenditur etiam quies, & motus, quæ item possunt attingi per visum, & tactum, sumendo quietem, non pro formali, quo pacto est mera privatio, sed pro permanentia rei in loco.

Certum est, sensibile per accidens propriam non immittere speciem distinctam à specie objecti proprii. Quod idem de sensibili communi Thomistæ contra Scotistas dicunt. Ratio est, quia si haberet speciem propriam esset sensibile perse primò, adeoque foret specificativum, & distinctivum potentiæ, sicque non esset ampliùs sensibile commune, sed esset sensibile proprium. Præterea requireretur pro illo distincta sensatio; cùm tamen iodivisibili uno actu attingatur sensibile proprium, & commune. Repræsentatur; ergo per speciem objecti proprii tanquam modus illius.

Neque obest, quòd S. Th. p.p. q 17. art.2. doceat, sensibile commune habere similitudioem sui in sensu. Non, inquam obest, Tum quia S. Th. non dicit similitudinem propriam. Tum quia, ut inquit Bannez, D. Th. ibi sumit similitudinem, non pro specie, sed pro notione sensibilis communis. Quamquam enim omois species sit similitudo, non tamen omois similitudo est species. Beati siquidem in Patria habent per lumen gloriæ similitudinem Dei, & tamen oon habent speciem Dei repræsentativam, præcipuè Thomisticis hærendo priocipiis.

Si objicias, quòd nequit una, eademque species plura repræsentare objecta, nisi emineus valde sit.

Resp. primodùm talia objecta, ut nuper diximus, non adæquatè, sed duntaxat inadæquatè esse essentialiter diversa. Præterea dico, posse optimè repræsentare, unum, nimirum objectum propriom, de primariò, & aliud, nimirum objectum commune, sicut & objectum per accidens, de secundariò.

a. Præcousidera a. quòd duplex est veritas, & falsitas. Una propriè, & dicitur veritas, & falsitas judicativa. Altera impropriè, & dicitur veritas, & falsitas apprehensionis, & propriè dicitur pura deceptio. Exploratum apud omnes est, sensum non posse falli falsitate primo modo, cùm prout sic falsitas sit io secunda duntaxat operatione intellectus. Lis itaque emergens est de falsitate, & veritate secundo inspecta modo, quæ postea occasionem veritatis, vel erroris etiam intellectui præstat.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Circa sensibile, sive objectum propriam complurimam, & perse nequit sensus decipi, sed duntaxat per accidens, & rarò; benè verò circa sensibile commune, & multò magis circa sensibile per accidens.

3. PRima pars legitur in Arist. hic 2 de Anima tex. 63. ubi scribit, *sensibile proprium esse circa quod error fieri nequit*, intellige perse. Verba namque in definitione perse sunt accipienda. Idem seorit S. Th. tum ibidem, tum p.p. q 17. art. 2. & q 85. art.6. Et

Prob. ratiocinio ejusdem S. D. art. 6. cit. in corp. Ea, quæ sunt positivè contra exigentiam rei, nequeunt perse evenire; sed decipi circa objectum proprium est positivè contra exigentiam sensus: ergo sensus nequit circa objectum proprium perse decipi. Maj. nota videtur. Quia namque habere unum duotaxat oculum est contra connaturalem exigentiam Hominis, perse loquendo non evenit, Hominem unum duotaxat sortiri oculum, sed perse duos obtinet. Maj. prob. Sensus perse exigit non decipi circa objectum proprium: ergo &c. Prob. ant. Sensus perse in quarto modo fertur ad proprium objectum: ergo circa illud perse exigit non decipi. Ant. enitescit, secùs haud esset distinctivum illius à reliquis poteotiis. Conseq. prob. Unaquæque res circa ea, ad quæ se habet perse in quarto modo, & secundùm quòd ipsa, perse loquendo perfectionem quandam particularem, & modum perfectissimum importat, ut inductivè palam est, sed perfectio sensus est non decipi: ergo si &c.

Quòd verò per accideus decipi queat, exponit S. Th. loco cit. ex q. 17 quia quemadmodum multa passiva propter imperfectam impressionem agentium suam dispositionem deficienter recipiunt, sic interdum sensus propter organi iodispositionem non convenienter recipit formam sensibilem. Qua ratione propter iosectionem, & corruptionem linguæ, dulce infirmus judicat amarum. Ob idque sensus circa sensibilia propria non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus, ut Philosophus scribit hic tex. 161. Et re vera nonne experimur, quod viridi uteuti perspicillo, etiam alba, & nigra apparent viridis coloris?

4. Secunda conclusionis pars haurìtur pariter ex Philos. locis relatis, sicut etiam ex Angelico loco mox citato, ubi post pauca subdit: *circa sensibile verò commune decipitur sensus, sicut in judicando* (iotellige de judicio similitodinariè dicto) *de magnitudine, vel figura, ut cùm judicat, Solem esse pedalem, qui tamen est major terra. Et multò magis decipitur circa sensibile per accidens, ut cùm judicat, fel esse mel propter coloris similitudinem.* Ex quibus

Prob. Ad sensibilia communia sensus fertur, non perse in quarto modo, cùm ad sensibile commune plores ferantur sensus; Imò nullo pacto fertur perse primò, sed duntaxat perse secundo; ad sensibile autem per accidens fertur duntaxat per accidens. Ex quo provenit, quòd distantia, quæ versatur inter terram, & Cœlum modica apparet, cùm tamen maxima sit (etiam enim *distantia* inter seosibilia communia supputatur) similiter stellæ fixæ minimæ apparent magnitudinis, cùm tamen sint maximæ; Sol apparet planus, cùm sit sphæricus. Vid. omnino S.Th. q.1. de ver. art.9. & 11.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sensus externi nullatenus sunt reflexivi supra suos actus.

5. SIc Philos. 4. Meth. tex.25. ubi *sensus*, inquit, *non est suimet, sed alterius*. Sic etiam S. Th. tum 2. contra Gentes cap 66. tum p. p. q. 14. art. 2. ad 1. & q. 78. art. 4. ad 2. & q. 89. art. 3. Et

Prob. Tum quia objectum V. G. visus est lucidum coloratum, sive lux, & color, & objectum auditus est sonus; sed visio non est lux, aut color, benè verò est perceptio colorati; & similiter auditio non est sonus, be-

oe verò perceptio soni: ergo suam neqoit cognoscere actionem, adeoque reflectere supra illam minimè valet.

Coos. Ideo namque intellectus est suos supra actus reflexivus, quia ejus intellectio habet rationem entis, & veri, imò etiam voluntas potest aliquo modo suam supra volitionem reflectere; quia volitio potest boni rationem induere: ergo cùm, ut vidimus, actio sensus non sit sensibilis, &c.

Ratio autem à priori est ex parte sensus, quia sensus est potentia coarctata, & materialis, modo operans materiali. Operari autem modo materiali fit per contactum alterius, non verò sui ipsius; Idcircò nequit sensus percipere seipsum, aut suam sensationem.

Adde, quòd, ut Philosophus probat cap. 2. de Sensu, & Sensato; necessarius est sensus communis ad discernendas sensationes sensuum externorum. Semel autem dato, quòd sensus externi forent suos supra actus reflexivi, possent suas inter sensationes discernere; ad eum modum, quo intellectus suas discernit inter intellectiones, sicque frustraneus foret sensus communis.

Ex his omnibus inferas, quòd neque sensus interni sunt suos supra actus reflexivi.

§. I V.

Oppugnantium argumenta solvuntar.

6. ARg. 1. Contra primam partem primæ Concl. Majori pollet perfectione intellectus, quàm sensus; sed intellectus circa proprium falli potest objectum: ergo &c. Prob min. Plerumque eandem circa rem oppositæ extant opiniones: ergo cùm veritas sit una, aliquis eorum decipitur.

Conf. Visus multoties apprehendit ut coloratum, quod non est coloratum; sed coloratum est objectum proprium visus: ergo &c. Prob. maj. In Cœlo verus non extat color, ut in tract. de Cœlo q. 1. art. 2. §. 3. ad Conf. 2. arg. sed apprehendit colores in Cœlo: ergo &c. Idem dic, quando visus apprehendit colores in Iride.

Resp. data maj dist. min. per accidens, concedo, per se, nego min. & conseq. Doctrina Philosophi est, quòd omnis nostra cognitio ortum habet à sensu. Et quia non rarò aliqua ex indispositione organi, species non ita benè sensus informant; Idcircò errandi occasionem, intellectui præbent. Quo postea fit, quòd intellectus per accidens, nimirum ex deceptione sensuum decipitur.

Contra. Et simul est arg. directè contra concl. Ex hoc sequeretur, quòd nunquam perfecta posset in intellectu scientia de rebus haberi; sed hoc propugnari haud potest: ergo nec ista propugnari doctrina potest. Prob. sequela maj. Scientia debet esse de infallibilibus; sed si sensus, & intellectus cum ipso posset per accidens circa objectum decipi, posset semper dubium adesse, num contingat per accidens deceptio aliqua: ergo &c.

Resp. nego sequelam maj. Ad prob. ex dictis in posterioristicis Logicæ q. 1. Præloquio 1. §. 3. *dico secundo* sub num. 6. dist. min. cum una vel saltem paucis sensationibus, concedo, multiplicatis sensationibus, nego min. & conseq. Scientia siquidem, & certa intellectus cognitio non stat cum unica, vel paucis sensationibus, sed ex multiplicatis sensuum fit actibus. Et quia, ut dictum est, sensus per se, & ut in pluribus circa proprium objectum decipi nequit, sed duntaxat per accidens, & ut in paucioribus; Idcircò ex multiplicatis sensuum actibus semper eodem modo habitis certifit intellectus, fitque postea per discursum sciens. Sanè objectio ista, si quid probat, probat nec per accidens posse decipi. Quòd quis dixerit?

Inst. Multa post sæcula, in quibus profectò innumerabiles sensuum actus circa eandem sunt rem habiti, adhuc viget opinionum discrepantia in Scholis, adeoque aliquis errat: ergo intellectus deceptio provenit, non ex hoc capite, sed per se, adeo à fortiori sensus decipi per se potest.

Resp. quòd res nonnullæ per accidens duntaxat attinguntur à sensibus, vel remotè. Et circa ista semper extat Doctorum dissonantia; quia circa objecta per accidens, vel remotè attacta, sicut etiam circa objecta communia sensus per se decipi potest. Nos autem loquimur de objecto proprio sensus. Sed hoc admonitus sis, quòd talia placita, sive tales sententiæ non sunt scientiæ, sed opiniones duntaxat.

Ad Conf. dico, id evenire per accidens, vel ex organi indispositione, vel medii ineptitudine, ut dicebamus in Logica Syntag. 2. art. 4. de visu apprehendente baculum rectum subtus aquas decurrentes, ac si curvus esset. Eò vel maximè quòd rectitudo, & curvitas, seu figuræ, sunt objectum commune.

Animadverte autem, quòd cùm dicimus, sensum posse decipi per accidens, intendimus, non sensum circa rationem formalem sui objecti posse decipi per accidens. Non, inquam, quia (ut inquit Lerma, & Cavinus) visus nec per accidens potest attingere côloratum, ac si foret sonorum, nec auditus attingere sonorum, ac si coloratum esset. Solùm itaque circa particulares sui objecti rationes decipi potest.

7. Arg. 2. contra 2. p. ejusdem conclusionis. Ideo circa objectum proprium sensus decipitur solùm per accidens, quia id evenit vel ex indispositione organi, vel improportione medii, vel alterius rei; sed id evenit quoque circa sensibile commune: ergo & circa istud per accidens duntaxat, & non per se fallitur. Prob. maj. Constat namque, quòd si objectum sit proportionata in distantia cum medio apto, perfectaque organi dispositione cernitur sua cum quantitate, ac figura, ut est in se: ergo si aliter videri contingat, hoc erit per accidens, nimirum vel nimia ex distantia, vel aliquo alio ex capite.

Resp. nego min. Ad prob. permisso ant. nego conseq. & suppositum consequentis. Supponit siquidem, quòd ipsa distantia non sit sensibile commune, cujus oppositum vidimus §. 3. num. 4. Ob idque si per se decipitur in illa distantia, decipitur per se circa sensibile commune, non solùm distantiæ, verùm etiam figuræ objecti; quia figura, & distantia sunt objectum commune, & eodem modo ad potentiam pertinent. Dixi *permisso ant.* quia licèt multoties visus attingat objectum sua cum figura, ut contingit si mediocri sit in distantia collocatum; tamen complurimum hoc non facit saltem perfectè, quia non semel est adeo sphærica, vel adeo cubica, &c. figura, quòd ni plures concurrant sensus, puta visus, & tactus, nequit perfectè deprehendi.

Contra. Species informat repræsentando sensibile non solùm proprium, verùm etiam commune; sed circa primum nequit contingere deceptio, nisi per accidens: ergo etiam &c.

Resp. ex dictis §. 2. num. 4. dist. maj. verùm etiam commune per se primò, nego, per se secundò, concedo maj. cum min. & nego conseq. Responsum ex dictis enitescit.

Inst. Per nos sensus non percipit sensibile commune, nisi per speciem sensibilis proprii; sed sensus per speciem sensibilis proprii nequit decipi per se: ergo &c.

Conf. Illa eadem species est naturalis similitudo utriusque: ergo &c.

Resp. eodem modo data maj. in sensu prædeclarato, repræsentando, nimirum per se, secundò, dist. min. circa sensibile proprium, concedo, circa sensibile commune, nego min. & conseq. Ad Conf. dist. ant. est naturalis similitudo utriusque æquè primò, & eodem modo utriusque, nego, objecti proprii per se primò, & objecti communis per se secundo, concedo ant. & nego conseq.

8. Arg. 3. contra 2. Concl. S. Th q. 1. de ver. art. 9. & 11. ait, quòd sensus externus reddit ad sensum redditione incompleta, quia nempe cognoscit actum suum, licèt non essentiam suam.

Conf. ex Arist. qui 3. de Anima tex. 138. id probat sic. Sensatio nisi à proprio perciperetur sensu, deberet percipi alio à sensu. Tum verò sic. Sensatio vel percipitur ab alio sensu, vel non. Si percipitur ab alio sensu, iterum peto, num sensatio istius ab alio percipiatur sensu, cum eadem sit ratio. Et sic dabitur processus in infinitum. Eò vel maximè quòd si alio percipitur à sensu, debet ab isto sensu percipi etiam objectum talis sensationis, sicque objectum proprium à pluribus attingetur potentiis; quod tamen est impossibile. Si non, ergo ab illo percipitur sensu, à quo elicitur, quia cùm sit quid materiale est quid sensibile.

Resp. ad arg. & conf. simul, D. Th. & Philos. loqui de reflexione, non propriè, sed duntaxat latè, & impropriè dicta pro ipsa experientia, qua sensus experitur se sentire, & suo veluti delectatur in actu.

Ad ratiocinationem, quæ fit in Conf. dico, quòd singulæ singulorum sensuum sensationes percipiuntur quadam sub universaliori ratione à sensu communi, sicut & cujuslibet externi sensus objecta propria. Haud enim inconveniens est,

est, unius potentiæ objectum sub alia ratione ab alia attingi potentia. Sensus autem communis sensatio à solo percipitur intellectu, loquendo de perceptione propriè dicta. Nec obest, quòd materialis actio sit. Non, inquam, obstat, quia est materialis, non *ut quod*, cùm non habeat esse *ut quod*, sed *ut quo* duntaxat, quatenus est id, quo materiale objectum percipitur.

ARTICULUS TERTIUS.

Num sensus externi queant attingere objectum physicè absens.

§. I.

1. DUplex est absentia. Una dicitur absentia temporis, quatenus objectum aliquod non existit in tempore prædicti, sed vel est possibile, vel futurum, vel præteritum. Altera dicitur absentia loci, sive distantia, sicut V. G. Roma est absens iis, qui Bononiæ degunt. De utraque absentia lis est.

Tres sunt sententiæ. Prima, quam solus Bulidanus tutatur, quamque cæteri omnes respuunt, tenet, sensum externum posse etiam naturaliter attingere objectum absens.

Secundæ placet, sensum externum posse supernaturaliter attingere objectum absens utraque absentia. Pro hac stant Conimbr. Suarez, & Vasquez, secuti Joannem de Ripalda, & Raphaelem de Torre.

Tertia sentit, nec supernaturaliter sensum externum posse attingere objectum physicè absens absentia sive loci, sive temporis. Hanc propugnant Thomistæ omnes, & Scotistæ cum Scoto quodl. 15. & in 2. dist. 3. quæst. 9. & in 4. dist. 42. quæst 4.

§. II.

CONCLUSIO.

Nec naturaliter, nec supernaturaliter potest sensus exterior attingere objectum physicè absens.

2. DEpromitur ex D. Th. pluribus in locis legendis apud Jo: à S. Th. hic q. 6. art. 1. & præcipuè p. p. q. 78. art. 4. & p. 2. q. 15. art. 2. & q. 35. art. 2. ad 2. ubi hanc agnoscit differentiam objecti sensus externi ab objecto sensus interni, quia sensus externi versantur circa præsens, interni verò circa absens.

Quò ad p. p. nullo prob. labore. Tum quia si possibile id naturaliter foret, aliquando saltem eveniret. Quod tamen falsum esse conspicies num. 5. Tum quia naturaliter loquendo nequit in sensu externo conservari species rei physicè absentis: ergo &c. Prob. ant. Siquidem vel esset species objecti, quod nusquam fuit præsens. Et hoc non, quia ab objecto species immittitur. Vel species rei, quæ aliquando fuit præsens. At neque propugnari hoc potest, quia istius pro conservatione deberet specialis assignari sensus externus; quemadmodum quia sensus potest objectum præteritum attingere datur internos inter sensus imaginativa conservativa specierum rerum præteritarum; & in parte intellectiva extat memoria. At istum assignabit nemo.

3. Prob. 2. p. Quod est contra rei essentiam nec supernaturaliter fieri potest, ut inductivè palam est; sed attingere objectum physicè absens est contra essentiam externorum sensuum: ergo &c. Prob. min. Sensus externi sunt essentialiter coarctati ad perceptionem objecti physicè præsentis: ergo &c. Prob. ant. Sensus externi sunt essentialiter limitati ad cognitionem potentiarum omnium infimam; sed ista est cognitio rei præsentis; ergo &c. Prob. maj. Cognitio, & operatio quæcunque sequitur ad esse, eique commensuratur; sed sensus externi sunt essentialiter in infimo gradu potentiarum cognoscitivarum cognitione sensitiva, cùm non sit alia assignabilis inferior: ergo &c.

4. Prob. ult. ratione hausta ex D. Th. loco relato. In hoc internus sensus ab externo secernitur, quòd ille ferri potest ad objectum physicè absens, iste verò ad objectum duntaxat physicè præsens: ergo sensus exterior nec supernaturaliter, &c. Ant. est perspicuum. Siquidem hoc tantummodo habent sensus interni, in quo externos excedant. Consequentia verò est exacta; quia namque Homo differt à Bruto, quòd ille ratiocinatur, & per rationalitatem excedit Brutum, nec supernaturaliter potest Brutum ratiocinari.

§. III.

Adversariorum argumenta solvuntur.

5. COntra p. p. concl. afferuntur experientiæ nonnullæ. Prima de sono, qui auditur etiam postquam corporum cessavit collisio. 2. De odore, qui percipitur deficiente odorifera exhalatione. 3. De Lynce intuente objectum positum trans parietem. 4. De Speculo ob oculos posito, in quo cernitur Cajus V. G. existens à tergo. 5. De Virga ignita, quæ dum velociter cietur facit apparere circulum igneum, sicque conspicitur ignis ubi fuit, & non est. 6. De Spectris veneficorum, vulgò Nigromanticorum, qui virtute Dæmonum vident, & videnda exhibent quæ non sunt, & de abjectis animo, & insanientibus videntibus quæ non sunt. Demum (aliis consimilibus omissis) objicitur paritas quædam de lapide Bononiensi, qui solaribus expositus radiis lumen mora aliqua retinet, etiam solaribus remotis radiis: ergo à pari poterit saltem brevi morula conservari species in sensu exteriori etiam absente physicè objecto, adeoque &c.

Resp. ad 1. quòd licèt cessaverit corporum collisio; tamen adhuc perdurat sonus in aere, qui sonus est objectum auditus. Idem dico ad 2. quòd nimirum licèt defierit odorifera evaporatio, adhuc pro illo tempore perseverat odor in aere. Idem dic de gravi, quod cietur per aerem etiam in impellentis absentia. Talis namque perseverat in ipso gravi, ut 7. Phys. diximus. Ad 3. dico (si id verum est, cùm dubium non modicum sit, ut videre est apud Jo: à S. Th. hic q. 6. art. 1.) non proinde conspici sequitur objectum physicè absens. Non, inquam, quia tale objectum immittit speciem per poros parietis; quæque species subtus Lyncis visum, qui acutissimus est, immutare valent, cùm tenuissimæ. Idem dic de iis, qui feruntur res subtus terram latentes cernere aquarum inspectores vocitatis, quadam visus perspicacitate pollentibus. Ad 4. dico, in speculo illo non conspici Cajum, sed Caji imaginem. Ad 5. dico, quòd oculus re vera non intuetur circulum igneum, sed continuam propter successionem unius partis virgæ ad locum alterius partis apparet sensui communi, quod totus simul circulus inspiciatur. Ad 6. dico, Quòd Venefici non vident, quæ non sunt, nec facere possunt, ut ab aliis videantur, quæ præsentia non sunt, sed duntaxat Dæmonum virtute sic Hominum Phantasiam immutant, ut illi sibi videantur talia videre. Frenetici pariter, & meticulosi, sive timidi non vident, quæ non sunt, sed ratione Phantasiæ perturbatæ imaginantur se talia videre.

Ad paritatem, quæ ultimo loco adducitur, primitùs (ut dicemus infra) talis conservatio speciei sine objecti præsentia tametsi possibilis foret, non sufficeret ad sensus externi sensationem. Præterea dato ant. nego conseq. Discrimen situm in eo est, quod cùm habeat naturam valdè dispositam ad formam ignis, nonnihil ignescit; sicque aliqua pro morula durat candefactus, & lucens. Imò retorqueas arg. quia videmus, lucem in aere, aliisve in corporibus non remanere absente corpore luminoso.

6. Arg. 1. contra 2. p. Concl. Inferius potest elevari ad participandam aliquam operationem superioris: ergo sensus externi ex conjunctione ad internos attingentes objectum absens possunt elevari ad attingendum objectum physicè absens. Ant. neminem latet, quem non lateat, quòd calor in vivente ex conjunctione ad potentiam vitalem elevatur ad producendam carnem similiter vegetativum in Bruto ex conjunctione ad sensitivum gradum potest producere substantiam viventem vita sensitiva, &c.

Resp. ex dictis in Logica Syntag. 2. q. unica art. 5. §. 3. dist. ant. ad participandam aliquam operationem minùs difficilem, & imperfectiorem, concedo, difficiliorem superioris, nego ant. & conseq. Attingere autem objectum physicè absens est operatio perfectior, ac difficilior sensus interni; Idcircò &c. Sanè arg. probat, posse etiam naturaliter, ut legendo exempla ab opponente adducta deprehendes.

Contra. In sententia apud Thomistas probabili Phantasia in Homine ex conjunctione ad intellectum elevatur ad formandum ens rationis: ergo pariter &c.

Resp. primitùs, probare etiam naturaliter, &c. Præterea

terea discrimen est, quia illa in sententia formatio entis rationis non est difficillima intellectus operatio. Ratio autem petenda venit ab eis, qui talem propugnant sententiam, non à nobis, qui eam in Logica rejecimus.

Contra. Falsum est, attingentiam objecti absentis esse operationem perfectissimam, &c. ergo &c. Prob. ant. Est imperfectior cognitione objecti præsentis: ergo &c. Prob. ant. Cognitio objecti præsentis, ceu cognitio experimentalis, est certior: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. Secundùm quid, concedo, simpliciter, nego ant. & conseq. Est itaque perfectior secundùm quid, nimirum præcisè quò ad majorem certitudinem. Cognitio autem objecti physicè absentis est perfectior quò ad plura alia, nimirum est minus materialis, magis abstracta, similiter quia quandam importat universalitatem, cùm se extendat ad objecta præsentia, & etiam ad absentia usque.

Inst. Sensus externi ex conjunctione ad internos aliquam participare perfectionem debent, cùm universaliter omne inferius ex conjunctione ad superius perfectionem aliquam participet; sed nisi participet cognitionem rei physicè absentis, non est excogitabile, quid participet: ergo &c.

Resp. nego min. Participant enim quandam supra suos actus reflexionem, non quidem formalem, quam art. antegresso ab omni sensu excludebamus, sed materialem pro quadam complacentia in suo actu: ad eum modum, quo Phantasiæ discursum quendam materialem dabamus.

7. Arg. 5. ad idem. Posita specie, sive similitudine objecti in aliqua potentia, ista attingit objectum; sed à Deo potest conservari in sensu externo species, sive similitudo objecti absentis: ergo &c. Prob. min. Tum quia non est excogitabilis repugnantia; Tum quia à Deo se solo potest conservari, sicut creari cujuslibet objecti species sine objecto, cùm omnes à principio creationis infuderit Angelis species.

Conf. à Deo supernaturaliter fieri potest, ut objectum longè distans immittat speciem ad sensum: ergo &c.

Resp. ad arg. ex Jo: à S. Th. data maj. dist. min. potest &c. ut accidens quoddam est, concedo, reduplicativè ut est objecti similitudo, nego min. & conseq. Ad eum modum, quo alibi diximus, quòd si Deus poneret visionem in lapide, poneret illam ut accidens quoddam est, non verò ut visio formaliter, & actio vitalis est. Ratio est, quia species formaliter quatenus actuat sensum externum specificatur essentialiter ab objecto physicè præsenti, quia est actus talis potentiæ, quæ specificatur essentialiter ab objecto præsenti, nimirum sensus externi, qui, ut num. 3. & 4.) essentialiter pendent, ac proinde specificatur ab objecto physicè præsenti, cùm sit infimo in cognoscentium gradu.

Hinc habetur discrimen ad id, quod de Angelo dicitur.

Contra. Deus potest se solo quicquid potest cum causa secunda, sed cum objecto physicè præsenti potest conservare in sensu externo speciem formaliter in ratione speciei repræsentativæ objecti: ergo etiam &c.

Resp. maj. non esse universaliter veram, quando sit contra essentiam alicujus. Deus namque cum causa secunda producit actionem vitalem causæ secundæ; & tamen talis actio nequit esse à solo Deo, cùm dicat essentialiter esse ab intrinsecis ejus, cujus est actio.

Inst. Causa formalis non exigit existere, ut specificet: ergo tametsi objectum sit absens potest specificare. Prob. maj. Eatenus causa efficiens debet existere, quia dat esse, idest existentiam, sed non spectat ad causam formalem extrinsecam ut talem dare existentiam: ergo &c.

Resp. primitèr, quòd species habet esse ab objecto etiam in genere causæ efficientis. Præterea nego ant. loquendo specialiter de causa formali specificativa sensus externi. Ad prob. data maj. & min. concedo etiam consequentiam quantùm est ex hoc capite. Possunt autem & alia esse motiva. In causa formali extrinseca specificativa sensus externi motivum est, quia cùm iste sit potentia in infimo cognoscentium gradu petit modum cognoscendi infimum, qui est circa rem præsentem, & existentem. Licèt hoc non valeat in aliis causis formalibus extrinsecis specificativis aliarum potentiarum, quæ non sunt essentialiter ita in infimo gradu.

Ad Conf. nego ant. loquendo de specie ut formaliter similitudo est, propter rationem nuperrimè adductam cum Jo: à S. Th.

8. Arg. 3. tribus paritatibus. Primò. Accidens licèt connaturaliter petat inesse subjecto, secùs supernaturaliter: ergo pariter &c. 2. Potest sensus videre rem aliter, ac est, & alicubi videre quod ibi non est, ut cùm videt subtùs aquas decurrentes baculum fractum, qui fractus non est: ergo à fortiori &c. 3. Agens physicè licèt connaturaliter loquendo petat approximationem ad passum; tamen supernaturaliter potest agere in distans ut 7. Phys. post q. 1. in Appendice dicebamus: ergo pariter licèt &c.

Resp. ad 1. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia accidens non specificatur à subjecto; sensus autem externus, ut diximus, specificatur ab objecto præsenti.

Ad 2. Resp. quòd visus non attingit baculum fractum in se (licèt ita concipiat sensus communis, sed attingit fractum in medio, nimirum in aqua, quæ in suo fluxu interrumpit speciem à tali baculo immissam, & facit, quòd baculus in medio deferente sit verè fractus, ut dictum est in Logica Syntag. 2. art 4. §. 3.

Ad 3. discrimen est, quia nec agens à passo, nec è contra passum ab agente specificatur.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum, & quomodo sensus externus lædatur per vehemens sensibile, & num possit sentire sensibile immediatè positum supra sensum.

§. I.

1. SCito 1. pro p. p. dubii, quòd aliud est, sensibile esse excellens, & aliud est, esse vehemens (quamquam usurpari pro eodem consueverint) quia vehemens idem perinde, ac *emitàs vehens* sonat etymologicè. Licèt enim utrumque conveniat in hoc, quod est, quendam habere excessum supra naturam; tamen differunt in hoc, quod vehemens ultra hoc dicit vim, sive violentiam quandam. Ea de re lux corporis gloriosi dicitur excellens, non tamen vehemens. Dupliciter autem potest sensibile esse vehemens. Primò perse, ut est quæcunque lux Solis respectu noctuæ, & vespertilionis; & respectu nostri lux ejusdem Solis directè radios ad oculos deflectens. Secundò per accidens, ut sunt soni etiam moderati respectu infirmi; vel quælibet lux respectu ejus, qui diù fuit in tenebris.

Scito 2. quòd agere in aliud stat dupliciter, nimirum actione vel naturali per Physicam immotationem, sicut Sol dicitur actione naturali agere in nivem, gelu, ceram, &c. Vel actione purè intentionali per immutationem purè intentionalem, sicut species agit in potentiam cognoscitivam.

Scito 3. ex D. Th. q. de Anima art. 12. in corp. accidens dupliciter posse lædi, & corrumpi. Uno modo perse à suo contrario, sicut frigidum destruitur per calidum. Alio modo per accidens ad destructionem sui subjecti, sicut destruuntur qualitates non habentes contrarium, ut est lux, & omnes potentiæ vitales.

Scito ult. pro 2. dubii p. quòd esse immediatè positum supra sensum est esse positum supra sensum absque aliquo medio. Medium autem potest esse duplex. Unum externum, sicut respectu visus est aer medians inter potentiam visivam, & objectum visibile. Aliud internum, sicut respectu tactus est caro medians inter tangibile, & nervum, qui est organum tactus. Dubium agitur in casu exclusionis utriusque medii.

2. Quò ad p. p. exploratum est, sensum lædi per vehemens sensibile, ut docet Philosophus hic cap. 12. & 13. Quotidiana siquidem experientia testatur, radios solares directè ad oculos deflectentes offendere visum. Ea de re lis agitur, num lædat sensum prout agit actione tùm naturali, tum intentionali, ut asseverant Compl. Serra, & alii cum Cajet quos novissimè sequitur Arnù, & Guerinois; an verò solùm ut agit actione naturali, ut sentit Dorandus, Jo: à S. Th. Lerma, Cavinus, & alii.

Quò ad 2. p. Omnes Thomistæ, quos sequuntur Ægidius, Jandunus, & alii, tenent, sensum non posse percipere sensibile immediatè positum supra sensum contra Conimbr. Suarez, Ruvium, & alios, quorum aliqui affirmant duntaxat de sensibus gustus, & tactus; alii etiam de odoratu; alii etiam de auditu, & etiam de visu quòad corpora lucida, non tamen quòad opaca.

§. II

PRIMA CONCLUSIO.

Vehemens sensibile lædit, & offendit sensum duntaxat ut habet annexam actionem naturalem; non verò ut agit actione intentionali.

3. ELicitur ex D. Th. tum hic 2. de Anima lect. 14. ubi habet, quòd quæ habent esse intentionale non faciunt transmutationem naturalem; radii autem corporum cœlestium transmutant totam naturam inferiorum, & ideo non habent solùm esse intentionale in aere. Tum in 4. dist. 44. q. 1. art. 4. ad 2. cujus verba postea exscripta fuere in additionibus ad 3. p. q. 85. art. 2. ad 2. quod intendebat probare claritatem corporis gloriosi non posse videri à corpore non glorioso, eò quia est claritate Solis major. Ad quod S. Th hisce respondet verbis: *Ad 2. dicendum, quòd sicut corpus gloriosum non potest pati aliquid passione naturæ, sed solùm Animæ, ita ex proprietate gloriæ non agit, nisi actione Animæ. Claritas autem non offendit visum inquantum agit actione Animæ, sed secundùm hoc magis delectat; offendit autem inquantum agit actione naturæ calefaciendo, & dissolvendo organum visus, & disgregando spiritus: & ideo claritas corporis gloriosi quamvis excedat claritatem Solis, tamen de sui natura non offendit visum, sed demulcet.*

4. Quò ad p. p. conclusio nitet ex mox dictis:

Quò verò ad 2. prob. 1. Actio intentionalis est perfectivs: ergo quò excellentior est, evadit magis perfectiva: ergo nunquam potest esse læsiva.

Respondent Compl. actionem intentionalem de se absolutè esse perfectivam; tamen quando propter excellentiam est improportionata tunc est læsiva. Sed

Contra. Responsum hoc videtur mera principii petitio. Siquidem hoc est, quod probamus, nimirum non posse esse improportionatam; quia quò magis est perfectiva, eò magis est proportionata; sed probavimus, quòd quò magis est excellens, eò magis est perfectiva: ergo quò magis est excellens est magis proportionata.

Ea ex te habes contra ex nostris quendam clarissimum in m. s. vehemens sensibile læsione non modò corruptiva, verùm etiam læsione purè molestativa, non lædere sensum, quia, ut diximus, actio intentionalis quò excellentior est, eò magis perfectiva est, ac delectans, atque demulcens, non verò molestans, ut constat de claritate corporis gloriosi.

5. Prob. 2. eisdem adversus Compl. Passio naturalis fieri nequit nisi per actionem naturalem, quemadmodum intentionalis passio inferri nequit, nisi per actionem intentionalem; sed corruptio sensus est passio naturalis, cùm sit destructio illius in esse naturali: ergo nequit inferri per se ab agente intentionali, sed duntaxat ut habet annexam naturalem actionem.

Si respondeas, corrumpi in esse naturali ex corruptione in esse intentionali, quia hæc licèt habeat esse intentionale, tamen connexionem cum esse naturali habet.

Contra est, Tum quia, ut diximus num. 1. ex D. Thoma, potentiæ non corrumpuntur per se, cum non habeant contrarium, sed per accidens ad corruptionem subjecti. Tum quia connexio ista cum esse naturali non est in esse naturali, cùm in esse intentionali non dicat connexionem naturalem cum naturali: ergo est in esse intentionali: ergo ex connexione ista naturali nequit fieri corruptio in esse naturali.

Adde, quòd sensibile quantumvis vehemens continetur intra sphæram objecti specificativi sensus.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sensibile immediatè positum supra sensum non facit sensationem.

6. QUam tenet Philosoph. hic 2. de Anima tex. 75. & D. Th. ibi lect. 15. cujus verba legi possunt tum apud Guerinois hic q. 3. art. 3. §. 3. tum apud alios. Præterea Philosophus infra lib. 3. cap. 1. probat, non esse pluses sensus, quàm quinque, quia media non sunt plura, quàm quinque. Et

Prob. 1. experimento. Organum, & pupilla oculi haud videtur à proprio oculo, licèt videatur ab alieno oculo. Et inde ad significandum, quod quis suo se pede non metitur abiit in proverbium abiit *oculus non videt seipsum*. Similiter universim color si ponatur immediatè super oculum non videtur, imò impedit absolutè videre. Ubi notandum, quod Arist. & cum eo D. Th. ubi supra, dicit, eandem esse rationem de aliis sensibus. Pariter odor cùm penetraverit ad cerebrum non percipitur; Ob idque qui continuò odores inter, aut fœtores versantur, eos ampliùs non percipiunt. Idem de aliis dic sensibus: non enim organum gustus gustatur à proprio sensu gustus, nec organum tactus sentitur per proprium tactum.

7. Prob. 2. ratione. Potentia sensitiva ut distinguitur à purè vegetativa, & à rebus materialibus, petit medium aliquod, ut suum attingat objectum: ergo &c. Prob. ant. Potentia sensitiva, sicut & cognoscitiva quælibet potentia modo quodam elevato supra modum operandi materialem operatur; sed potentiæ vegetativæ, & res quælibet materiales modo materiali agunt per contactum materialem: ergo &c.

Conf. 1. Ideo requiruntur species intentionales, ut potentiæ cognoscitivæ suum attingant objectum, quia objectum ceu materiale nequit immediatè per seipsam uniri cum potentia, quæ spiritualis: ergo si immediatè per seipsum illi uniatur, non sentitur, adeoque &c.

Secundò. Ab extremo ad extremum non fit transitus, nisi per medium, ut inductivè palam est; sed potentia, & objectum sunt extrema inter se distincta: ergo &c. Prob. min. Spirituale, & materiale, vitale, & non vitale extremè distant inter se; sed potentia est vitalis, & quodammodo spiritualis, objectum est materiale, & non vitale: ergo &c.

§. IV.

Adversariorum argumenta solvuntur.

8. ARg. 1. contra p. concl. Vehemens sensibile eo modo lædit sensum quo modo vehemens est; sed est vehemens etiam secundum esse intentionale: ergo &c. Prob. maj. Ideo lædit sensum, quia vehemens, cùm non alia ratione lædat per naturalem actionem: ergo &c.

Resp primodùm, nego maj. Ad prob. dist. ant. quia est vehemens vehementia alterativa, & corruptiva, concedo, vehementia purè perfectiva, nego. Responsum enitescit ex dictis num. 4. Præterea omissa maj. posset negari min. quia secundùm esse intentionale non habet vehementiam rigorosè dictam, quia in hoc ordine est purè perfectivum.

Contra. Vehemens sensibile secundùm esse intentionale est improportionatum sensui: ergo est vehemens vehementia corruptiva etiam secundùm esse intentionale. Prob. ant. Objectum proportionatum sensui consistit in quadam proportione, & mediocritate: ergo si secundùm esse intentionale est excellens, ac vehemens, &c.

Conf. D. Th. hic 2. de Anima lect ult. docet, *quòd excellentia sensibilium corrumpit sensum*, idque probat, ut videre est ibi.

Resp nego ant. Ad prob. dato ant. dist. consequens improportione negativa, concedo, positiva, nego conseq. Dupliciter potest objectum aliquod dici improportionatum. Uno modo improportione negativa, quatenus ita est excellens, quòd nequeat per illud potentia immutari, sicut Deus clarè visus respectu intellectus nostri est objectum intelligibile intelligibilitate, ut nequeat intellectus creatus naturaliter ab illo perfici, & immutari. Alio modo improportione positiva, quatenus offendit potentiam. Si ergo extet quidpiam ita excellentissimum secundùm esse intentionale (quod tamen haud certum est extare) erit improportionatum primo, at non secundo modo.

Ad Conf. dico S. Th. esse intelligendum de sensibili, ut agente actione naturali.

Dices ex prælaudato in m. s. Sensus attingendo medium delectatur, & in extremis sentit molestiam, ob idque color viridis, ceu color medius, oculum delectat; similiter simphoniæ sonus, qui quandam habet proportionem delectat auditum, sonus verò ingens, & vocum discrepantia afficit molestia: ergo cùm excellens sensibile secedat ab hujusmodi proportione, & mediocritate, jam &c.

Resp.

Resp. ad 1. nego ant. Potius namque sensus communis quadam varietate mixta colorum albi & nigri in viridi delectatur. Nec molestiam visus patitur in nigro. Aliquam tamen molestiam fert intuendo album, sed hoc per accidens est, quia nimirum album, ceu magis luminosum, proindeque ad species emittendas magis idoneum ingentem emittit copiam specierum & concurrunt ad potentiam pro eis excipiendis spiritus in magna copia, qui potentiam calefaciendo alterare habent.

Ad 2. dico, quòd vehemens sonus lædit sensum actione naturali. Sonus namque fragoris effringit impetu aerem, sicque aures violenter ferit, ac offendit. Quòd autem auditus delectetur in simphonia, & molestia in dissonantia afficiatur, non provenit directè ex ipso sono (cùm illi, qui minimè norunt consonantiam à dissonantia secernere, non magis in prima, quàm in secunda delectentur) sed provenit vel ex sensu communi, qui discernit tales inter sonitus; vel ex intellectu, qui talem percipit improportionem, & ex hoc movetur voluntas ad retrahendum sensum à tali perceptione soni.

9. Arg. 2. eadem adversus p. Sensibile propter sui defectum potest sensum lædere: ergo multò magis propter excessum, & violentiam. Ant. est manifestum, cùm visus offendatur exiguam legendo scripturam.

Resp. dist. ant. occasionaliter, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Tunc namque propter nimiam attentionem circa litteras illas, tenuem immittentes speciem, concurrunt in maxima copia spiritus, qui potentiam calefaciendo alterant.

10. Arg. 3. contra 2. concl. Ad hoc, ut sensus attingat objectum satis est, quòd immutetur ab illo per speciem; sed objectum tametsi immediatè tangat sensum immutat illum: ergo &c. Prob. min. Talis contactus est actio quædam inferens passionem aliquam: ergo &c.

Resp. dist. maj. quòd immutetur ab illo immutatione spirituali, concedo, materiali duntaxat, nego maj. & distincta min. nego conseq. Solutio est D. Th. p. p. q. 78. art. 3. in corp. & enitescit ex dictis n. 7.

Contra. Species, quæ est in medio est ejusdem rationis, adeoque ejusdem immaterialitatis cum illa, quæ erat in ipso objecto: ergo si &c.

Resp. dist. maj. ex parte rei repræsentatæ, transeat, ex parte modi repræsentandi, nego. Solutio elucescit ex ibidem dictis. Dixi *transeat*, quia cùm idem accidens nequeat transire de subjecto in subjectum, objectum producit speciem in parte aeris sibi contigui, & ista aliam in alia parte, & sic succedaneè.

Et licèt medium non tribuat immaterialitatem speciei, tamen est quid requisitum, ut aliquid materialitatis species deponat, sicut aqua per terræ meatus fluens crassitiem amittit. Sanè objectum meliùs videri proportionata in distantia inficiabitur nemo.

10. Arg. 4. ad idem nonnullis experientiis. Primò oculus dum fortiter premitur percipit fulgorem intra, & non extra se existentem, cùm id contingat etiam in tenebris. 2. Auditus percipit sonum quando digito auriculæ os premitur. 3. Odor acutus adusque penetrat membranas, imo & cerebrum. 4. Lingua febricitantis percipit humorem amarum, quo est affecta, ob idque & dulcia ei videntur amara. 5. Si Caro, aut nervus, sive sensorium pungatur vehementi afficimur dolore; & sentitur sensibilis qualitas si immediatè carni superponatur: ergo &c.

Resp. ad 1. quòd oculus dum premitur mittit extra se lumen aliquod, ut palam est de animalibus quibusdam, ut de fele, &c. è quorum oculis quidam mittuntur radii, qui noctis tempore cernuntur.

Ad 2. dicimus, quòd auditus percipit sonum, non intra se factum, sed receptum quodam in aere incluso intra cavitates auriculæ prope auditus sensorium.

Ad 3. dicimus, quòd odoratus non percipit sonum hærentem sensorio, sed illam percipit odoris partem, quæ immediatè succedit in parte aeris immediatè succedaneo. Cujus signum est, quòd animal nisi anhelitum edat attrahendo aerem, non percipit odorem.

Ad 4. nego suppositum. Non enim lingua, & caro sunt gustus, & tactus organum, sed medium internum, sensorium autem est nervus. Quòd si dum nervus pungitur, dolor sentitur, dico quòd dolor percipitur non in parte illa, sed in alia illi immediata. Quòd si totus occupetur sensus, nullatenus sentiet, sed obstupescet organum, & sensus.

Quæ ex re habes, quòd licèt omnes sensus indigeant medio; non tamen eodem modo. Visus namque, auditus, & odoratus indigent medio externo, puta aere, aqua, &c. Gustus, & tactus indigent interno medio, quod est pars animalis, nimirum caro. Eapropter quando S. Th. dicit, quòd sensibilia quædam contingunt organum secundùm suum esse materiale, sicut in gustu, & tactu, non intendit denegare medium internum, sed externum duntaxat vult respuere medium.

QUÆSTIO SEXTA.

De sensibus externis in particulari, Et Primò De Visu.

PUlchra, & efficax ratio quinque distinguendi exteriores sensus videri apud S. Th. p. p. q 78. art. 3. potest, ubi & nonnulla argumenta luculenter solvit.

De Oculi compositione lege Goudin.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo sita lucis quidditas sit.

§. I.

1. DUplici definitur Definitione lux. Primò ut pertinet ad ordinem essendi à D. Th. hic lect. 14 quòd sit *qualitas activa corporis cœlestis*. Et definitur per corpus cœleste tanquam per subjectum principalius, & excellentius. 2. ut pertinet ad ordinem visibilium definitur, quòd sit *actus diaphani, ut diaphanum est*. Quæ definitio datur per subjectum formatum, & non informe, ut q. 1. art. 1. concludendo Animæ definitionem vidimus.

Non autem lux est substantialis forma, quia (ut inquit S. Th p. p. q 67. art. 3) impossibile est, id quod est forma substantialis in uno, esse formam accidentalem in alio, quia formæ substantiali per se convenit dare speciem; sed lux est accidentalis aeri, secùs luce recedente corrumperetur aer: ergo &c.

Est itaque de prædicamento qualitatis, imò de tertia specie qualitatis. Quod luculentius elucescet à sufficienti divisione sequentibus §§. & præsertim §. 6. probando, quòd non sit corpus, ac ostendendo non esse corpuscula.

§. II.

Lucis quidditas non est illa, quæ Cartesio placet.

2. CArtesius, ut retulimus 1. Phys. q. 1. art. unico §. 10. docet, lumen consistere in ea tendentia, quam habent partes corporis luminosi ad recessum ab illius centro, sive, quod idem est, à centro vorticis, in quo volvuntur.

Quia tamen corpora omnia quæ in orbem aguntur, hoc ipso conituntur ad recessum à centro sui motus, ut Cartesius putat, probatque nonnullis experimentis, idcircò hinc deducit, omnes particulas materiei subtilis Solem componentis (idem intelligit de aliis corporibus suapte natura fulgentibus) incessanter coniti, seu propendere, & conari ad recessum à proprio centro, in quo volvuntur. Et quia vortex Solis suo motu secum trahit totam illam materiam globulosam existentem in toto spatio Solem inter, & oculos; idcircò tota illa materia globulosa circumacta eandem habet tendentiam, quam subtilis materia Solis ad recessum à centro sui motus, nempe à centro Solaris vorticis; hacque sua tendentia afficiens, & movens oculos causat visionem.

Ex quo liquet, prædictam tendentiam, quam habet tota illa materia globulosa circumacta ad recessum à centro Solaris vorticis, esse ipsam actionem illuminationis, & lucis, cujus radii concurrentes ad visionem haud aliud esse poterunt, quàm intelligibiles quædam lineales tendentiæ, sive quædam lineæ, per quas prædicta tendentia exercetur; quæ quidem, ut Cartesius docet, exercetur per lineas rectas à centro ad circumferentiam eædemque communiter vocitantur radii, sive secantes, seu, quod idem est, Semidiametri.

Paucis verbis Cartesius, vult p. 3. princip. phil. art. 51.

omne quodcunque in Orbem agitur, quantum in se est, à centro sui motus recedere, deinde art. 63. statuit, quòd vis luminis, non in motu consistat, sed duntaxat in pressione, sive prima præparatione ad motum, tametsi fortè motus ipse non sequatur. Demum art 64. audet dicere, quòd hæc omnia ita evenirent, quamvis Solis corpus foret purum spatium imaginarium. Ut namque 4. Phys. vidimus, Cartesius vult, spatia imaginaria esse quid reale positivum. At quomodo hæc tum evenirent minimè explicat.

Hæc omnia refutat Saguens duplici assertione, quarum prima talis est.

§. III.

Nulla est naturæ lex, secundùm quam corpora in Orbem acta, conantantur recedere à centro sui motus per secantes.

3. PRobat Saguens 1. sic. Corpora, quæ in Orbem aguntur vel componuntur ex partibus cohærentibus, ac intertextis, ut sunt V. G. in globo æneo; vel ex partibus adhærentibus duntaxat, & contiguis, ut in mole V. G. sabulosa arenulis coagmentata videre est; atqui nulla est naturæ lex, secundùm quam sive illa, sive ista in Orbem acta sic conantur: ergo &c. Minorem probat, & 1. quò ad p. p. Concipiatur globus æneus, qui duas inter cuspides torni intra ipsum obfirmatas velocissimè concitetur, & in Orbem agatur, tum in eo globo nulla concipi potest vis, qua concitatur ad recessum à centro sui motus per secantes. Nam nullus hujuscemodi connisus fieri potest, nisi partes, quæ ad centrum sunt, plùs solito impellendo premant eas partes, quæ sunt ad circumferentiam; sed has illæ plus solito premere non possunt, nisi illæ recederant à centro, à quo tamen non secedunt ob soliditatem totius globi; ergo &c.

Addit, quòd in centro illius globi non est, nisi una pars ejusdem globi: si ergo dum circumagitur daretur prædicta pressio partium, quæ sunt ad circumferentiam, necesse foret, ut exordium haberet ab illa una parte, quæ est in centro; sed hæc non potest premere eas omnes, à quibus ambitur; hoc enim esset simul, & semel tendere ad diversa loca: ergo in globo illo æneo quamvis velocissimè in Orbem acto nulla datur pressio partium, sine qua esse non potest connisus ille, seu tendentia ad recessum à centro motus per secantes.

Nec obest, quòd hic globus validè circumactus, si non fuerint cuspides torni benè intra ipsum obfirmatæ, dissiliat; Nam hoc provenit ex inæqualitate impetus impressi. Imò si vera esset opinio Cartesii nunquam contingeret dissilire; nam omnes partes in Orbem actæ æqualiter tenderent ad recessum à centro motus; ergo non posset globus potiùs in hanc, quàm alteram in partem dissilire.

Secundò. Quò ad 2. p. Hujuscemodi corpora si ponantur supra laminam horizontalem validè circumactam, patiuntur quidem suarum partium dissociationem, atque ita recessum à centro sui motus, ut si V. G super prædictam laminam posueris pugillum arenæ, circumagendo laminam, arenæ granula dissilient è rota. Cæterum ex hoc dissultu, falsa convincitur Cartesii sententia: non enim dissiliunt per lineam secantem, sed per tangentem circuli, supra quem volvebantur: ergo in illis granulis nulla præfuit tendentia ad recessum à centro sui motus per lineas secantes; alioquin quando ad extremum marginem laminæ circumactæ perveniunt, atque ita liberam habent facultatem dissiliendi rectè per secantes, non dissilirent per tangentes, mutato conatu, & tendentia. Si quæ ergo in corporibus actis in Orbem foret tendentia, &c. Ea utique non esset per secantes, ut Cartesius vult, sed potiùs per tangentes.

4. Ratiocinium aliud tale producit. Si quæ foret in corporibus circumactis tendentia, seu connisus ad recedendum à centro sui motus per secantes, illa progigni deberet in ipsis à motu à quo circumaguntur; priusquam enim circumagantur, nullam habet talem tendentiam seu connisum, & propensionem: atqui ab eo motu in ipsis progigni non potest: ergo nulla est &c. Min. probat tripliciter. Et

Primò, quia tendentia ad recedendum à centro sui motus per secantes est tendentia ad motum rectum; sed hæc, sicut nec motus rectus progigni nequit à motu circulari: ergo &c. Hinc videmus, quòd rota validè circumacta, secum in gyrum abripit aerem ambientem, festucasque, & pennas intra ipsum aerem volitantes: quas tamen longè deberet abjicere, si eas compelleret ad recessum à centro sui motus.

Secundò, quia unum, & idem mobile ex naturali aliqua lege motus quo circumagitur, nequit habere tendentiam ad alium motum, incompossibilem; natura enim nihil frustrancum, atque ita nullum impossibile molitur: sed recessus à centro motus est incompossibilis cum ipso motu circulari, per hunc enim motum mobile constanter eandem servat distantiam ab eodem centro; ergo ab eo motu, à quo circumaguntur corpora, in ipsis progigni non potest ea tendentia, &c.

Tertiò, quia Cartesius in rebus creatis corporeis nullum admittit principium intrinsecum motus; ergo intelligi non potest, quomodo corpora in Orbem acta habeant propensionem ad motum recessus à proprio centro, nisi intelligatur, talem propensionem esse extrinsecam in hoc sensu, quod partes eorundem corporum alias urgeant, & compellant à centro ad circumferentiam; At hoc modo partes, quæ sunt in centro haberent ex seipsis propensionem illam ad motum recessus (quod sanè est habere principium intrinsecum motus) non enim darentur aliæ partes, à quibus istæ existens in centro possent propelli ad recessum à centro, aut inclinari ad illum: ergo &c.

Et ex his infert, sufficienter deprehendi, quòd in illa materia subtili circumacta, ex qua Cartesius asserit, componi Solem, nullus esse potest conatus recedendi à centro sui motus: ac proinde nulla foret lux Solis Cartesiani.

Addit, quòd cùm ea materia subtilis, quæ vorticem solarem efficit, nullum aliud repagulum habeat, quàm globulorum ambientium, quos suo motu secum abripit, hoc repagulum impedire non posset, quin illa materia subtilis satiet suum conatum, & suam propensionem, quam habet recedendi à centro sui vorticis; etsi recedit, hoc utique non facit, nisi per tangentes ejusdem vorticis, ut dictum est probando secundam partem majoris syllogismi num. 3. atque ita vel nulla esset lux Solis, vel saltem non esset illa, quæ ad nos pervenit: illa enim, quæ ad nos pervenit, diffunditur per lineas rectas à centro: ergo &c.

§. IV.

Cartesii argumentationes solvuntur.

5. OBjicit Saguens primo ex Cartesio experimentum lapidis rotati in funda, cujus habenas lapis ille eo magis distendit, quo velociùs rotatur. Quo experimento supposito sic in forma. Lapis ille distendit magis, ac magis habenas fundæ propter motum, quo rotatur; sed distendendo illas recedit magis, ac magis à centro sui vorticis per secantes: ergo propter motum, quo rotatur, recedit magis, ac magis per secantes à centro sui vorticis. Min. patet. Nam sumendo fundam in eo statu, in quo habet habenas magis distentas, tunc est major distantia inter centrum rotationis, & lapidem; quæ distantia sicut mensuratur per secantes, ita per secantes augetur. Consequentia benè deducitur cum Cartesio, eam dari naturæ legem, &c.

Responderi ad hoc primodùm posset, id provenire, non quia contendat recedere à centro proprii vorticis, sed quia, ut 7. Phys. q. unica in appendice posita post art. unicum ad objectionem, scripsi projecta in medio magis, quàm in principio moventur, eò quòd una pars aeris concitat aliam. Vid ibi.

Respondet etiam Saguens, majorem illam distensionem habenarum fundæ provenire ex eo, quòd lineæ secantes, in quarum puncto extremo lapis ille reperitur, sunt longiores, quàm forent ante distensionem. Ob idque negat min. Imò addit, quòd lapis ille laxata funda, liberam adeptus facultatem evadi per viam suæ propensionis, non evadit per secantem, sed per aliquam tangentem ultimæ rotationis.

6. Objicit 2. ex Cartesio experimentum aliud globuli meabilis intra tubum rotatum. Si enim intra hujusmodi tubum prædictus immittatur globus, & circumagatur tubus, globulus ille paulatim recedet à centro sui motus per tubum, adeo ut ex tubo dissiliat.

At responderi ad hoc posset sicut ad præcedens in 1. resp.

Præterea Saguens observat, recessum esse per secantes ex im-

et impedimento tubi, quia iste est factus ad modum tangentis, non ex natura talis motus, secùs talem recessum per secantes servaret etiam postquam cùm primam esset liber extra tubum. At tunc per tangentes recedit propulsus ab eodem concitante.

Ad exemplum quoddam, quo utebatur Cartesius de formica, quæ intra tubum se moveret, dum tubus in orbem ageretur, ut suum præfatum explicaret experimentum; respondet idem Saguens, ad nihil valere, quia formica, habet motum spontaneum, quo contra vim rotationis potest conari.

§. V.

Conatus ille tametsi Cartesio concederetur foret tam inutilis, tum insufficiens ad actionem lucis explicandam, tametsi communicatus globulis ambientibus, & circumactis.

7. PRobat Saguens 1. sic. Ad actionem lucis explicandam necessarius est ex parte lucis aliquis motus: ergo ad eam explicandam inutilis est purus ille ad motum conatus. Ant. constat, quia lux non aliter potest afficere oculum, quàm movendo, cùm omnis actio corporea sit cum motu; & aliundè lux nisi moveat relinquet omnino eum in eodem statu indeterminatum ad visionem. Eò vel maximè quòd omnis nova visio est immutatio quædam facta in oculo; omnis autem mutatio supponit motum tanquam causam, à qua producitur. Prima conseq. prob. Conatus ad motum quandiu nil aliud est, nisi conatus, non est motus; imò est quies, ut faciliè intelligi potest ex mola fune suspensa, quæ non obstante illa intrinseca propensione, sive conatu ad tendendum deorsum, adhuc tamen non movetur, sed quiescit: ergo si &c.

8. Probat 2. Paritate actionis lucis, quæ splendet in flamma, Carbone ignito, Candela, &c. quæ proportionali quodam modo se habet, ac illa solis. At Cartesius explicans quomodo candela ardeat, & alia, quæ ad illius flammam lucentem attinent, nullius vorticis meminit, nullosque conatus &c. ut videre est apud ipsum princip. Phil. p. 4. art. 95. Et sanè lux flammæ, carbonis igniti, candelæ, &c. præter actionem lucendi, aliam nempe urendi habet; ad ustionem autem, juxta Cartesium, cæterosve atomistas ita necessaria est intromissio alicujus spirituosæ substantiæ dissociantis partes rei, quæ uritur, ut quævis alia compulsio, atque tendentia, vel conatus esset ad hunc effectum inepta.

§. VI.

Ejusdem Cartesii cæteræ solvuntur argumentationes.

9. OBjicit sibi Saguens 1. experimentum cæci, qui solo usu sui scipionis optimè discernit lapidem à luto, lutum ab aqua, &c. lapide sese dignoscibilem exhibente cæco per eam solam actionem, qua baculo resistit; sed actio illa nullum importat motum in lapide: ergo etiam Sol sine ullo motu potest se visibilem exhibere per solam actionem tendendi, sive per eum conatum, quo materia subtilis componens solarem vorticem tendit ad recessum à centro sui motus, & efficit, ut ad eum recessum similiter tendant omnes globuli ambientes, qui eodem motu rapiuntur.

Idipsum etiam probat aliud experimentum familiarius de omni liquido, quod ad foraminulum vasis, in quo continetur instat, atque urget per eam solam tendentiam, qua deorsum vergit: sicut etiam accidit musto (& est exemplum Cartesii) quod ex uvis in lacu pressis extrahitur. His quippe exemplis intelligi potest, quod eo modo, quo liquida per suam tendentiam premunt fundum vasis, & vasis latera in omnem partem, ita similiter materia solaris premit globulos secundi elementi circumactos, & isti premunt oculos, tali utique pressione, quæ est actio lucis. Exempla de Cæco, & musto fusiùs persequitur Cartesius cap. 1. Dioptrices.

Respondet Saguens, Cæcum discernere lapidem à luto, &c. non per solam resistentiam, quam lapis scipioni ejus opponit, sed præterea opus ei esse judicio, quo agnoscat, corpus illud, quod suo baculo tangit, ideo non esse lutum, sed lapidem, quia resistit tactui. At verò in casu visionis objectum sese offert oculo perceptibile, ac percipitur independenter ab ullo usu judicii: Undè necesse est, ut objectum moveat potentiam; quòd utique contingere non potest per solum conatum tendendi in eandem potentiam, alioquin quies moveret; quod apertissimè est contra notionem quietis.

Liquida verò omnia, etiam permisso, quòd premerent fundum Vasis, & latera omnia, ubi continentur: at ea pressione nec illud movent, nec ista, sed utrumque relinquunt in sua quiete: ergo à pari &c.

10. Objicit sibi 2. experimentum soni, cujus propagatio talis est, ut ad aures non perveniat aer, qui inter V. G. æs campanum, malleumque illisus fuit; sed hic aer proximiorem commovet, & hic alium, donec ille, qui in aure est eam feriat, non tam motu accepto, quàm conatu ad motum. Ubi maximè observanda occurrit mirabilis illa varietas sonorum, atque etiam ex partibus oppositis prodeuntium, quos aer in se suscipit, transfertque simul, ac semel ad auris tympanum; suscipere verò, ac transferre non posset, nisi illi potiùs consisterent in multiplici conatu ad motum, quàm in motu multiplici; quia non potest unum, & idem mobile motus oppositos simul admittere: ergo quid vetat similiter propugnari etiam in omnem partem à Sole usque ad oculum conatum illum, quo materia vorticis solaris tendit ad recessum ab ejus centro? In quo casu non opus erit luce, quæ à Sole perveniat ad oculum: sicut ad propagationem soni non opus est aere, qui à corpore sonoro ad aerem veniat, aderitque illud commodum, quòd facillimè explicabitur hac methodo promptissima illa, ac repentina propagatio lucis, de qua deinde disputabitur.

Argumentum hoc nihil adversos Peripateticos urget. Isti namque negabunt suppositum, nimirum quod auditio fiat per hoc, quod aer aurem feriat, cùm dicant fieri mediis speciebus.

Respondet autem Saguens, illisionem illam aeris, quæ fit inter æs campanum V. G. & malleum non contingere sine motu, qui potest communicari parti proximiori, & ab hac alteri, & ita transferri ad aurem, eo modo, quo objiciens autumat de conatu ad motum. Duo alia adhibet responsa, quæ brevitati studens omitto.

Nonnulla alia de hoc vide apud nostrum Goudin tom. 2. Phys. part. 1. disp. 1. q. 1. quæ est de principiis entis naturalis art. 4. §. 4 Licèt Typographi lapsu sit signatus §. 2. Item nonnulla apud Guerinois hic.

§. VII.

Lux non est sita in corpusculorum defluxu, ut reliquis Atomistis placet.

11. PRobatur 1. Tum quia, ut §. 9. videbimus illuminatio fit in instanti; sed si lux esset corpus, illuminatio foret motus localis, qui nequit fieri in instanti, cùm debeat præterire medium modo quantitativo, in toto hemisphærio: ergo lux non est corpus. Tum quia duo corpora, saltem naturaliter nequeunt esse in eodem loco; sed lux est in eodem loco cum corpore illuminato: ergo &c.

Ad hoc secundum respondent Atomistæ, & præsertim Saguens, quod lumen subintrat poros aeris, non minùs, & imò magis, quàm aqua poros spongiæ.

Verùm enim verò responsum hoc nemine impellente corruit, Tum quia non tantùm pori aeri sunt illuminati, verùm & totus aer: ergo & cum ipso simul deberet ubique esse lumen. Tum quia sequeretur, quòd de die postquam corpuscula omnes deplevissent aeris poros, deberet esse summopere durus; quod non currit de spongia, quæ cum non totum occupet hemisphærium, dum premitur non est adeo dura, quia aquam per aerem emittit.

12. Prob. 2. Si à Sole tot exirent corpuscula, minueretur, magnumque subiret detrimentum, ac tandem penitùs deficeret; cum tamen semper integer perseveret.

Tribus modis respondet Saguens, duobus nimirum in sua Philosophia Malgnani tom 4. disp. 17. art. 2. assertione 2. num. 28. Et alio modo in suo Systemate Eucharistico.

Primus itaque ejus respondendi modus est, Solem non minui, quia postquam ea emisit corpuscula, iterum ea ad se revocat: sicut Mare non minuitur ex continua aquarum emissione in fontes, & flumina, quia istas ad se revocat vel

per flumina, vel resolutas in vapores, & postea in aquam, & nivem. Sed

Contra est. Et primitèr si corpus luminosum revocaret ad se corpuscula sequeretur, candelam etiam absumpta cera nunquam extingui, imò nunquam ceram absumi; quia ad se revocaret corpuscula emissa. Præterea debebat Saguens modum assignare quonam Sol illa ad se revocar corpuscula; quemadmodum assignavit modum, quo Mare ad se aquas revocat, ni velit, quòd tympano, vel tuba ad se revocet, receptui signum dando, quemadmodum solent coadunari, vel revocari milites. Insuper quando Sol est in occidente quomodo poterit tam brevi, dum occidit, ad se revocare corpuscula, quæ profundas in valles, atque cavernas non nisi plures post horas circa meridiem potuerunt pervenire? Eò vel maximè quòd ipse tenet, illuminationem non fieri in instanti.

Nec cum eodem suo in Systemate Eucharistico part. 1. Dialogo 5. n. 26. dicere juverit, quòd Sol emittit corpuscula, non ad oculos usque nostros, sed in aere prope se, & postea ista movent motione illuminativa aerem usque ad oculos nostros. Non, inquam. Assignare siquidem ipse debuisset, quomodo ista fiat actio illuminativa, num nimirum per qualitatum generationem. Et sic Peripatetici habebunt intentum. An verò per corpusculorum emissionem. Et sic idem, quod priùs.

Demum postquam cubiculum est summè illuminatum claudantur fenestræ, & janua; tunc corpuscula illa utpotè nondum à Sole revocata remanent ibi, nec destruuntur, quoniam, Atomistarum hærendo principiis, atomi sunt ingenerabiles, & incorruptibiles. Itaque cubiculum cur illuminatum non perseverat?

Hanc prævidit molestiam Sanguens, ob idque dicit, quòd corpuscula, ut luceant, indigent moveri.

Eapropter suo in Systemate Eucharistico Dialogo 5. p. p. n. 26. citato non ultra recurrit ad hoc, quod Sol ad se corpuscula revocet, sed dicit, quòd corpuscula illa, quæ primò emisit Sol ab origine mundi, semper in aere remanent, nec nova emittit. Et quando ab eo petitur, cur illa corpuscula non luceant noctis tempore, si in aere adsunt. Respondet, ideo non lucere tunc, quia non moventur à Sole, sicut ab eo moventur motu ordinato, dum ipse Sol in nostro extat Hemisphærio.

At quis non videat, hoc esse merum, & malum effugium. Quandoquidem primitùs assignet, quomodo motus facit lucere. Præterea saltem moverentur à Luna; & tamen Lunæ occurrente Eclipsi licèt moveatur Luna, nihil lucis nobis suppeditatur. Insuper corpuscula illa non sunt simul unita, ut dum concitantur ea, quæ sunt Soli proximiora, ista concitent alia, & sic succedaneè, sed disgregata sunt, & intra poros aeris locata: nec aer est corpus aliquod solidum, ut una pars mota moveat omnes: Nec totus aer continetur in concavo Solis, ut totus moveri simul queat, sicut ignis in Orbis Lunæ concavo residens circulariter movetur.

Alius dicendi modus Atomistarum est, quòd comparativè ad Solis molem corpuscula illa res modica sunt, & parum pro nihilo reputatur.

At solutio quoque ista infirma est. Siquidem, permisso etiam, corpuscula illa pro una duntaxat vice emissa essent ita quid exiguum; attamen tot per sæcula quotidie emissa nequit negari, quòd quid magnum, ac maximum foret, proindeque notabile, ac notabilissimum Solis detrimentum.

§. VIII.

Solvuntur objectiones Joannis Saguens.

13. Objicit 1. Saguens. Lux plures effectus corporeos sortitur: ergo est corpus, sive corpuscula. Ant. est apertum; calefacit enim, &c.

Resp. nego conseq. Sufficit namque, esse corpoream, sive corpus *ut quo*, ut omnes sunt qualitates corporeæ; vel eminenter.

Sed pleniori pro notione operæ pretium erit subdere dubium quoddam inter Peripateticos familiare, nimirum num lux sit qualitas naturalis, vel intentionalis?

Circa quod Scotus, D. Bonav. Ægidius, & Durandus tenent, esse qualitatem purè intentionalem. At hoc sustineri minimè potest, secus non posset constituere aerem lucidum, quemadmodum color quia purum intentionale habet esse in aere per sui speciem, non constituit aerem coloratum. Eò vel maximè, quòd effectus habet naturales, ut calefacere, aliosque influxus in sublunaria, ut in lib. de Cœlo vidimus.

Alii, ut compl. Io: S. Thom. & Guerinois hìc §. 7. sentire videntur, quòd habeat purum esse naturale. Ac neque hoc propugnari potest. Etenim lux quamquam ad hoc, ut videatur ut *quod* indigeat propria specie, tamen quatenus est id quo aliud videtur, seu ratio formalis *sub qua* immediatè per seipsam, & non mediante alia specie actuat potentiam. Quod esse haud posset, nisi haberet esse intentionale. Quæ sententia probabilis est valde.

Satiùs tamen videtur cum Cajet. Bannez. & Arnù, quod formaliter habet esse intentionale; virtualiter verò habet esse naturale, vel è contra. Nec hoc est mirum. Videmus namque quòd vinum, piper &c. est virtualiter, tametsi non formaliter calidus. Imò, ut præfati Authores dicunt, habet eminenter esse naturale, proportionali quodam modo, quo Sol est eminenter, licèt non formaliter calidus. Nec est eadem ratio de colore habente esse intentionale in aere. Non, inquam, eò quòd lux ceu qualitas perfectior, & superior, est quoque eminens, non verò color, qui idcircò non constituit aerem coloratum.

14. Objicit 2. Si lux non esset corpuscula, & foret forma accidentalis, non esset modò minor, modò major, quia non susciperet magis, & minùs, ut de forma substantiali dicunt Peripatetici, quod sit tota simul.

Resp. ad hoc satis patere ex dictis lib 1. de Gener. & Corrup. q. 5. in Præloquio *dico primo*, ubi vidimus discrimen, propter quod forma substantialis non admittit intensionem, & remissionem, benè verò forma aliqua accidentalis.

15. Objicit 3. experimentum, quod primò loco ille adduxerat. Radii Solares V. G. intromissi per fenestræ foramen occlusæ in cubiculum aliàs obscurum, procedunt per lineam rectam; si autem essent forma accidentalis, & non corpuscula procederet per lineam sphæricam, quia etiam in aere ad latera existente produceret qualitatem lucis, cùm & partes aeris sibi proximas ad latera existentis tangat.

Resp. quòd per se loquendo procederet per lineam sphæricam; at per accidens non ita procedit educendo lucem ex partibus aeris ad latera existentis; quia tangendo corpus opacum fenestræ in illo aere intra foramen existentis, fuit ab illo corpore opaco valdè virtus ejus attenuata ad latera. Vel quia lux illa cùm sit modica procedit magis unita, ut nonnihil fortior evadat, virtus enim unita fortior.

16. Objicit 4. & ult. adversus ratiocinationem nostram positam n. 12. exemplum rei odorosæ, quæ non minuitur emittendo corpuscula.

At mirum est, quòd tam claram in principii petitionem labi potuerit. Quod namque de luce, dicimus & de odore, nimirum quòd sit qualitas, & quod corpus odorosum minueretur, si corpuscula emitteret.

§. IX.

Lux est Qualitas.

17. Cum ea dictis lux non sit forma substantialis ut §. 1. nec conatus ad motum ut à §. 2. usque ad 5. nec corpuscula ut §§. præcedentibus 6. & 7. visum est, reliquum est, quòd sit accidentalis forma, nimirum qualitas, cùm aliàs exploratum sit, non esse relationem nec quantitatem, nec &c.

Nonnullæ tamen occurrunt objectiones solvendæ.

Objicit ergo Saguens 1. Si lux esset qualitas, sequeretur, omnia corpora esse æqualiter diaphana; sed propugnari hoc minimè potest de ferro, &c. ergo &c. Prob. maj. Lux omnes illuminaret etiam interiores cujuslibet corporis partes; sed corpus, quod sic à luce illuminatur est diaphanum: ergo &c. Prob. min. Tum quia lux nullum habet contrarium obstans illius generationi juxta Peripateticos; Tum quia lux, Peripateticè loquendo, est suis in subjectis penetrativo quodam modo.

Resp. nego sequelam. Ad prob. nego maj. ad cujus prob. dist. ant. non habet contrarium propriè, concedo, impropriè, nego ant. & conseq. Quamquam etenim ei non contrarietur qualitas aliqua, sicut calori contrariatur frigus, sed oppositionem duntaxat privativam exerceat cum tenebris; tamen habet contrarium latissimè, nimi-

nimirum incapacitatem subjecti, quia subjecta lucis capacia sunt quædam duntaxat corpora subtilia, ut aqua, aer, & ignis, vel alia mixta, in quibus notabiliter aer, aqua prædominantur vel ignis. Cætera verò corpora, quæ subtilia non sunt, sunt lucis capacia solummodo suprema in superficie ratione alterius corporis subtilis hærentis ejus superficiei, nimirum ratione aeris, &c. Sanè nec intellectio, visio, volitio, &c. habent contrarium; & tamen nequeunt poni in lapide, ferro, &c. quia ista sunt haud capacia subjecta.

Nec mirum sit, quòd in Crystallo V.G. vitro, &c. prædominetur aqua, vel aer secundùm diaphaneitatem, licèt in eorum aliquo prædominaretur terra secundùm gravitatem. Non, inquam, quia etiam in Homine prædominatur, quòad gravitatem terra, & quoad calorem prædominatur ignis. Sed meliùs dicas, esse gravitatem aquæ eis prædominantis cum aere; aqua autem est diaphana.

Et animadverte, quòd Crystallus, vitrum, &c. dum liquefiunt, suam non amittunt diaphaneitatem. Quod autem tunc res trans ea positæ non cernantur, non est, quia diaphana non sint, sed quia cùm summo ignis calore fiant liquata, per illum calorem tanto impetu agitantur, ut refracto hinc inde motu, species summopere refractæ, ac confusæ evadant. Quod etiam evenit in aqua vehementer serventi, vel huc illinc in vase commota.

Per quod habes ad 2. Qualitates siquidem sunt modo penetrativo in subjectis capacibus. Sanè hoc arg. vel de corpusculis ipsis militat, quæ, Atomisticè loquendo, etiam intimarum partium poros subeunt.

18. Objicit 2. Si lux foret qualitas, sequeretur, totum aerem, qui terram ambit, perpetuò, ac constanter luce Solis illustrari, sicque sine vicissitudine dierum, & noctium ubique læta dies jugiter clarescceret; at hoc falsum est: ergo &c. Prob. ant. Si una pars aeris illuminat aliam sibi proximiorem, & alia aliam, &c. jam cùm aer unius Hemisphærii sit aeri alterius Hemisphærii contiguus, jam quando ultima Hemisphærii pars esset illuminata posset hæc illuminare primam partem alterius Hemisphærii, & ista secundam, secunda tertiam, & sic successivè ad ultimam usque: ergo &c. Eò vel maximè, quòd lux non habet contrarium obsistens ejus generationi.

Si respondeas confugiendo ad corporis luminosi absentiam.

Contra expurgit Saguens, Tum quia dum Sol est sub horizonte, est adhoc nobis absens; & tamen lux jam in aere conspicitur. Tum quia tametsi Sol absens sit, lux destrui nequaquam posset, quia non habet contrarium, quo corrumpatur. Ex quo etiam infert, aerem fore perpetuò lucidum, & nunquam obscurari.

Resp. bene ibi. Ad 1. oppugnationem Resp. quòd per corporis luminosi præsentiam non intendimus totalem approximationem, sed tantam approximationem, ut sit in tali proportionata distantia, quæ sufficiat, ut influat. Sol autem dum adhoc sub horizonte latet, est in modica distantia à nostro hemisphærio.

Ad 2. dist. quo corrumpatur formaliter, concedo, exeffectivè, nego. Qualitas itaque quamvis formaliter loquendo destruatur per contrariam qualitatem; tamen si habet esse in subjecto vialiter & transiens seu debiliter, in quo radicem non habet, ut lux extra corpus luminosum, destruitur exeffectivè per semotionem causæ efficientis. Potest etiam interdum destrui per accidens sinè ullo contrario ex amotione subjecti, ut si destrueretur aer, in quo est lux.

19. Alia quædam de luce vide apud Guerinois in lib. de Gener. par. 3. Philos. q. 5. art. 3. §. 4. & seqq.

§. X.

Illuminatio fit in instanti.

20. PRob. quotidiano experimento, non tantùm Solis, verùm & candelæ, lucernæ, &c. quæ illicò, eodemque in instanti, quo cubiculum attingit illuminat illud: ergo &c. Præsertim principiis hærendo Atomistarum, qui nihil certi excipiunt, quod sensu non comprobetur.

Prob. præterea sic. Instans est duratio indivisibilis; sed corpus luminosum illuminat duratione indivisibili: ergo &c. Prob. min. Duratio illa indivisibilis est, & instans, qua excogitari minor non potest; sed corpus luminosum illuminat duratione, qua minor excogitari non valet: ergo &c. Min. patescit, quoniam non est assignabilis alia minor, nec unquam minorem assignabit Saguens.

21. Objicit Saguens 1. In uno, eodemque instanti nequit dari prius, & posterius, secùs non foret indivisibile; sed in illuminatione datur prius, & posterius: ergo luminis propagatio non fit in instanti. Prob. min. Priùs generatur lux in aere propiori corpori luminoso, quàm ea, quæ est in aere proximo oculis nostris: ergo &c.

Resp. dist. maj. prioritate, & posterioritate temporis, & in quo, concedo, naturæ, & à quo, nego maj. & distincta min. nego conseq. Hanc explicuimus in anteprædicamentis exemplo essentiæ, quæ est causa suarum proprietatum, imò & proprietates ipsæ ordine quodam prioris, & posterioris inter se causantur, utputa, prius discursivum, deinde admirativum, postremò risibile, in Homine; & tamen simul non, eodemque in instanti *in quo* sunt simul essentia, omnesque proprietates. In uno siquidem, eodemque instanti *in quo*, plura, imò & propemodum infinita esse possunt instantia naturæ, & *à quo*.

Dices. Illuminatio, vel est motus localis, vel alterativus, sed neuter ex his fit in instanti: ergo &c.

Resp. neutrum esse, sed esse mutationem, & quidem magna saltem ex parte intentionalem.

Oppugnabis. Et est secunda objectio ejusdem Saguens. Mutatio ista non fit in instanti: ergo &c. Prob. ant. Lux de majori fit minor; sed hoc nequit fieri in instanti, ut patet cùm quantitas de majori fit minor: ergo &c. Prob. maj. Etenim lux, quæ est propè Solem est intensior ea, quæ est propè oculos nostros.

Resp. nego ant. Ad prob primitèr, nego ant. & ad ejus prob. dico, quòd non est eadem numero lux, sed quæ gignitur propè oculos nostros est alia numero, cùm idem numero accidens nequeat de subjecto in subjectum pergere, adeoque nec de una ad aliam aeris partem. Præterea permissa maj. nego min. nisi alterativa sit mutatio, vel alterativam supponat mutationem, quam præsupponit quantitatis diminutio, nimirum partialis substantiæ corruptionem, ad quam alterativæ qualitates disponunt. Ultra quod etiam quantitatis diminutio fit in instanti, licèt dispositiones ad illam non ponantur in instanti.

22. Objicit ulterius Saguens. Lumen multoties reflectitur, & refrangitur & tunc dicuntur radii refracti; sed refractio ista supponit priùs alterius resistentiam: ergo luminis propagatio non fit in instanti.

Resp. quòd illuminatio fit in instanti per se loquendo, nimirum nisi adsit obstaculum vel retardans, vel prohibens. Et præcipuè in casu adducto à Saguens sat est ad nostrum intentum, quòd tunc fiat refractio in instanti.

Et adnota, quòd refractio ista non fit, nisi corpus habeat aliqualem saltem opacitatem, ut vitrum, &c. Ob idque in aere haud ulla contingit refractio. Si autem opacum penitùs sit, fit resilientia tunc, & non pura refractio.

23. Argumenta alia Joannis Saguens, probantia, lucem habere contrarium, soluta sunt tum hic, tum in Logica Syntag. 4. quæst. 4. art. 2. §. 3.

24. Pro complemento admonitus hoc sis, quòd hæc quatuor, nimirum *lux*, *lumen*, *radius*, & *splendor*, quamquam usurpari pro eodem soleant; tamen nonnihil invicem secernuntur. Dicitur namque *lux* prout est in corpore luminoso à se lucente: *lumen* prout recipitur in illuminato ab alio: *radius* prout per lineam rectam procedit à luminoso corpore: & demum *splendor* quatenus resilit, & reflectitur, cùm refrangitur à subjecto illuminato.

§. XI.

Color est forma accidentalis, nimirum qualitas.

1. SAguens haud constans hic sua in sententia tom. 4. suæ Philos. disp. 57. art. 6. in assertione unica num. 15. ad 2. objectionem, videtur concedere, colorem consistere in modificatione lucis reflexæ, aut refractæ ab objecto, cùm tamen antecedenter art. 4. num. 9. dixerit, colorem consistere in superficiei lenitare, aut asperitate, aut prominentia, ita quòd si est lenis, unum formet colorem; si rudis & aspera alium; si æqualis unum, si eminens alium.

2. Primodùm itaque dico, colores reales distingui essentialiter à luce. Ratio efficax est æquè, ac pulchra, Tum quia dum album æquè, ac nigrum in tenebris distinguitur

album

album à nigro. Tum quia sequeretur, quòd in tenebris ejusdem foret coloris Cygnus, & Corvus, lac, & atramentum. Tum quia lux non habet contrarium; colores autem contrariantur invicem, ut de albo, & nigro perspicuum est. Tum quia color resultat ex luce tanquam causa efficienti. Tum demum quia causatur, non tantùm ex luce, verùm etiam ex opacitate, & perspicuitate.

In hoc Peripatetici universi conveniunt, dempto ex nostris eximio quodam in m. f. qui autumat, colores reales nil aliud esse, quàm lucem ingenitam, & obscuratam. Ad quod citat Cajetanum, & Goudinum, licèt falsò, ut videre est apud eosdem. Fundamentum autem illius est, quia colores apparentes, & transeuntes sunt lux adventitia, & transiens: ergo à pari colores permanentes nil aliud erunt, quàm lux permanens.

Verum enim verò falsitatem penitùs redolet. Tum quia est implicantia in terminis dicere, lucem dum actu est lux esse obscuratam, quemadmodum implicantia contradictionis est dicere, vitam, dum actu est vita, esse mortuam. Tum quia, ut diximus, contrarium lux non habet.

Ad illius arg. Resp. instando. Siquidem ejus in sententia licèt colores permanentes sint vera lux realis, non sequitur, colores apparentes esse lucem apparentem: ergo pariter ex eo, quòd colores apparentes sint lux transiens adventitia non sequitur, quòd colores reales permanentes sint lumen permanens. Discrimen est itaque, quia colores apparentes habent esse duntaxat objectivè, non verò subjectivè.

Idcircò admonitos hoc sis, quòd adstruendo præfatam distinctionem, loquimur de luce, & colore secundùm esse naturale, & entitativum; non verò in esse objecti visibilis. Hoc siquidem modo unum, atque idem visibile objectum constant.

3. Quòd verò color non sit ipsa asperitas, aut lenitas, aut prominentia, aut æqualitas, Probatur. Pro visus objecto assignari aliquid debet, quod ita sit objectum visus, ut non sit objectum alterius sensus, non secùs ac pro objecto auditus assignatus sonus, qui non est alterius sensus objectum, & sic de reliquis sensibus; sed asperitas, lenitas, rigiditas, mollities, prominentia, &c. sunt objectum etiam tactus: ergo nequit in eis consistere color, qui est objectum visus.

Respondebis forsitan, quòd asperitas, aut lenitas, &c. sunt objectum visus, non utcunque considerata, sed ut illuminata. Non sunt autem objectum tactus ut illuminata; adeoque &c. Sed

Contra. Semper verum esset dicere, quòd idem foret constitutivum objecti utriusque sensus: ergo idem foret utriusque objectum. Prob. ant. Idem est constitutivum, & distinctivum; sed idem esset distinctivum objectum utrisque: ergo &c. Prob. min. Ut colores distinguat Saguens confugit ad asperitatem, vel lenitatem, &c. Sed istæ sunt differentiæ objecti tactus, qui distinguit sua objecta per lenitatem, aut asperitatem; ergo &c.

Remanet itaque, quòd color sit qualitas quædam qualificans rem. Si namque interrogeris V. G. quale sit vinum? Respondebis *album, vel rubrum, sive nigrum*, quemadmodum & de qualitatibus ad gustum attinentibus, *dulce, vel generosum*.

4. Objcies 1. ex Saguens probando, quòd color non sit qualitas. Independenter ab omni colore superaddito substantia esset visibilis, & videretur per solam incidentiam luminis: ergo in cassum ponitur color ut qualitas superaddita. Prob. ant. Lumen incidens in substantiam, & resiliens in oculum necessariò faceret aliquam sensationem; sed ista non esset, nisi visio: ergo &c.

Resp. quòd colorem esse realiter à substantia distinctum cuique non infideli ostendimus ex dictis de Sacramento Eucharistiæ. Præterea hoc arg. militat quoque adversus ipsum Saguens. Etiam namque semota à substantia omni lenitate, aut asperitate posset dici, quòd fieret visio, quia adhuc lux incidens in illam substantiam, & resiliens in oculum deberet sensationem aliquam facere.

Itaque ad arg. nego ant. loquendo de videri proximè, & in actu secundo. Posset namque videri duntaxat radicaliter, remotè, & in actu primo videretur. Ad prob nego maj. quam minimè improbatam relinquere debuisset Saguens. Tunc siquidem haud ulla extaret sensatio, nisi ad summum inchoativè, quia non haberetur ratio terminativa talis sensationis, sive visionis: ad eum modum quo si extaret substantia sine quantitate non posset in ea divisio fieri, quamquam in eam impingeret securis, quia indivisibili haberet esse modo. Sic & res illa sine colore invisibili modo.

5. Objicit 2. Saguens. Si color esset qualitas, maximè secundaria causata ex primarum qualitatum temperamento, ut Peripateticus dicit; sed hoc falsum est: ergo &c. Prob. min. Ex hoc sequeretur, omnes colores ejusdem esse speciei, cùm omnia temperamenta ejusdem sint speciei, differentia duntaxat penes magis, & minùs, quatenus in uno prædominatur magis una, quàm alia qualitas, 2. sequeretur, quòd cùm in quolibet individuo unicum sit temperamentum, unicus esset totalis color tum in sanguine, cùm in pituita. &c. 3. sequeretur, quòd in diversis, & oppositis temperamentis, puta sacchato, & arsenico, nive, & calce oppositi haberentur colores. 4. sequeretur, quòd quoties duo corpora unius coloris, ac proinde etiam unius temperamenti invicem commiscerentur, mixtum ex utroque proveniens sicut esset ejusdem temperamenti (duo quippe temperamenta similia nequeunt concurrere ad productionem tertii cujuspiam dissimilis) ita etiam ejusdem esset coloris; sed experimentaliter constat de opposito: plura siquidem usualia apud Pharmacopolas, atque Chymicos liquida unius coloris, aut ad unum colorem sensibilissimè accedentia, si permisceantur, commutantur in tertium valdè dissimilem, ut inter alia paret de duobus illis subalbidis, ex quibus conficitur atramentum, quod Sympathicum vocant nigerrimum. 5. Nam qualitates primæ cùm non sint, nisi tactiles, non est explicabile, quomodo possint gignere qualitatem ad visum efficiendum idoneam generis, ordinisque diversi, adeo ut potiùs assereres, tortuositatem posse gigni ex tenebris. Demum quia non est major ratio, cur color fiat ex calore, quàm quod calor ex colore fiat.

Resp. dist. maj. ex temperamento primarum qualitatum tanquam ex causa materiali, seu quasi materiali, concedo, tanquam ex causa efficienti, aut formali nego maj. & distincta min. nego conseq. Et quidem quòd concursat mixtio primarum qualitatum perspicuum fit ex eo, quod in elementis in eorum centris, ut præsertim palam est in aqua, & aere, nullus est verus color.

Et per hoc nemine impellente omnes corruunt probationes Saguens.

Prima quidem. Etenim qualitates illæ licèt non differant essentialiter; forma tamen unius mixti, quæ ex elementorum permixtione resultavit, & continet virtualiter elementa in suis qualitatibus, ut diximus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q 8. art. 2. est essentialiter diversa à forma illius alterius mixti; à formis autem dimanant colores.

Secunda quoque. Quandoquidem licèt unicum sit temperamentum; tamen dici potest virtualiter multiplex, quatenus forma quæ continet virtualiter elementa, est virtualiter multiplex, & juxta diversas dispositiones partium diversos præstat colores, diversaque alia accidentia; Non secùs, ac juxta diversam earum dispositionem diversos præstat vitæ gradus; sicque capillos informat secundùm gradum vegetativum, & non secundùm gradum sensitivum; carnem, & ossa secundùm gradum sensitivum, & non secundùm gradum intellectivum. Eapropter, ut supra q. 2. art. 4. §. 3. Ad 2. arg. sub num. 5. tales partes distinguuntur inter se specie inadæquata, licèt non specie adæquata.

Tertia similiter. Siquidem ultra elementales qualitates, & ultra formam propriam concurrunt ad mixti productionem etiam ejus generans particulare, & rursus causæ universales, nimirum Cœli (ut vidimus lib. 1. de Gener. & Corrupt. q. 8. art. 5.) quæ possunt influere similes colores; præcipuè cùm color sit unum ex accidentibus communibus, non verò propriis, ut propria est risibilitas respectu hominis. Eò vel maximè, ut quòd in lib. de Cœlo vidimus, Cœli influunt, non tantùm mediante motu, & luce, verùm etiam mediis aliis qualitatibus occultis. Videri potest Goudin hic q 3. art 2. § 4. sub finem.

Quarta etiam. Siquidem subalbida illa quamquam non modicam habeant similitudinem in colore, adeoque & cæteris in qualitatibus, ex quibus valdè juvatur color obscurus; habent tamen similitudinem in reliquis qualitatibus minùs intensis, ex quibus albus juvatur color. Et quia in mixtione istæ superantur ab illis, idcircò evadit color ob-

scurus

securus prorsus, ac niger. Adde, quòd ad novi mixti hujus genesim concurrunt causæ præcipuè universales diversæ ab illis, quæ concurrunt ad productionem cujuslibet ex ingredientibus illis seorsim procreatis.

Quinta etiam, quia licèt divisivè sint duntaxat tactiles; tamen collectivè, & transmutativè sumptæ sunt visibiles, ad eum modum, quo simplicia divisivè non sunt quid mixtum, benè verò collectivè, ac transmutativè accepta. Et naturale est, quod ex primis fiant secunda, sicque ex primis qualitatibus secundæ fiant. Tenebræ autem, ultraquamquod sunt quid purè negativum, & nihil positivum, non sunt quid primum in genere qualitatis.

Sexta demum, & ultima; quia cuique sensu non inopi exploratum est, quòd calor est colore activior, proindeque ille prior esse debet in genere qualitatis.

6. Objicit 2. Saguens art. 4. n. 10. ad probandum, colorem consistere in asperitate, aut mollitie, aut prominentia, experientiunculas. Primam de Viro quodam, quem refert Robertus Boylus inter experimenta, & considerationes de coloribus cap. 3. n. 2. hicenem in omnimodam cæcitatem lapsum ea tactus subtilitate præditum fuisse, ut tæniarum, quas inter pollicem, indicemque probabat, colores maximè primarios dignosceret, suisque compellaret nominibus, pronuncians audacter, hunc esse album, illum cœruleum, &c. nisi quòd non ita facilè dignoscebat album à nigro, & rubrum à cœruleo, nam inter istos aliquando errabat, sed inter alios nunquam. Secundam de iis, qui solo tactu dijudicant inter verum, & spurium aurum.

Resp. ad 1. primitèr non adeo de facili esse similibus traditionibus fidem habendam, ne & de nobis illud Ovidii dicatur, *credula turba sumus*. Præterea dicatur, fortassis illum haud omnimodè cæcum fuisse. Demum dicatur, quòd licèt asperitas, aut lenitas possint nonnihil juvare ad colorum notionem, at non in eis consistit calor. Sic solo qui contactu verum à spurio discernunt aurum sic se gerunt: nimirum tactu deprehendunt auri asperitatem, & quia aliunde auri norunt colorem, fit inde, quòd mediatam per illationem concludant, cujus coloris sit aurum illud, quod manibus gestant.

§. XII.

De Origine diversitatis colorum.

1. COlorum diversitas per se, & ut in plurimum sumitur ex temperamenti varietate; per accidens verò, & ut in paucioribus ex aliis circumstantiis temperamenti; puta causæ efficientis, & præsertim ex qualitatibus occultis ab influxu corporum cœlestium. Item ex opacitate, perspicuitate, luce, &c.

Quò ad p. p. nec Saguens abnuere potuit tom. 4. disp. 17. art. 4. n. 12. convictus experimentis, tum humano in corpore, ubi patescit, via ullam temperamenti mutationem contingere, quæ non deprehendatur præsertim ex vultu, cujus colorem habemus pro indicio valetudinis, ægritudinis, amoris, odii, spei, timoris, &c. Tum in fructibus, quos prout diversimodè temperantur ad maturitatem obtinendam videmus diversis coloribus. Et aliis in rebus passim.

2. Objicit Saguens ubi supra ultra illa 6. experimenta antegresso dissoluta §. num. 5. alia quædam, Verùm enim verò hæc haud aliud habent, quàm probare secundam asserti nostri partem.

Et quidem ipsi quoque objici posset quòd etiam plures personæ non infrequenter æqualem sortitæ lenitatem, ita inæqualem sint colorem sortitæ, ut una subfusci, altera albi coloris sit: Item quarum altera est superficie lenis, & altera aspera, ejusdem contingit coloris ambas esse personas. Et plures alias experientias ad probandum, quòd color non consistat in lenitate, aut asperitate. Eo vel maximè, quòd experientiæ nonnullæ, quas producit Saguens militant duntaxat de coloribus apparentibus, & transeuntibus, ut de colore spumæ aquæ retinentis aquæ substantiam, & quibusdam aliis, quæ si diversimodè figurentur alium exhibent colorem.

Vid. Arnù hic q. 11. de visu art. 1. cap. 4.

§. XIII.

De coloribus apparentibus.

1. QUamquam unaquaque de re stabiliendum sit priùs, quod sit, quàm quid sit; quia tamen haud facile erit propugnare, quòd extent colores apparentes, nisi in quo consistant innotescat. Idcircò.

Recole, quòd colores alii sunt veri, & reales, qui nimirum existunt permanenter in corporibus, qui proinde permanentes compellantur. Alii apparentes duntaxat, qui existunt solummodo in præsentia corporis luminosi, ex cujus luminis reflexione exhibentur, ut sunt colores Iridis, colores, qui apparent in collo columbæ in certa positione ad Solis radios.

2. Dico primò, colores apparentes, non distingui essentialiter à luce. Cujus ea est ratio, quia non sunt veri colores reales: ergo cùm sint aliquid realiter existens in re (secùs forent ens rationis) & aliàs non sit assignabile quid aliud sint, dicendum venit, esse ipsam veram, realemque lucem. Cujus signum est, quòd luce cedente, non remanent.

In hoc conveniunt omnes, qui colores apparentes extare annuunt, uno dempto Cavino hic disp. 5. q. ultima §. 2. folio 78. citante Joannem de S. Th. Sed immeritò, ut videre est apud Jo: à S. Th. hic q. 7. art. 2. verbo circa 3. Ejus autem ratio ea est, quia colores illi habent contrarium; lux verò contrarium non habet.

At hoc haud difficilè solvitur: Negatur siquidem, quòd colores illi habeant contrarium, nisi ad summum apparenter.

3. Dico 2. Extant colores apparentes. Est contra Joannem Saguens tom. 4. disp. 17. art. 5.

Prob. ex dictis, quia nimirum Iridis Color non est nisi apparens color.

Ubi mirum sanè, quomodo tam audacter loqui abnuendo potuerit Jo: Saguens. Quandoquidem ipsemet eodem tom. 4. disp. 19. quæ est de Meteoris art. 2. qui de aeris est meteoris n. 11. cùm pervicaciter hic respuere voluerit colores apparentes, nec scit, nec potest reserare causam Iridis, ut vel ipsemet fatetur. Imò secum ipse pugnat, quia ibi mittit Lectorem ad ea, quæ scripsit Arist. lib. 3. Meteor. cap. 4. qui certè nonnisi apparentes per colores id explicuit, ut vidimus in tract. de Meteoris consideratione 3. §. 1. Deinde mittit ad Cartesium, ut clariùs loquentem. Sed tandem cùm & Cartesius ex in re non parùm ad colorum apparentiam confugiat, & istum quoque improbat. Nec mirum. Etenim mos est apud Saguens, quod ubi veritatem vel parùm, vel nihil capit, eam non modò parùm, sed summopere carpit.

4. Objicit 1. Saguens. Auditus nequit percipere sonum apparentem, nec olfactus odorem apparentem: ergo nec visus colorem apparentem.

Resp. permisso ant. quod probare haud scivit Saguens nego conseq. Disparitas est, quia visus inter externos sensus majorem obtinet elevationem, ratione cujus quandam cum intellectu analogiam sortitur. Ob idque cognitio intuitiva Dei in Patria visio compellatur beatifica. Adde, posse negari suppositum. Supponit namque dici apparentes, quia sint aliquid fictum, cùm tamen sint vera lux realis realisque luminis reflexio.

Insuper estò non sint quid reale in seipsis, sunt tamen quid reale in medio repræsentante, nimirum in specie producta ab illa luce refracta, & aliquali cum opaco permixta.

5. Objicit 2. Unicum fundamentum ad probandum, dari colores apparentes est, quia dantur facilè, & breviter transeuntes; sed plures dantur colores transeuntes, qui reales sunt: ergo. Min. probat variis experimentis, & præsertim in panno damasceno in quo, varios inspicis colores quoties ad diversos illum vertis aspectus, & non est major ratio de uno, quàm de alio, quod realis sit, vel quinam ex tot realis sit, cùm tamen unus eis realis, seu naturalis esse debeat.

Resp. hallucinari Saguens autumantem, colores apparentes esse quid omnino fictum, cujus tamen oppositum nuperrimè vidimus.

Ad id, quod damasceno de panno subjicitur, dico, illius colorem permanentem esse illum, quo afficitur sericum ex quo est contextus; sed tamen in eo minimè distinctè apparet,

solumque in eo conspiciuntur colores apparentes; quia fila illius ita interspersa sunt, ut diversimodè, ad diversos aspectus posita, lucem suscipiant, ac refrangant, proindeque varios exhibeant colores. Eapropter arg. hoc nostrum comprobat placitum, cùm manifestè hic colores habeantur apparentes.

Vid. Arnù ubi supra q. 15. de visu art. 5. cap. 4. & Jo: à S. Th. in tract de Meteoris, qui est tract. 4. & sic tandem has dimittamus quisquilias.

§. XIV. & ULTIMUS.

Quomodo fiat Visio.

1. PLatoni placuit, visionem fieri per ignei luminis extramissionem ab oculis ad certum usque spatium, in quo simul cum lumine exteriori cohæret. Alii idem sensere, sed dixere, lumen illud ab oculo emissum pervenire ad corpus usque, quod videtur, postmodum retrogradi ad visivam potentiam. Alii dixere, tale lumen esse radios quosdam figura pyramidales, quarum basis est in re visa, & cuspis in oculo. Atomistæ demum dixere, fieri per defluxum Atomorum à re visa ad videntem potentiam.

Verùm enim verò poeticè potiùs, quam Philosophicè hæc dicta videntur. Tum quia si visio fieret per extramissionem luminis ignei, sequeretur, etiam in tenebris videri objectum posse, cùm videamus candelæ lumen per tenebras non restingui, imò magis in tenebris lucere, atque aqua, & non tenebris restinguitur ignis. Tum quia sequeretur, quòd dum plures simul vident, clariùs viderent, cùm lumen effunderent majus, quod tamen quotidianæ obversatur experientiæ. Tum demum quia mens non capit, quomodo à tam exiguo corpore, quale est organum visus tam ingens possit effluere lumen, ut totum repleat Hemisphærium, & ad Cœlum usque pertingat, quò visio pertingit.

Non me refugit, quòd animalium quorundam, puta Luporum, Serpentium, Felium, &c. ab oculis quædam exeunt lumina, sicut etiam dicebamus de oculo cùm premitur. Ast talia per lumina non fit visio, sed lumen illud causatur vel ex partibus igneis compressis, quia in consultis partibus prædominatur complexio ignea; vel ex compressione spirituum.

2. Adversus Atomistas habes ex dictis §. 6. quia nimirum per continuum corpusculorum defluxum à re visa, talis res non parùm minueretur, ac tandem corruens evanesceret & in nihilum redigeretur. Et adde, quòd tot ex corporibus subeuntibus depleretur, & opprimeretur oculus. Superadde, quòd hujuscemodi corpora, ceu tenuissima, defluendo à corpore distante, insflantibus ventis, disspergerentur, nec posset objectum videri.

3. Dico itaque, visionem fieri per receptionem specierum intentionalium. Ratio hujus habetur non tantùm à sufficienti divisione, verùm etiam ex dicendis infra q. 7. ostendendo art. 1. specierum necessitatem.

4. Si autem sciteris, num ad hoc, ut color videatur, requiratur lux, non tantùm ex parte potentiæ, verùm etiam ex parte coloris. Ab affirmante Joanne à S. Th. stn, negantibus Compl. quibus celebris ex nostris quidam in m. s. adhæret. Ratio est quia color licèt sit per se visibilis in actu primo, non tamen in actu secundo; non secùs ac supra cum iisdem dictum est, quod diaphanum, & transparens licèt sit per se tale in actu primo, non tamen in actu secundo.

Quòd si S. Th. locis à Compl. relatis videtur hoc negare; dicendum est, negare duntaxat, quòd lux requiratur tanquam dans visibilitatem, nimirum entitatem visibilitatis colori, & virtutem ad movendam potentiam visivam. Cum quo tamen stat, quòd possit requiri ut ratio formalis; non quidem prima, sed ultima completiva in actu secundo coloris ad movendam potentiam.

QUÆSTIUNCULA.

De Auditu.

1. EAdem proportionaliter de auditu sunt vestiganda, ac supra de visu.

PERCONTABERIS.

Quid sit Sonus.

ATomistæ, quos sequitur etiam du Hamel dicunt, sonum nil aliud esse, quàm motum localem tremulum celerrimè factum aeris ferientis aures.

At quàm procul à vero id sit deprehendes, Tum ex eo, quod interdum cùm major est motus minorem experimur esse sonum, V. G. minor campanæ percussio majorem edit sonum, quàm major lapidum percussio. Tum ex eo, quòd si aqua intra fistulam non omnino depletam concitetur, percipitur non sonus tantùm ejusdem fistulæ aerem commoventis, ad aures pertingentis, sed & aquæ intra fistulam non pertingentis ad aures, nec contingentis aerem exteriorem, ad aures pervenientem, sed producentis in exteriori aere species, quæ ceu quid intentionale, ut iterum §. 4. dicetur, vel si naturale, purissimum, potest per poros vitri in aere progigni; at non per vitri poros tantus explodi potest aer, qui subitò aerem circumstantem concitare queat; cùm aer intra modicam contentus fistulam sit modicus, & longè magis modicus, qui per poros emittitur. Præterea haud perceptibile est, quomodo sonus editus alicubi, interdum ad duas usque leucas pertingat morula brevissima, ut contingere quotidiana experientia comprobat. Quod licèt asfirment Adversarii, omnino tamen falsò, ut videre est apud nostrum Guerinois, cui in hoc non est quid addere. Argumenta verò Atomistarum haud aliud evincunt, nisi quòd motus requiratur ad sonum, imò quòd iste ex illo causetur; quod festine dicetur.

Sonus itaque definitur ab Arist. quòd sit *qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum, & resilientia medii.*

Qua ex re habes, ut nuperrimè diximus, sonum, non formaliter, sed duntaxat causaliter esse motum, quatenus ex motu causatur; formaliter autem est de tertia qualitatis specie.

2. Requiritur autem ad soni formationem, esse subitam, & violentam percussionem cum medii, nimirum aeris, fractione. Ob idque si tardo motu unum aliud contingat corpus non fit sonus, quia priùs secedit aer interjacens, quàm talis fiat contactus. Similiter (ut dicebamus in tract. de Cœlo q. 2. art. 3. ad 1.) Cœli suo motu licèt sese contingant non efficiunt sonum, Tum quia non adest medii resilientia, Tum quia non sese violenter concutiunt. Item corpora sese collidentia habere aliquam opus est obsistentiam, ut aer sua in integritate permaneat antequam dividatur. Eapropter lana, pili, spongia, &c. non sunt sonora, quia non resistunt, & poris abundant, è quibus aer diffluit, nec proinde effringitur.

Adnoto verò, quòd quando sonus efficitur aliquibus à corporibus solidis, vel etiam fluido, si aliquam obsistentiam habeat, ut est aqua, quæ solido concussa corpore edit sonum, licèt sequiratur, quòd sese collidant, aeremque concutiant, ut inquit S. Th. loco citato; Tamen sonus potest etiam aliter fieri, quàm illa ex corporum concussione, dummodo aeris diverberatio interveniat, ut quando violenter scinditur pannus, vel lignum: similiter quando per ventum aer impellitur ad cavernas, vel foramina: Pariter quando vapore terrestre impellente, magna pars aeris super alteram consurgit, & quasi innodat priusquam naturaliter cedere locum queat, tum violenter effringitur: Item agitato aere in fistulis, vel virga fortiter adacta per aerem fit sonus: Demum cùm vocalis editur sonus, nimirum vox formatur per hoc, quod pulmo propellit aerem in partes duras asperæ arteriæ.

Talis autem sonus nec per motum localem talium corporum causatur formaliter, sed causatur per actionem comitantem talem motum.

QUÆSTIUNCULA ALTERA.

De Odoratu, Gustu, & Tactu.

1. PAuca de singulis dicturus simul hic omnes complector.

2. Quòd odor non sit situs in corpusculis liter ex dictis §. 6. num 12. circa lucem, quia nempe sensibiliter minueretur odorosum corpus si secundùm esse naturale tot, & ad tantam distantiam corpuscula emitteret ad 500. usque milliaria,

laris, ut nuperrime cum D. Thom. diximus. Vide Guerinois.

Odor itaque definitur sic: est *qualitas ex temperamento primarum qualitatum resultans, siccitate dominante, seu*, quod idem est, *excedente, & calore humidam decoquente*. Quæ ex re fit, quod requiratur calor digerens, & attenuans humidum. Quocirca videmus, res, quæ calidioris sunt temperamenti perfectiorem manare odorem. Res quoque odoriferæ in igne odores suos fortiùs emittunt. Hac quoque ratione regiones aridæ, magisque exsiccatæ à calore, ut est Arabia, res odoriferas, aromata nimirum producunt.

Inde quoque dignosces, quare omnia inter animalia homo minori polleat olfactus vi. Odoratus namque à cerebro humidum excipit; & quia homo magnum fortius est cerebrum, magisque humidum, cæteris præ animalibus, Idcircò &c. eadem ratione pueri, ceu majori, quàm viri abundantes humido, obtusiores evadunt odoratu.

3. Adnotm, quod odoris intentionales species, sicut etiam soni, non perveniunt in instanti ad sensum, ut visibiles pertingunt species. Eapropter fumosam prius evaporationem cernimus, quàm odorem percipiamus, non secùs, ac priùs videmus securis ictum, quàm sonus audiatur. Tandem explosum priùs tormentum bellicum est, quàm ejus audiatur sonus. Ratio est, quia, ut ibi dicebamus, species visibiles per lineam rectam producuntur, species verò odoris, & soni quaquaversum diffunduntur.

De Gustu.

IN quo sapor consistat? Atomistæ consistere dicunt in quarundam atomorum diversa figura, ita quod si acutam figuram sortiantur, linguam acutè attingunt, & saporem acrem, atque asperum constituunt; si verò figuram lenem, & suavem obtineant leniter linguam attingunt, suavemque, & gratum constituunt saporem.

At hoc refellitur ex dictis supra probando, quòd color non consistat in superficie levi, aspera, æquali, vel inæquali, &c. quia nimirum omnia ista sunt objectum tactus; Gustus autem quemadmodum à tactu distinctus est sensus, ita à tactus objecto debet objectum distinctum habere. Præterea haud facile erit tot figuras lenes, & æquales diversas assignare quot sunt sapores suaves diversi, qui sanè non sunt in modica quantitate; sicut & sapores asperi.

Sapor itaque definitur, quod sit *qualitas resultans ex permixtione humidi, & sicci, prædominante humido, per calorem temperato*. Obidque S. Th. lect. 9. de sensu, & sensato inquit, quòd ex Philosopho sapor, & odor dicuntur eadem esse passio, quia uterque causatur ex permixtione humidi, & sicci secundùm aliqualem terminationem à calido, non tamen utrumque eorum est omnino in iisdem, quia odor magis sequitur siccum, & ideo principaliùs est in fumali evaporatione. Sapor autem magis sequitur humidum. Qua ex re sequitur contra nonnullos, posse eadem in parte saporem esse, & odorem.

De Tactu.

HIc discutiendum nonnulli suscipiunt adversus præsertim Atomistas, in quo consistat calor, frigus, humiditas &c. Quæ omnia discussa feci lib. 2. de Gener. & Corrupt. q prima in Præambulo. Illuc adeas.

Itaque objectum Tactus sunt primæ qualitates, nimirum calor, frigus, siccitas, humiditas, & etiam qualitates secundæ ex eis causatæ; non tamen omnes, cum non tangatur sapor, color, aut sonus, sed illæ duntaxat, quæ sunt tangibiles, ut durum, molle, &c. ceu minus spirituosæ.

Ea ex re, sequitur, Cœlum non esse tangibile positivè, quia (ut dixi in tract. de Cœlo q. 1. art. 2.) in Cœlo non dantur primæ qualitates, secùs foret ab intrinseco corruptibile, adeoque nec secundæ dantur qualitates ex primis causatæ. Eapropter si quis manum admoveret Concavo Lunæ, non tangeret Cœlum, nisi negativè, quatenus manus à Cœlo præpediretur ultra præterire, non secùs ac si ab Angelo impediretur.

Sequitur etiam contra nonnullos, sensum Gustus, & Tactus distingui essentialiter, quia diversum obtinent objectum formale. Et licèt habeant idem objectum in esse entis, tamen habent medium diversum formaliter in ratione medii; quia caro sub diversa ratione formali defert species saporis, ac species deferat tangibilis qualitatis, cùm versetur circa diversum objectum formale.

Hoc demum consideratione dignum, quòd organum tactus, cum in gradu aliquo dictas in se possideat tangibiles qualitates, inde fit, quod non sentiat, nisi qualitates insigniori in gradu, & secundùm illum intensiorem gradum, secundùm quem objecti qualitates excedunt ejusdem Tactus qualitates, non verò percipit secundùm gradum æqualem, & multò minùs inferiorem E. G. manus calida non sentit æqualem, aut minorem alterius calorem, sed duntaxat majorem, iste si adsit. Sic manus mollis sentit alterius duritiem, lenis alterius asperitatem, calida alterius percipit frigus &c. Ea de re S. Th. hic lect. 2 3. inquit, quòd Tactus excipitur ab illa regula, quòd sensuum opus est carere qualitate sui objecti, eò quòd in se est mixtum quoddam constatum ex ipsis qualitatibus tangibilibus. Verum est tamen, quòd carere saltem debet excellentia illarum qualitatum, quam duntaxat sentit, quia consistit in quodam medio.

Argumenta nonnulla lege soluta apud Compl. & alios.

QUÆSTIUNCULA ULTIMA.

De sensibus internis tum in communi, tum in particulari.

1. INternos extare sensus nisi stupidus abnuet. Rationem autem suppeditat S. T. p. p. q. 78. art. 4. quia nimirum sunt necessarii, ut animal omnes obtineat actiones regimini vitæ suæ opportunas. Ea de re experimur, quòd animalia cognoscunt res, nedum præsentes, verùm etiam absentes. Moveatur siquidem ad cibum, potumque comparandum. Eapropter (inquit S. Th.) animali necessarium est, ut quærat aliqua, vel refugiat, non solùm quia sunt convenientia, vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter nonnulla alia commoda, aut nocumenta: sicut Ovis videns lupum venientem fugit, non propter coloris indecentiam, vel figuræ, sed quasi naturæ infensum. Et similiter Avis paleam colligit, non quia sensum delectet, sed quia utilis ad nidificandum est. Necesse est itaque, quòd animal hujusmodi percipiat intentiones, quas exterior non percipit sensus, qui sensibiles duntaxat formas attingit, & à præsentia objecti solummodo immutatur. Admittendi sunt, itaque sensus interni.

2. Lis aliqua sese offert eorum circa numerum, & distinctionem. Quandoquidem nonnulli, unum esse ponunt, alii tres, alii quinque. At Thomistæ Universi, quibus frequentiùs adhærent Cæteri, dicunt, esse quatuor, nimirum Sensum Communem; Phantasiam, idest Imaginativam; Æstimativam, boc est, Cogitativam; & Reminiscentiam, sive Memoriam.

Sensus Communis non ideo communis compellatur, quia communia percipiat sensibilia; nec dicitur communis communitate prædicationis, ut inquit S. Th. loco citato, sed quia discernit omnium inter sensuum exteriorum objecta.

Definitur autem Sensus Communis sic: *Virtus benè receptiva Specierum benè sensatarum*. Idcircò objectum ejus sunt sensibilia externa sensuum exteriorum, altiori tamen modo, hoc est, universaliori sub ratione attacta. Unde sensus communis duo obtinet munera. Unum est sensibilia omnia externa attingere, & differentiam astruere inter illa ut præsentia sunt. Aliud est, sensationem percipere sensuum exteriorum, qui sensus, ut q. antea cta 5. art. 2. vidimus sus non percipiunt actus.

Communem sensum realiter ab externis distinctum sensibus extare abnuit Jo: Saguens, cui universi adversantur Philosophi cum Arist. lib. 6. de Somno, & Vigilia cap. 2. & D. Th. tum ibidem lect. 3. tum quæst. de Anima art. 13. & p. p. q. 57. art. 2. & q. 78 art. 4 tum opusc. 43. cap. 4. Et ratio est, quia sensus communis habet discernere inter sensuum exteriorum objecta, eorumque sensuum sensationes percipere habet, ut omnis non stolida pecus deprehendit, dum percipit, se videre, audire, &c. ergo Sensus Communis realiter ab illis distinguitur. Min. quò ad 2. p. nitet ex dictis q. 5. art. 2. ubi ostendimus, sensus externos non posse suos supra actus reflectere. Quò ad 2. verò prob. Visus V. G. licèt distinguere queat inter album, & nigrum, non tamen potest discernere inter album, & dulce; quia illius est potentiæ discernere inter aliqua, cujus sub obje-

ĉto utrumque cadit; sed visus non attingit album, & dulce, sicut nec gustus dulce, & album: ergo &c.

3. Subjectum, sive organum sensus communis creditur, reperiri in anteriori parte cerebri supra frontem, à quo derivantur omnes exteriores sensus, omnesque species ab eis sensatæ ad illum transmittuntur, atque in eo uniuntur, non secùs, ac plures lineæ in centro; estò hujuscemodi organa non ita facilè in Anatomia deprehendantur, saltem discriminatim; quia, ceu delicatissima, extremo in mortis conatu convelluntur. Imò (etiam dato talia non adesse, ut contendit Jo: Saguens) dici potest, probabile esse, quòd, inquit, Goudin hic art. 5. in fine spiritus animales per totam cerebri capacitatem diffusos, ac permanentes esse propria sensuum internorum, eorumque operationum subjecta. Qui spiritus animales tametsi in esse entia sint ejusdem speciei, soloque numero multiplicati; tamen formaliter in esse organi sunt diversæ speciei; cum deserviant sensibus internis in ordine ad objecta speciei diversa.

4. Phantasia est virtus conservativa specierum sensatarum. In quo secernitur à Memoria, quæ est conservativa specierum insensatarum. Necessariò hunc extare sensum ex eo evincitur, quod non semper animal perfectum habet conjuncta necessaria suæ vitæ, & ex recordatione rerum, quæ ipsi sunt necessariæ movetur localiter ad ea procuranda V. G. Canis cùm non semper cibum præsentem habeat, dum esurit movetur ad illum comparandum; Ad quem haud sic moveretur, nisi ejus in Phantasia cibi, puta panis species conservarentur.

Phantasiam realiter à sensu Communi distingui docere universi videntur Thomistæ, quamquam nonnullos in oppositum citet Cav. infra lib. 3. disp. 1. §. a. Ratio est, quia Phantasia præscindit à præsentia, vel absentia objecti; apprehendit namque objecta etiam non præsentia. Sensus autem Communis versatur circa objecta duntaxat præsentia, quia cùm versetur circa objecta propria sensuum externorum, eorumque sensationes, sicut isti nequeunt attingere objectum physicè absens, ita nec ille. Ea de re licèt supra concessum à nobis fuerit, posse attingere objectum physicè absens, non tamen id diximus de omnibus. Cavinus tamen loco relato videtur concedere, saltem imperfectè Sensum Communem posse attingere objectum physicè absens. Præterea Phantasia habet comparare, & componere species inter se: ex præconceptis namque speciebus montis & auri tertiam format speciem montis aurei. Quod tamen Sensus Communis facere haud potest.

Qua ex re patescit contra Avicennam apud S. Th. quòd ad faciendam compositionem non alia requiritur potentia media inter Phantasiam, & Æstimativam. Non, inquam, quia, ut inquit S. D. Si inter Phantasiam, & Æstimativam extaret potentia aliqua media, ista extaret etiam in Brutis, in quibus Phantasia extat, & Æstimativa; quod tamen constat falsum esse, cùm Bruta hujusmodi compositionem minimè faciant. Una itaque, eademque, nimirum Phantasia duo obtinet munera, videlicet percipere, & conservare species sensatas à Sensu Communi; aliud est comparare species illas inter se, formando tertiam speciem V. G. montem aureum. Et licèt nunquam nos viderimus montem aureum; quia tamen vidimus montem, & aurum; Ideò ex specie montis, & specie auri Phantasia format tertiam speciem montis aurei. Et sic ratio solvitur Avicennæ.

Subjectum, sive organum Phantasiæ residere creditur in secunda parte cerebri in parte anteriori capitis post sensum communem, ubi minor extat humiditas, quàm in prima parte, ubi Communis habetur Sensus, qui hac ratione facilè recipit, sed facilè dimittit, non verò retinet, aut conservat species. Dicere ni volueris ut supra num. 3.

5. Æstimativa est virtus apprehendens de sensato non sensatum, puta convenientiæ, disconvenientiæ V. G. Ovis Lupi viso colore, & figura, quorum species sensibiles sunt, tertiam format speciem, nimirum inimicitiæ. Necessitas hanc astruendi ex eo comprobatur, quod animal debet sibi noxia declinare.

Nec dicere cum Mastrio juverit, quòd Ovis Lupo se subducit, non ut inimico, sed quodam ex naturæ instinctu. Non, inquam. Lupum siquidem fugit ut fugiendum; sed est fugiendus ut inimicus: ergo eum ut inimicum fugit.

Istius sensus à Phantasia distinctio ex eo evincitur, quod magis distant species sensatæ, & non sensatæ inter se, quàm species sensatæ diversorum sensuum; sed pro istis diversæ dantur potentiæ: ergo multò magis pro illis.

Potentiæ hujus subjectum, sive organum in Brutis reperiri creditur in posteriori parte mediæ partis cerebri. In Hominibus autem reperiri censetur in media cellula cerebri, quæ syllogistica compellatur, ut ait S. Th. dicere ni volueris, ut supra num 3.

6. Memoria est virtus conservativa dictarum intentionum insensatarum. Ob idque ajebat S. Th. quòd aliarum potentiarum sensitivarum actus est motus duntaxat à rebus ad Animam, sed actus Memorativæ è contra est motus ab Anima ad res.

Hujus sensus necessitas eodem habetur motivo, quo pro Æstimativa, nimirum ut animal perfectum possit se subducere nocivis & utilia prosequi. Distinctio quoque ejusdem ab Æstimativa patet ex eo, quòd Æstimativa non versatur circa præterita, benè verò memoria.

Ejus organum sedem putatur habere in posteriori cavitate cerebri, sive occipitis Dicere ni volueris ut supra num. 3.

7. Æstimativa in Homine compellatur Cogitativa, & differt ab illa Brutorum, quia in Homine ex conjunctione ad intellectum nonnihil de discursu participat, aliqualemque comparationem; imò magis quàm Phantasia, cùm sit immaterialior. In Brutis hoc vel non habet, vel si habet, nonnisi materialiter obtinet, ut diximus a. Phys. q. 3. Item Memoria in nobis vocitatur Reminiscentia.

Num autem in omnibus animalibus reperiantur omnes hujuscemodi sensus interni.

Resp quòd omnibus in animalibus perfectis omnes comperiuntur propter adductas rationes. In imperfectis verò, idest imperfectissimis Solus Communis locum habet sensus. Quòd communi polleant sensu tam certum est, quàm certum est, quòd suam percipiunt sensationem. Si namque pungantur non tantùm talem percipiunt punctionem, verùm etiam deprehendunt lædi, adeoque se contrahunt. Quòd verò non alii reperiantur sensus fit manifestum, quoniam non percipiunt objecta absentia, aut præterita, sive sensata, sive insensata, nec, præsentia insensata, ob idque non quærunt necessaria vitæ absentia, nec fugiunt fuga propriè dicta sibi disconvenientia, sed ad summum fuga, aut inquisitione impropriè dicta pro contractione, aut dilatatione.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Speciebus Intentionalibus Impressis.

Quot modis accipi species queat dixi in Logica Syntag 3. q. 3. Ultra autem illas acceptiones, speciei nomen (ut habet Arnu hic q. 10. de Anima sensitiva art. 4.) sumi consuevit pro forma, idest quidditate rei sine materia. Sic formæ sensibilium, ut sunt sine materia in qua, & à qua accipiunt esse materiale, & naturale dicuntur species, ac formæ intentionales. Exemplum ponit Philosophus in sigillo, quod suam in cera imprimit formam, non tamen suum communicat esse materiale, & naturale, puta esse aureum, aut argenteum. Eapropter accidentium formæ à subjecto sejunctæ peracta consecratione in Sacramento Altaris species compellantur Sacramentales; quia sunt ibi; non secundùm esse materiale, quod priùs habebant, sed secundùm esse formæ, quæ habet esse veluti per se.

Qua ex re perspicuum fit, quid sit esse intentionale. Quoties namque forma inspicitur sine materia, habet modum essendi immaterialem; quia tum sortitur modum proprium essentiæ, & formæ, cùm omnis essentia immaterialis sit in ratione essentiæ, secùs non posset scientiarum esse objectum. Itaque quia objecti similitudo estò esse habeat in aliquo subjecto, tamen de materiali duntaxat importatur ab illa; de formali verò & per se non aliud dicit, quàm repræsentare objecta: Idcircò significatur semper absque materia, & vocatur species intentionalis. Præterea species compellatur, quia potentiam indifferentem determinat ad talem speciei cognitionem. Demum dicuntur species à verbo *specio*, quatenus inservit ad specienda, idest aspicienda, ac cognoscenda objecta.

Definiri species sic potest; *est naturalis similitudo sui objecti*. Duplex autem est, impressa nimirum & expressa. Impressa est principium cognitionis, & motiva potentiæ ad cognitionem, redditque illam cognoscentem in actu primo.

Expres-

Expressa est terminus cognitionis constituens potentiam in actu secundo cognoscentem. Impræsentiarum agimus duntaxat de prima, acturi de secunda libro tertio.

ARTICULUS PRIMUS.

Num sint necessariæ species intentionales impressæ in potentiis cognoscitivis.

§. I.

1. DIxi *in potentiis cognoscitivis*, quia loquimur de omnibus potentiis cognoscitivis cognitione tùm sensitiva cùm intellectiva pro cognitione elicienda.

Abnuunt universi illi, quos refutavimus q. prægressa 6. §. 13. vestigando modum, quo fit visio. Abnuunt etiam Galenus, Porphyrius, & Durandus. Ocham autem eas amovet à sensibus externis. Hurtado solis concedit visui, & auditui, denegans cæteris externis. Toletus donat etiam olfactui, at non gustui, & tactui. Quos contra omnes, reliqui omnes stant in Peripatu.

Et non se prætereat, quòd communiter à Theologis in tract. de Trinit. censetur erronea opinio Durandi ibi negantis Verbum procedere per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem, volens principium proximum processionum esse relationes, aut ipsam naturam, ut alii eum sensisse dicunt.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. PRob. 1. à sufficienti divisione. Quandoquidem cùm viderimus supra, visionem non posse fieri per corpusculorum effluvium, aut alio modo, jam fieri per specierum receptionem debet. Vide quæst. antegressa 6. §. 13.

De Cartesio autem dicente 4. p. princip. num. 18. nullam fieri sensationem, nisi in cerebro, in quo dicit, esse glandulam quandam, in qua omnes totius corporis junguntur nervi, mediisquibus fit ibi sensatio quendam per localem motum, quo excitantur ideæ, quæ illa in glandula sunt à natura inditæ, ut ipse fingit. De hoc, inquam, videri potest Guerinois q. 3. art. 2. Hoc unum addo, quòd Homo vita non minùs sensitiva, quàm vegetativa pollet; atqui vegetatur in omnibus partibus, nimirum nutritur, crescit, &c. ergo & in omnibus sentit.

Quò ad Epicurum, Gassendum, ejusque gregales, profitentes, dolorem causari per hoc, quòd Atomi quædam talis sunt figuræ, ut haud facilè poros ingredi queant, Vide eundem Guerinois ibi §. 2. Sanè non video, cur ignia corpuscula in mediocri distantia facilè humani corporis poros, & omnino approximato corpore igni difficilè ingrediantur, ut dolorem inducant, cùm ejusdem semper sint figuræ.

Verum est ab holente corpore evaporationes quasdam ascendere. At falsam est, per istas fieri sensationem, cùm haud perceptibile sit, ad 500. usque milliaria corpuscula illa mitti, ut apud Trojam post stragem factam accurrerent Tigrides, & Vultures convolarent cadaverum odore allecti.

3. Prob. 2. quotidiano experimento. Etenim dum quis sui intuetur in speculo imaginem, conspicuam suipsius se exhibet similitudo, quæ species apud nos compellatur, quæque ab ipso producitur vidente, & ab illa speculi aliæ in aere, & ab istis aliæ visiva in potentia. Item potest quis sui contueri imaginem in alterius pupilla. Has propter experientias Durandus, inquit, quòd si oculus non esset, nunquam nominatæ species fuissent. Præterea constans est, manere in nobis notionem objecti absentis, & præteriti, quod cùm non sit præsens, nequit per seipsum immutare, adeoque media specie in mente relicta opus est immutare. Ob idque S. Th. lib. de Memoria, & Reminiscentia lect. 3. inquit, quòd ex Philosopho in Memoria manet veluti pictura, seu effigies rei, sicut cùm signatur aliquid anulo. Tandem somniantes similitudines possident rerum. Monstra namque, chimæras, &c. imaginantur.

4. Prob. 3. ratione Arist. 3. de Anima tex. 52. Cognoscitiva Potentia unire sibi objectum debet, quod cognoscit; sed nonnisi per species, & similitudines unire illud sibi valet: ergo &c. Min. nec rudem præterit. Non enim mate-

rialis lapidis entitas oculum invadit videntis. Maj. verò prob. Ea inter potentiam appetitivam, & cognoscitivam est differentia, quòd ista objectum ad se trahit, illud sibi uniendo, & assimilando, illa verò ab objecto trahitur. Qua ratione dogmatizat Theologus, Verbi Divini processionem, quæ per intellectum est, esse generationem, at non Spiritus Sancti processionem, quæ ceu per voluntatem, spiratio, & non generatio est. Sanè haud facilè Adversarius species etiam intellectui adimens, quæ objecti similitudo sit, Verbi Divini generationem edisseret.

5. Prob. 4. alio communi ratiocinio ex eodem Philosopho deprompto hic 2. de Anima tex. 131. Potentia cognoscitiva determinatur intrinsecè ab objecto ad cognitionem; sed intrinseca determinatio ista fieri nequit, nisi per aliquid intrinsecè receptum in potentia: ergo cùm aliàs haud aliud intrinsecum sit excogitabile, quàm species, jam &c. Min. ex eo probata manet, quod si nihil intrinsecè in ea ponitur, non mutatur intrinsecè, proindeque eodem semper intrinsecè se habet modo. Maj. prob. Potentia de se est indifferens intrinsecè ad talem vel talem eliciendam cognitionem circa tale, vel tale objectum: ergo &c. Ob idque sufficit extrinseca objecti assistentia (ut nonnemo se tutatur) quia extrinseca assistentia nihil intrinsecum in potentia ponit intrinsecè immutans potentiam, quæ aliàs est intrinsecè, & non purè extrinsecè indifferens. Ea de re sicut si indifferentia esset purè extrinseca, requireretur saltem aliquod extrinsecum, extrinsecè determinans, ita si est intrinseca requiritur intrinsecum aliquod intrinsecè determinans.

Atomistarum doctrina dicentium, determinari per corpuscula ab objectis immissa poros organi ingredientia, num. jam 2. refutata manet.

Nec cum Peripateticis nobis adversantibus dicere juverit, quòd determinatur à voluntate. Non, inquam, quia cum nihil sit volitum, quin præcognitum, & nihil sit cognitum, quod priùs in sensu non fuerit, cùm nostra omnis cognitio pro hoc statu ortum habeat à sensu; inde est, quòd voluntas nullam movet potentiam ad cognitionem, nisi priùs circa objectum fuerit cognitio alicujus potentiæ vel sensitivæ, vel intellectivæ.

Dices, quòd potentia cognoscitiva ceu potentia naturalis, naturaliter operans, est ex seipsa determinata ad actum.

Contra. Ut 7. Phys. q. 2. art. 2. diximus, agens naturale licèt sit determinatum ad actum, vel objectum in specie, at non in individuo, V.G. Ignis licèt sit de se determinatus ad calefaciendum; non tamen est de se determinatus ad hunc calefactionis actum, sed quantùm est de se indifferens ad omnes, cùm non magis per unum, quàm per alium perficiatur. Similiter visus est determinatus ad eliciendum solum actum visionis circa coloratum; non tamen ad hunc, vel illum actum visionis: ergo aliunde talis petenda est determinatio.

Dices, quòd quemadmodum nostra in sententia 7. Phys. q. 2. art. 2. Ignis determinatur ad talem, vel talem candefactionis actum per concursum prævium Dei; ita & cognoscitiva potentia ad hunc, vel illum cognitionis actum.

Contra, Tum quia catenus respectu ignis sufficit concursus prævius causæ primæ, quatenus res candefactibilis unitur igni secundùm suum esse naturale vel mediatè, vel immediatè, nimirum ignis, & res candefactibilis, vel uniuntur immediatè inter se, vel media naturali actione introducendo suam formam; atqui cognoscitiva potentia, & objectum nequeunt sic uniri, & determinari inter se: ergo opus est specie, qua uniantur in esse intentionali. Tum quia res candefactibilis est objectum duntaxat terminativum candefactionis; at objectum cognoscibile est objectum, non tantùm terminativum, verùm etiam motivum cognitionis; verum namque ut verum movet intellectum ad assensus actum.

§. III.

Adversariorum argumentationes solvuntur.

6. ARg. 1. Species illæ non sunt ens: ergo nihil. Prob. ant. Ens adæquatè dividitur in substantiam & accidens; sed species illæ non sunt substantia, nec accidens, solumque dicunt repræsentare objectum, atque accidit speciei, esse substantiam, vel accidens, cùm nonnunquam sit substantia, sicut Angeli substantia in cognitione suipsius

est sui species, in nobis verò est accidens: ergo &c.

Resp. nego ant. ad prob. dist. min. formaliter explicitè ant secundùm se, concedo implicitè, & identicè & ut contracta, nego min. & conseq. Species itaque estò secundùm conceptum formalem speciei præscindat ab esse substantiam, vel accidens, & de materiali se habeat, quòd sit substantia, vel accidens; tamen in statu contractionis identicè saltem est vel substantia, ut in Angelis quò ad suæ substantiæ cognitionem, vel accidens ut in nobis, imò & in Angelis ad cognoscenda alia objecta.

Contra. Si esset accidens sequeretur, quòd duo accidentia solo numero distincta eidem simul incubarent subjecto; sed hoc quilibet execratur Thomista: ergo &c. Prob. maj. Duæ species repræsentantes duo alba sunt ejusdem speciei; sed esse istæ simul possent eadem in potentia visiva, quæ simul duo intueri alba potest: ergo &c. Prob. maj. Talia objecta ejusdem sunt speciei: ergo & species ea repræsentantes.

Resp. ex dicendis in Meth. q. 12. art. 6. ad 2. nego sequelam. Ad pro. negn maj. ad cujus prob dato ant nego conseq. quia ut inferiùs dicam n. 11. ad 6. & ult. arg. objecta illa emittunt, & immittunt species in virtute corporum cœlestium. Et quia corpora cuncta cœlestia sunt speciei diversæ, ut in tract. de Cœlo q. 1. in appendice posita post. art 3. Idcircò eorum quoque virtutes sunt specie diversæ; proindeque etiam species illæ saltem in esse quidditatis sunt diversæ speciei, estò in esse repræsentativi sint ejusdem speciei. Sed de hoc fusiùs in Meth.

Nec obest, quòd etiam Homo cum corpore cœlesti producat Hominem; & tamen omnes Homines ejusdem sint speciei. Non, inquam. Siquidem licèt Homo, & Cœlum producant Hominem; tamen ut dixi 7. Phys. q. 2. art. 1. §. 3. ad 1. arg. Homo non producit alium Hominem in virtute Cœli, sed Cœlum, & Homo ut duo se habent principia diversos producentia gradus. De quo iterum infra lib 3. quæst 1. art. 2. §. 1.

7. Arg. 2. Si existeret species ista, foret similitudo objecti; sed hoc propugnari minimè potest: ergo &c. Prob. min. Si esset similitudo objecti deberet habere convenientiam cum illo; sed hanc non habet: ergo &c. Prob. min. Species plerumque est accidens ubi objectum est substantia: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. dist. min. non habet convenientiam in esse entitativo, concedo, in esse repræsentativo, & intentionali, nego min. & conseq. Hoc namque modo maximam obtinet similitudinem, ut art. 3. videbimus.

Dices. Si esset hoc modo similitudo, deberet etiam ipsa cognosci à sensu; sed non sic cognoscitur: ergo &c. Maj. liquet de pictura, speculo, &c. in quibus sunt serum repræsentatarum similitudines.

Resp. dist. maj si esset medium *in quo*, concedo, si duntaxat medium *quo*, nego maj. & data min. nego conseq. Duplex datur medium, Unum dicitur medium *sub quo*, & est ratio illa, *sub qua* potentia cognitionem elicit circa objecta, ut est lumen internum in oculo. Aliud est medium *in quo*, sicut est speculum, imago, statua, pictura, &c. Aliud medium præcisè *quo*, idest non similitudo objectiva, tantùm, sed objectiva simul, & perfectiva potentiæ, ut est species. Licèt itaque similitudo secundo accepta modo debeat sic cognosci; secùs tamen similitudo primo, & tertio sumpta modo.

8. Arg. 3. Negationes, & privationes cognoscuntur sine speciebus; sicut etiam res spirituales dignoscuntur per species sensibiles: ergo non sunt necessariæ præfatæ species. Prob. ant Intellectus noster pro hoc statu nihil cognoscit, nisi per species à phantasmatibus abstractas; sed prædictorum non dantur phantasmata, cùm non cadant sub sensu: ergo &c.

Resp. dist. ant. cognoscuntur sine speciebus propriis, concedo, alienis, nego ant. & conseq. Negationes siquidem, & privationes quemadmodum per oppositas sibi formas dignoscuntur, ita & per talium formarum species repræsentantur. Hoc etiam modo spiritualia quia per sensibilia dignoscuntur, per sensibilium quoque species deprehenduntur.

9. Arg. 4. secundam oppugnando ratiocinationem nostram. Pro determinanda intrinsecè potentia ad cognitionem sufficit positio objecti extrinseci: ergo &c. Prob. ant. Etiam album V. G. est de se indifferens ad fundandam, vel non fundandam relationem similitudinis; & tamen intrinsecè determinatur ad eam fundandam posita existentia alterius albi extrinseci: ergo à pari &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dato ant. nego conseq. & paritatem. Disparitas in eo sita est, quod relatio effectivè causatur à generante, & duntaxat per quandam resultantiam à fundamento. Cognitio autem, cen actio vitalis, effectivè causatur ab Anima, ejusque potentia. Secùs quemadmodum ad positionem unius albi in Italia, resultat relatio similitudinis in alio existente in India, ita ab existente in Italia posset videri color, & audiri sonus existens in India.

10. Arg. postremo. Non est excogitabilis causa materialis, nec effectiva talium specierum: ergo non extant. prob. ant. r quo ad p. p. Si assignabilis foret maximè sensus tanquam subjectum earum; sed hoc propugnari minimè potest. Prob. min. Species sunt indivisibiles, secùs ingentis montis species non posset in modica recipi pupilla: ergo &c. a. quò ad a. p. Si assignabilis foret effectiva causa, maximè objectum; sed hoc non: ergo &c. Prob. min. Unum contrariorum nequit esse alterius productivum; sed species, & objectum sunt contraria, quia species est immaterialis, & objectum non raro est immateriale: ergo &c.

Resp. nego ant. quò ad utramque p. Ad 1. prob. nego min. ad cujus prob. dico, quòd species est indivisibilis *ut quod*, divisibilis tamen eminenter, & *ut quo*, non aliter ac supra de formis animalium perfectorum, ac cujuslibet rei existentia dictum est; Vid. ibi

Ad 2. dist. considerato objecto secundùm se, concedo, ut agit actione formæ elevatæ per influxum corporum cœlestium, ut motorum ab intelligentia, quæ spiritualis est, nego min. & conseq.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num species impressa sit formalis, an vero virtualis duntaxat similitudo sui objecti.

§. I.

1. Noli controversiam istam cum eam, quam sequenti art. ventilabimus ut plerique in m. s. cujusdam eximii ea nostris faciunt confundere. Quandoquidem optimè stat, similitudinem formalem alterius rei non esse ipsam rem, cum imago Principis sit ejus formalis similitudo, nec tamen sit ejusdem Principis natura, nec etiam in esse repræsentativo, cen quid artefactum.

Tribus autem potest modis unum esse alterius repræsentativum. Primò præcisè virtualiter ut medium purè objectivum priùs cognitum; quo pacto fomus ignem, & quilibet universim effectus suam repræsentat causam quò ad an est. 2. virtualiter eminenter, quatenus virtualiter eminenter unum continet in sui virtute aliud; quo pacto creaturas Deus repræsentat. 3. formaliter; quo pacto imago Principis est formalis principis similitudo. Et hoc modo adhuc dupliciter, nimirum vel ut similitudo analoga quando nempe exhibet aliud secundùm rationem duntaxat communem; vel univoca, quando scilicet repræsentat aliud quò ad rationem ultimam specificam.

2. Primæ sententiæ placet, esse similitudinem duntaxat virtualem. Huic adhæret Suarez cum plerisque Exteris, & prælaudato in m. s. Secunda, quam unanimis hic defendit Thomistica Schola est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Species impressa est formalis objecti sui similitudo.

3. Consentit Philos. hic 2. de Anima tex. 131. & S. Th. ibidem, docentes, speciem esse imaginem objecti ad eum modum, quo imago sigilli aurei, vel ænei recipitur in cera sine materia auri, vel æris. Nec dicere juverit, eos non omnimodam intendere paritatem. Non, inquam. Ibidem siquidem vocant speciem modò picturam objecti, modo figuram sensibilis; præsertim verò S. Thom. lib. de Mem. & Remin. lect. 3. vocat speciem picturam, & effigiem rei. Et

Prob. 1. Primordiale prædicatum repertum in re aliqua est for-

est formaliter, & non tantùm virtualiter tale; sed esse objecti repræsentativam similitudinem est primordiale prædicatum in specie repertum, loquendo saltem de prædicato specifico (quicquid sit de aliis, de quibus lib. 3. vestigando *quomodo ad eam concurrat phantasma* ad 2.) ergo &c. Maj. palam est inductivè in omnibus; qua etiam ratione Sol est formaliter lucidus, & virtualiter duntaxat calidus; quia esse lucidum est primum prædicatum. Min. prob. Species est à natura per se primò intenta ut repræsentativa objecti similitudo; ergo &c. Prob. ant. Species est à natura instituta ob cognoscitivæ potentiæ indigentiam; sed potentia non indiget specie, nisi ut ei repræsentetur objectum: ergo &c. Ad eum modum, quo quia substantia non indiget potentiis, nisi propter operationem, istæ sunt per se primò propter operationem à natura intentæ.

Conf. Quæ sunt per se primò intenta ut sint, habent esse formaliter, quæ sunt per se primò intenta ad operandum, uti sunt potentiæ operativæ sunt formaliter operativæ: ergo à pari quæ &c.

4. Prob 2. adversus Nostrates nobis adversantes. Species expressa est formalis similitudo sui objecti: ergo & impressa. Ant. est D. Th. p. p. q. 27. art. 2. ubi probat, Verbi processionem esse generationem, quia est processio viventis in similitudinem in eadem natura. Probat autem esse in similitudinem, quia universaliter conceptio intellectus, quæ species est expressa procedit ut similitudo rei intellectæ. Conseq. prob. Tum quia eadem videtur ratio de utraque. Tum quia quemadmodum species impressa est similitudo objecti per modum actus primi, ita species expressa est similitudo per modum actus secundi: ergo sicut ista est formalis similitudo per modum actus secundi, ita illa erit formalis similitudo per modum actus primi. Tum demum quia species expressa procedit ut similis impressæ. Procedit namque ab impressa per veram generationem vitalem (licèt intentionalem) quæ debet esse origo in similitudine naturæ.

Conf. Universi Thomistæ cum D. Th. probant, extare non posse in Beatis speciem creatam repræsentativam Divinæ Essentiæ, quia cùm species sit æqualis immaterialitatis cum objecto, talis species creata foret actus purus, non secùs, ac Essentia Divina: ergo jam habetur, quòd species debet similem sortiri immaterialitatem, imò majorem, adeoque debet esse formaliter similis.

Ad ratiocinationem factam respondet dupliciter prælaudatus in m. s. Primò dato ant. negando conseq. quia, inquit ipse actus secundus debet esse perfectior, & immaterialior actu primo. Nec species expressa (subdit idem) procedit ab impressa tanquam à causa principali, sed tanquam ab instrumentaria causa: ad eum modum, quo Filius procedit à semine ut ab instrumento. Species namque impressa se habet ut semen objecti.

Secundò. negando ant. Ad prob. dicit, S. Th. probare, quòd procedit Verbum ut simile, non quia universaliter species expressa procedat ut similitudo rei intellectæ; sed probat ex eo, quod intelligere Dei est esse Dei.

Verùm primum responsum explosum jam remanet ex dictis. Quemadmodum namque species expressa est similitudo perfectior, & per modum actus secundi, ita impressa est similitudo per modum actus primi, & imperfectior: ergo sicut expressa est formalis similitudo perfectior per modum actus secundi, ita impressa erit similitudo formalis per modum actus primi, & imperfectior. Contra verò id, quod subditur insto. Quandoquidem causa principalis nequit esse objectum secundùm se, cùm persæpè materiale sit: ergo causa principalis debet esse species impressa. De quo iterum §. sequenti ad 1. sub finem.

Alterum autem responsum haud dignum videtur, quod ab aliquo ex Thomistis, ne dicam Catholicis proferatur. Etiam namque velle Dei est esse Dei, & tamen non sequitur, Spiritum sanctum procedentem per voluntatem procedere ut formaliter genitum, & similem. Ex eo autem, quod intelligere Dei sit esse Dei S. Th. duntaxat probat, Verbum esse consubstantialem Patri in natura.

5. Prob. demum à sufficienti divisione. Species impressa nequit esse similitudo duntaxat virtualis, quia (ut num. 1. vidimus) ista repræsentat solummodo quò ad an est; Species autem exhibet objectum etiam quò ad quid est, & secundùm ultimam specificam rationem. Nec eminentialis, quia cùm sit effectus objecti, nequit esse forma eminens respectu ejusdem objecti; ergo &c.

§. III.

Proferuntur Adversariorum fundamenta.

6. ARg. 1. Species non alio modo debet poni similitudo objecti, nisi eo, quia requiritur, ut objectum per speciem possit ad sui cognitionem concurrere; sed ad hoc sufficit similitudo virtualis: ergo &c. Prob. min. 1. Ut vivens mediante semine concurrat ad propagationem suæ speciei sufficit, quod semen sit virtualiter simile generanti: ergo à pari &c. 2. Sol, & alia corpora cœlestia ut suos producant effectus in locis distantibus, satis est, diffundere qualitates virtualiter similes. 3. Sicut potentia concurrit mediante lumine cognoscitivo ad cognitionem, ita objectum mediante specie; sed lumen est duntaxat virtualiter similitudo potentiæ: ergo &c.

Resp. data maj. nego min. Ad 1. prob. nego conseq. Discrimen est, Tum quia semen non constituit generans in ratione generantis, benè verò species constituit objectum in ratione cognoscibilis. Tum quia species non est instrumentum ut n. 4. primam explodendo solutionem.

Contra. Etiam species impressa vocitatur semen, & vicaria objecti; ergo si &c.

Resp. dici semen impropriè, & duntaxat quantùm ad hoc, quòd quemadmodum semen fœminam fœcundat, cui imprimitur, ita species potentiam. Sunt autem in aliis discrimina assignata.

Inst. Quemadmodum causa principalis generationis est generans, ita causa principalis cognitionis est objectum repræsentatum per speciem, & ipsa cognoscitiva potentia: ergo species se habet solummodo ut semen. Ant. fundatur in eo, quod Aug. 9. de Trin. inquit *ex objecto, & potentia paritur notitia.*

Resp. nego conseq. Et suppositum consequentis. Objectum namque ut est in specie est ipsamet species.

Hoc autem admonitus sis, quòd dum dico, speciem esse causam principalem, non intendo, quòd sit causa principalis ex parte potentiæ (prout sic namque cùm habeat unicum principium constituere cum potentia, sicut ista est instrumentum Animæ, ita & species) sed intendo, esse causam principalem ex parte objecti, ita quòd non se habeat ut purum instrumentum, & semen objecti.

Ad 2. eadem est disparitas, quia hujuscemodi qualitates sunt instrumentum cœlestium corporum operantium. Præterea non repugnat, cœlestia esse causam principalem sublunarium, sicut pugnat, quod objectum secundùm suum esse entitativum sit principalis causa cognitionis.

Ad 3. Disparitas de se est conspicua. Non enim lumen est repræsentativum ipsius potentiæ, nec per se primò intentum ad repræsentandum.

7. Arg. 2. Si species impressa esset formalis similitudo objecti, intellectus absque expressa constitueretur in actu secundo intelligens; at hoc &c. ergo &c. Prob. maj. Tunc Intellectus est formaliter in actu secundo intelligens, quando est formaliter similis objecto; sed si species impressa foret formalis objecti similitudo, jam per illam foret similis formaliter intellectus absque expressa: ergo &c.

Resp. nego sequelam maj. Ad prob. dist. maj. quando est formaliter similis in actu secundo similitudine terminativa, concedo, in actu tantùm primo nego maj. & distincta min. nego conseq.

Dices. Quemadmodum species impressa, ita & habitus se tenet ex parte actus primi; sed habitus non est formalis similitudo objecti: ergo nec species impressa.

Si responderis, disparitatem esse, quia habitus non sunt per se primò intenti à natura ad repræsentandum, benè verò species.

Contra est. Ideo species impressa secundùm nos est formalis similitudo objecti, quia effectivè per generationem intentionalem causat Verbum; sed etiam habitus effectivè per generationem intentionalem causant Verbum, idest speciem impressam: ergo &c.

Resp. benè ibi: Ad oppugn. dist. min. causant Verbum absolutè, & simpliciter, nego, quò ad modum, concedo min. & nego, conseq. Habitus namque dantur ad cognoscendum, non quò ad substantiam, sed quò ad modum duntaxat, nimirum ad faciliter cognoscendum. Habitus siquidem dantur ad vincendas difficultates.

8. Arg. 3. Essentia Divina se habet per modum speciei

repræ-

repræsentativæ creaturarum; sed hoc non obstante virtualiter tantummodo præcontinet creaturas: ergo species impressa &c.

Resp. dist. maj. de secundariò, concedo, de primario, nego min. & conseq. De primario namque solam seipsam repræsentat.

9. Ex dictis collige, quòd quemadmodum imago artificialis V. G. Pictura est formalis similitudo sui prototypi, ita à fortiori species, quæ est imago naturalis objecti erit formalis illius similitudo. Quod licèt abnuat prælaudatus in m. s. temerè tamen, cum ut num. 3. scripsi, vocetur à D. Th. imago, effigies, & pictura: Imò est imago naturalis.

ARTICULUS TERTIUS.

Num species eandem specificè, & numericè habeat naturam objecti in esse repræsentativo.

§. I.

1. MEmento illius distinctionis persæpè à nobis memoratæ inter naturale, & intentionale; nec esse fictitiam, ut Suarez contendit. Exploratum namque est, quòd species actuat potentiam, non modò in esse entitativo, ut accidens est, verùm & in esse intentionali, ac repræsentativo. Præterea objectum unitur potentiæ, non secundùm esse naturale, sed duntaxat secundùm esse intentionale. De hoc fusiùs Nostrates 3. p. q. 12. agendo de Scientia Animæ Christi.

2. Nonnulli cum Marletta tom. 4. in p. p. quandam duntaxat proportionis unitatem admittunt. Alii, quos sequitur celeberrimus ex nostris quidam in m. s. citans Ledesmam, dicunt, quòd si inspiciatur species secundùm suam essentiam intrinsecè, est duntaxat virtualiter ipsa objecti natura. Si verò sumatur secundùm sui virtutem est formaliter ipsa objecti natura extrinsecè terminativè. Quem dicendi modum improbabilem reputat Godoy.

Alii cum Lerma, Godoy & Cav. tenent, speciem esse ipsam numero naturam objecti, non positivè, & realiter, sed negativè, & formaliter. Sicut namque natura humana in Sejo, & Cajo est una formaliter negativè specificè; quia non multiplicatur per principia materialia: ita natura objecti in specie, & extra speciem in se, est una negativè etiam individualiter, quia non multiplicatur per principia individualia, sed per diversum essendi modum physicum, & intentionalem, cum quibus realiter identificatur.

Quem dicendi modum (ultraquamquod id, quod de natura dicitur humana refutavimus in Logica) refellit prælaudatus in m. s. sic. Natura V. G. Caji est una numero: ergo repugnat quòd in Cajo, & repræsentante specie multiplex sit, tametsi talis multiplicatio non proveniat ex esse individuali; quia unitas individualis, & numerica importat unitatem realem. Præterea talis natura esset universalis, & non singularis, quia esset pluribus communicata, tametsi cum sui multiplicatione, ut facit universale. Demum individuum est immultiplicabile, sicut est immultiplicabile infinitum, quod est maximè unum; sed Essentia Divina, quia est infinita, est immultiplicabilis omnibus modis; ergo etiam &c.

Tandem Compl. infra lib. 3. & Salm. p. p. tract. 3. disp. 2. dub. 30. & disp. 4. dub. 5. secuti Capreolum, Cajet. Bannez, Nazarium, Gonzalez, aliosve insigniores Thomistas, profitentur, quòd species eandem positivè numero naturam habeat in esse intentionali cum objecto. Quibus probabiliter subscribo.

§. II.

CONCLUSIO.

Species eandem specificè, & numero positivè naturam habet in esse intentionali, & repræsentativo, quam habet objectum in esse natura.

3. NOn ita intelligenda conclusio venit, quasi quòd species contineat eandem numero naturam objecti reduplicativè ut est una numero; quia species intelligibiles non repræsentant directè singularia: sed specificativè, quod nimirum eandem contineat numero naturam, quæ talis numericè est in objecto; non secundùm esse entitativum; sed secundùm esse intentionale, & repræsentativum. Quo in sensu prænominati loquuntur Thomistæ.

Præter autem recensitos supra Thomistas conclusio est contra Suarez, Vasquez, Toletum, Molinam, Ruvium, & alios, inter quos Arriaga indignum dicit, asseverare, quòd Bos, Equus &c. sit in intellectu secundùm esse intentionale.

Favet tamen Philosophus 7. Meth. apud D. Th. ibi lect. 6. ubi *ab arte verò*, inquit, *fiunt quorumcunque species est in Anima; speciem quidem dico quodquid erat esse cujuslibet*. Luculentiùs autem loquitur S. Th. quodl. 8. art. 4. in corp. ubi *Intellectus*, inquit, *cognoscit ipsam naturam, & substantiam rei, undè species intelligibilis est similitudo essentiæ rei, & est quodammodo ipsa quidditas, & natura rei secundùm esse intelligibile, non secundùm esse naturale, prout est in rebus*. Ubi Angelicus illam apposuit diminutivam dictionem *quodammodo* quæ est diminutiva, non quasi velit, non habere eandem naturam simpliciter in esse intentionali; sed ad significandum, quòd non habet illam omni modo, nimirum etiam in esse naturali.

Consonat etiam cum iis, quæ S. habet Aug. 2. super Genes. ad litt. cap. 67. & 8. ubi docet, easdem naturas, quas Deus in hoc produxit Mundo visibiliter priùs produxisse intelligibiliter, producendo species intelligibiles eorum in mentibus Angelorum. Itaque linguam compescat suam Arriaga, indignum compellans, quòd tantus & Doctor, & Sanctus dignum declamat.

4. Probo 1. ratiocinio D. Th. sic. Species continet in esse intentionali, & repræsentativo id, quod repræsentat; sed repræsentat eandem prorsus numero naturam objecti: ergo species continet in esse intentionali eandem numero naturam, quam habet objectum in esse naturali. Min. est manifesta. Id namque repræsentatur per speciem, quod potentia per speciem cognoscit, sed per speciem eadem numero cognoscitur objecti natura: ergo &c. Maj. verò prob. Continere in esse intentionali, & repræsentativo, est continere intentionaliter repræsentativè; sed species continet intentionaliter repræsentativè id, quod repræsentat: ergo &c. Maj. est conspicua ex terminis. Quemadmodum namque continere in esse entitativo est continere entitativè, ita continere in esse intentionali, & repræsentativo est continere intentionaliter repræsentativè. Min. quoque videtur palam, & ostenditur. Quandoquidem quod efficit, vel potest efficere aliud, dicitur continere illud effectivè, cujusmodi est causa efficiens, quæ continet effectivè suos effectus: ergo à pari quod repræsentat aliud dicitur continere illud repræsentativè, & intentionaliter.

Dices, sufficiens esse, quòd contineat assimilativè, at non identificativè, seu quod habeat naturam similem. Vel cum prælaudato in m. s. satis esse, quòd contineat virtualiter eandem naturam, at non formaliter identicè. Sed

Contra primam. Per speciem cognoscitur eadem, & non tantùm similis natura objecti: ergo eandem, & non tantùm similem naturam species continet.

Contra secundam. In genere causæ formalis non extat continentia virtualis, cùm, ut persæpè diximus, causet per traditionem suæ entitatis; sed species continet objectum in genere causæ formalis: ergo &c. Prob. min. Licèt namque ad cognitionem effectivè concurrat, tamen repræsentare objectum est illius effectus formalis. Cùm namque sit forma intentionalis non alius est illius formalis effectus excogitabilis in esse intentionali specificus. Inhærere namque convenit illi ut accidens est, & ut effectus formalis genericus, non verò ut species est.

Adde art. prægresso probatum esse, quòd species est formalis, & non tantùm virtualis objecti similitudo.

§. III.

Argumenta dissolvuntur ex adverso facta.

5. ARg. 1. Repugnat, quòd species eandem numero objecti naturam habeat in esse intentionali, & non habeat in esse naturali entitativo; sed nequit continere in esse naturali: ergo neque &c. Prob. maj. Quæcunque sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; sed si species eandem contineret objecti naturam in esse intentionali, esse naturale speciei, & esse naturale objecti essent identificata cum modo

essendi

essendi intentionali: ergo identificarentur quoque in esse naturali, adeoque &c. Prob. min. Esse intentionale, sicut etiam esse cognoscibile est proprietas metaphysica rei: ergo &c.

Conf. ex Godoy. Magis distant inter se modus essendi physicus, & modus essendi intentionalis, quàm duo modi essendi physici: ergo si nequeunt duo modi physici realiter inter se distincti identificari realiter cum tertio, nec eidem naturæ positivè, multò minùs physicus, & intentionalis.

Resp. ad arg. nego maj. Ad prob. dist. maj. quæ sunt eadem omnimodè, concedo, secùs, nego maj. & distinguo min. essent identificata identitate opposita distinctioni entitativæ naturali, concedo, opposita distinctioni reali intentionali, nego min. ad cujus prob. dist. ant. esse intentionale, & intelligibile remotè & radicaliter est proprietas metaphysica rei, concedo, proximè; & formaliter, nego ant. & conseq. Modus itaque essendi physicus, & intentionalis licèt non distinguantur realiter in esse naturali entitativo materiali, quia modus intentionalis non habet tale esse naturale; distinguuntur tamen distinctione reali intentionali. Et licèt esse intentionale, & cognoscibile sit proprietas entitatis, si sumatur remotè, & radicaliter; secùs tamen acceptum formaliter, & proximè; quia hoc modo habetur, non ab entitate, sed à specie.

Qua ea re etiam deprehendes, quomodo duæ species eodem ab objecto productæ possunt distingui realiter in esse naturali, & identificari in esse intentionali; quia nempe esse naturale, & esse intentionale sunt diversa.

Eadem ex re habetur solutio ad Conf. Negatur namque suppositum consequentis, in quo supponitur, quòd modi essendi physicus, & intentionalis realiter identificentur.

Contra. Distinctio intentionalis est pura distinctio rationis: ergo solutio nulla. Prob. ant. Distinctio intentionalis est mera distinctio in esse objectivo, cùm esse intentionale sit esse objectivè: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. in esse objectivo purè terminativè, nego, motivè simul, & terminativè, concedo ant. & nego conseq. Quemadmodum namque esse intentionale, quod habet objectum in specie non est purum esse rationis, cùm species realiter, & non purè fictitiè repræsentet objectum: ita quoque distinctio intentionalis est, non pura distinctio rationis, sed realis, non quidem naturalis; sed intentionalis, habens esse objectivè: non tamen purè ut purus terminus, & effectus cognitionis, uti est ens rationis; sed motivè, nimirum ut quid habens prius esse, per quod moveat potentiam ad cognitionem.

Inst. ex Godoy. Natura objecti ad extra identificatur cum physica entitate ipsius: ergo nequit habere talem modum essendi intentionalem in specie, si semel iste modus realiter distinguitur à modo essendi physico naturali.

Resp. dist. ant. identificatur realiter identitate entitativa, concedo, intentionali, subdistinguo positivè, nego, negativè, concedo ant. & nego conseq. Natura namque præscindit ab hoc, quod identificetur, vel distinguatur realiter intentionaliter ab entitate physica. Ob idque potest etiam realiter intentionaliter distingui, dum habet modum intentionalem essendi in specie.

Ea ex re sequitur, quòd optimè in nostra sent. potest salvari, quòd destructo objecto in esse naturali non destruantur species, sed possit ista perseverare in potentiis conservata; quia licèt sit eadem natura in specie, & objecto, tamen distinguitur realiter intentionaliter, sicque potest remanere intentionaliter in specie natura destructa entitativè in esse naturali materiali.

6. Arg. 2. Species interdum est accidens ubi objectum est substantia: ergo &c.

Conf. Complura conveniunt objecto, quæ non conveniunt speciei: ergo &c. Prob. ant. Verum est primò, quòd albedo, & nigredo in invicem contrariantur, non sic verò species illas repræsentantes. 2. de sensibili immediatè posito supra sensum verum est, quòd impediat sensationem, non verò de specie. 3. de objecto verum extat, quòd sit sensibile *ut quod*, non verò de specie: ergo &c.

Resp. ad arg dist. ant. in esse naturali entitativo, concedo, in esse intentionali, & repræsentativo, nego ant. & conseq. Species namque, ut persæpè diximus in esse intentionali, & repræsentativo est substantia, aut accidens, prout est objectum, estò in esse entis sit semper in nobis accidens.

Ad Conf. Resp. omnia illa de objecto vera esse in esse naturali entitativo, at non in esse intentionali, & repræsentativo.

7. Arg. 3. Nequit idem effectivè causare seipsum; sed si species eandem numero contineret objecti naturam, idem effectivè causaret seipsum: ergo &c. Prob. min. 1. Species domus residens in mente Artificis concurrit ad domum ad extra causandam concursu non tantùm ideali, verùm etiam effectivo in frequentiori sententia: ergo si &c. 2. Objectum sensibile externum (ut art. 1. ad ult. vidimus) est causa effectiva specierum sensibilium nedum in esse entitativo, verùm etiam in esse repræsentativo: ergo cùm, ut vidimus, species causet objectum etiam ad extra V. G. species domus existens in mente artificis causet effectivè domum, jam &c.

Resp. dist. maj. secundùm idem, concedo, secundùm diversa, nego maj. & distinguo min. causaret seipsum secundùm diversa, concedo, secundùm idem, nego min. & conseq. Species domus existens in Architecti mente causat naturam domus, non secundùm quod illam continet in se, sed secundùm alium modum essendi. Continet siquidem sub modo essendi intentionali, & causat illam sub modo essendi physico, & naturali. Nitet hoc in fine, qui existens in intentione causat seipsum in executione.

Ad 2. prob. quæ posset esse responsi hujus oppugnatio, non est cur respondeamus. Quandoquidem species, per quam Architectus domum struit, non est causata à domo struenda, cum nondum illa extstat, sed ab altera simili domo, vel ex diversarum domorum speciebus, cùm ex præconceptis speciebus etiam Phantasia formet tertiam speciem.

Dices contra responsum datum ad primam. Identitas realis inter principium *quo*, & terminum *quo* productionis est speciale, & proprium in Divinis: ergo nequit reperiri in creatis.

Resp. quòd est proprium in Divinis sub eodem essendi modo physico; in creatis verò invenitur sub diverso modo, physico nimirum, & intentionali.

Inst. ex Godoy. Quod eadem numero natura creata nequeat realiter indentificari duobus extremis physicis, oritur ex limitatione ipsius in linea physica; sed natura creata est finita & limitata etiam ut præscindit à modo physico, & intentionali: ergo nec cum modis physico, & intentionali potest identificari.

Resp. quòd non dicimus, identificari realiter, cùm dicamus, distingui realiter intentionaliter à modo essendi physico.

8. Arg. 4. species dicit relationem realem prædicamentalem similitudinis, & convenientiæ ad objectum; sed relatio realis prædicamentalis versatur inter duo realiter distincta; ergo &c. Min. innotescit, cùm nihil realiter ad seipsum referatur, secùs nec foret necesse, personas Divinas distingui realiter. Maj. prob. Inter imaginem, sive effigiem, & effigiatum realis extat prædicamentalis relatio; sed species est similitudo, imago, & effigies objecti: ergo &c.

Resp. nego absolutè maj. Ad prob. dist. maj. inter effigiem artificialem, & artificiatum, concedo; inter effigiem naturalem, & ipsum effigiatum, nego maj. & distincta min. nego conseq. Quamvis igitur figura, & effigies artificialis dicat relationem prædicamentalem similitudinis ad effigiatum, non tamen effigies, sive similitudo naturalis. Ratio est, quia quemadmodum figura naturalis, nimirum statura, delineamenta, &c. naturalia in esse naturali, & entitativo sunt ipsa entitas extrinsecæ dispositionis Titii: ita similitudo naturalis in esse intentionali naturæ Titii est ipsa entitas naturæ Titii, tamen in esse intentionali; sicque dicere nequit relationem prædicamentalem ad illam etiam in esse intentionali. Non enim dicitur naturalis quasi habeat esse naturale entitativum physicum, sed quia à natura, & suapte natura est similitudo. Et hæc potest alia esse pro nostra conclusione probatio. Vide quæst. 1. art. 2. num. 6. in fine.

Contra. Mensuram inter & mensurabile prædicamentalis extat relatio; sed species est quid mensurabile, & objectum mensura, cùm species specificetur ab objecto: ergo &c.

Resp. dist. maj. inter mensuram, & mensurabile per se, concedo, mensurabile per accidens, nego maj. & distinguo min. est quid mensurabile ratione naturæ, nego, ratione

ſtatus, & modi eſſendi, concedo min. & nego conſeq. Natura etenim, quæ eſt in ſpecie eſt menſurabilis à natura, quæ eſt in objecto, non per ſe, ſed per accidens, nimirum per aliud, videlicet ratione ſtatus, & modi eſſendi, quem habet, nempe intentionalis.

Animadverte tamen, quòd non dicimus, ſtatum intentionalem ſpecificari ab objecto; ſed dicimus, eſſe id, per quod natura ſpeciei menſuratur ab objecto. Ex quo fit, quòd natura dicatur menſurabilis per accidens, non verò per ſe. Tota tamen ſpecies abſolutè loquendo dicitur menſurari per ſe ab objecto, & ſpecificari ab illo; quia ſpecies adæquatè accepta importat per ſe primò utrumque, nimirum & naturam, & eſſe intentionale.

Vel, & ſatiùs, dico quòd inter menſuram, & menſurabile menſurabilitate naturali entitativa exurgit relatio prædicamentalis, ſecùs verò menſuram inter, & menſurabile menſurabilitate purè intentionali; quia relatio prædicamentalis eſt unum ex generibus accidentium in eſſe naturali entitativo.

9. Arg. 5. noſtram oppugnando ratiocinationem. Ideo ſpecies eandem numero cum objecto naturam obtinet, quia eandem repræſentat numero naturam; ſed etiam imago tametſi non habeat eandem numero naturam cum prototypo V. G. pictura repræſentat ejuſdem numero naturam, cùm faciat venire in cognitionem ejuſdem numero; ergo &c.

Reſp. diſt. min. repræſentat tanquam medium *in quo*, & *ex quo*, concedo, tanquam medium *quo*, nego min. & conſeq. Species namque eſt præcisè medium *quo*, ſecùs deberet eſſe priùs cognita ſicut pictura. Adde quòd pictura non repræſentat ſuapte natura & ut natura, ſed ad imitationem naturæ. Species verò eſt imago facta à natura, & non ab arte imitatrice naturæ.

10. Arg. 6. ex Godoy. Species impreſſa, & expreſſa eſſentialiter diſtinguuntur: ergo intra genus intentionale debent gaudere prædicatis eſſentialiter diverſis, adeoque nequeunt convenire in hoc, quòd ſint ipſum objectum in eſſe intentionali; ſed hoc eſſet, ſi ſpecies eandem ſortiretur numero naturam cum objecto, quia cùm utraque idem numero repræſentaret objectum, deberet utraque eandem obtinere naturam: ergo &c.

Reſp. quod probat, nec eandem ſpecificè habere naturam, cùm ſpecies impreſſa & expreſſa ſint ſpecificè diverſæ. Præterea in forma diſt. ant. eſſentialiter diſtinguuntur ratione naturæ, quam continent, & repræſentant, nego, ratione diverſi eſſentialiter modi repræſentandi, & continendi talem naturam, concedo ant. & nego conſeq. Eſtque eadem natura, quæ ponitur in diverſo eſſentialiter ſtatu intentionali, illi conveniente ſecundùm diverſam rationem, nimirum ſecundùm quòd reſpicit intellectum ut potentem proximè intelligere, & ut acta intelligentem.

Inſt. ex eodem. Quæ diſtinguuntur ſecundùm producens, & productum, diſtinguuntur realiter in natura; ſed ſpecies impreſſa, & expreſſa diſtinguuntur ſecundùm producens, & productam: ergo &c. Prob. min. Intellectus ſpecie impreſſa fœcundatus unà cum illa eſt principium effectivum producens impreſſam.

Reſp. diſt. maj. Si productio ſit terminata ad entitatem, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Talis ſiquidem productio terminatur, non ad naturam, ſed ad diverſam illum modum continendi, & repræſentandi. Qui modus, ut diximus, diſtinguitur realiter à natura diſtinctione reali intentionali.

11. Arg. poſtremò S. Th. p. p. q. 24. art. 2. *In verbo*, inquit, *ſeu ſpecie expreſſa procedente ab intellectu noſtro eſt ſimilitudo rei intellectæ, ſed non naturæ identitas* & q. 12. art. 2. *res*, inquit, *viſa non poteſt eſſe in oculo per ſuam entitatem, ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem, ſicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, non tamen ipſa ſubſtantia lapidis*. Præterea ibidem in calce articuli vocat lumen gloriæ ſimilitudinem ſe tenentem ex parte potentiæ, ſicut ſpeciem appellat ſimilitudinem ex parte objecti; ſed lumen gloriæ dicitur ſimilitudo ex parte potentiæ virtualiter duntaxat, quia eſt virtus intrinſeca, qua mediante concurrit ad cognitionem: ergo etiam ſpecies, &c.

Reſp. ad 1. authoritatem, S. Th. negare identitatem naturæ ſecundùm modum, & cum modo eſſendi, quem habet ad extra, nimirum entitativum, & naturalem. Idem dic ad 2.

Contra ex perſæpè laudato in m. ſ. S. Th. eo modo negat identitatem naturæ, quo modo admittit ſimilitudinem; ſed admittit ſimilitudinem in eſſe intentionali (non enim poteſt admittere ſecundùm eſſe phyſicum, & naturale, ac cum modo eſſendi phyſicè, & naturaliter) ergo negat identitatem in eſſe intentionali.

Reſp. diſt. maj. ſumpta ipſa ſimilitudine pro ipſa identitate in eſſe intentionali, concedo, ſecùs, nego maj. & data, vel diſtincta min. nego conſeq. Ut namque vidimus num. 3. S. Th. nomine ſimilitudinis in ſpecie intelligit identitatem in eſſe intentionali.

Ad 3. auth. Reſp. quòd ſumit ibi ſpeciem ut eſt principium effectivum cognitionis, cujus principium effectivum eſt etiam lumen gloriæ; non verò ut eſt repræſentativa objecti, cujus non eſt repræſentativum non eſt lumen gloriæ.

12. Ex dictis num. 9. collige, quòd ſpecies, non ſolùm impreſſa, verùm etiam expreſſa continet in eſſe intentionali eandem numero naturam quam habet objectum in eſſe ad extra phyſico, & naturali; quia eadem ratio eſt de utraque, imò magis de expreſſa, eò quòd iſta perfectiori modo repræſentat eandem numero objecti naturam.

ARTICULUS QUARTUS.

Num ſpecies uniatur in eſſe intentionali cum potentia per identitatem cum illa.

§. I.

1. ANnuunt Compl. hic lib. 3. & Salmant. p. p. de Scientia Dei tr. 3. diſp. 2. dub. 2. Cajet. Bannez, Zumel, Nazar. Gonzalez, Jo. à S. Th. hic q. 6. art. 3. Arnù hic lib. 3. q. 19. art. 2. Cav. autumans neceſſarium ſic loqui, ut cohærenter procedatur ad dict. antegreſſo art. & noviſſimè Goerinois, dicens, ſic docere communiter Thomiſtas.

Abnuunt verò Martinez, Ferrarienſis, Hervæus, Godoy tract. de Scientia Dei, quibus aſſipulatur toties ille à nobis commendatus in m. ſ. Abnuunt quoque ferè omnes Exteri.

§. II.

CONCLUSIO ABNUENS.

2. ABnuit & S. Th. qui p. p. q. 55. art. 1. ad 2. ubi explicatè docet, *vim ſenſitivam non eſſe ipſam ſimilitudinem rei ſenſibilis, ſed ex utraque fieri unum, ſicut ex actu & potentia*. Ubi negat identitatem non tantùm in eſſe naturali entitativo (ut pars adverſa ſe tutatur) verùm & in eſſe intentionali. Quandoquidem docet fieri unum, quia ex potentia & ſpecie fit unum cognitionis principium; ſed ſunt unum principium cognitionis ſecundùm eſſe intentionale; ergo vult fieri unum, & non idem in eſſe intentionali.

3. Prob. 1. Non ſtat realis ſeparabilitas abſque reali diſtinctione; ſed ſpecies eſt realiter ſeparabilis à potentia cum qua unitur: ergo &c. Maj. fusè probata eſt in Logica Syntag. q. 4. art. 3. §. 2. ratione 2. Min. eſt tam certa, quàm certum eſt, potentiam deperdere poſſe ſpecies, & eas reapſa amitti à ſenſibus externis in abſentia objecti vidimus ſupra.

Cavinus non confugiens ad diſtinctionem illam potentialem, quam nobiſcum in Logica refutavit, Reſpondet dicens, ex noſtra ratiocinatione duntaxat ſequi, quòd ſpecies non identificetur cum potentia intra genus entitativum.

Verùm enim verò, cùm ſeparetur etiam ſecundùm eſſe intentionale, fatendum eſt, etiam ſecundùm eſſe intentionale realiter diſtingui.

4. Prob. 2. Quia ſequeretur, Divinam Eſſentiam identificari in eſſe intentionali cum intellectu Beatorum; quia ſecundùm D. Th. in 4. diſt. 46. q. 2. art. 1. in corp. *Divina Eſſentia eſt forma*; qua conſtituantur Beati in actu primo ad videndum. Nequit autem infinitum cum finito identificari.

Neque juverit quondam eam Recentiori reſpondere poſſe identificari modo finito, vel cum Cav. finitè.

Non, inquam: Etenim Eſſentia Divina, non minùs in eſſe intentionali, quàm in eſſe phyſico eſt infinita, cùm in omni linea ſit actus puriſſimus; ſed quia eſt infinita in

eſſa

esse physico, & entitativo nequit in hoc genere identificari cum aliquo finito nec etiam modo finito, sive finitè, secùs dici posset sustineri hæresis Eutychetis, quòd Divini Verbi natura in Christo sit identificata cum natura humana: ergo neque in esse intentionali potest infinitum cum finito finitè identificari: De quo iterum num.6.

§. III.

Adversariorum dissolvuntur argumentationes.

5. ARg.1. Ex Cav. Intellectus in actu est ipsum intelligibile in actu; sed non ita esset, nisi species esset identificata cum potentia: ergo &c. Maj. est Arist. apud D. Th. q.a. de ver. art.2. in corp. ubi etiam docet, quòd Anima est quodammodo omnia.

Resp. dist. maj. est ipsum intelligibile in actu unitivè, & assimilativè, concedo, identitativè, nego maj. & distincta min. nego conseq.

Contra. Tametsi duo correlativa, V.G. duo alba sunt similia inter se; non tamen dicitur, quòd unum sit aliud: similiter licèt materia intimè uniatur formæ, non tamen dicitur, materiam esse formam, aut è contra: ergo si S. Th. dicit &c.

Resp. nego conseq. Discrimen est, quia similitudo, & unio in esse intentionali est præ omnibus aliis similitudinibus, & unionibus perfecta, adeoque præ cunctis ad identitatem accedit.

Inst. Juxta commune proloquium, & responsum mox datum magis fit unum ex intellectu, & objecto, quàm ex materia, & forma; sed ex materia & forma fit unum per unionem, & compositionem; ergo ex intellectu, & objecto fiet unum per identitatem.

Resp. data maj. & min. nego conseq. In linea namque unionis, &c. extat latitudo penès magis, & minus. Ob idque sat est, quòd ex objecto, & potentia fiat compositio immaterialis, & in linea intentionali.

6. Arg.2. Species inspecta formaliter secundùm esse intentionale, & repræsentativum, unitur potentiæ, non per inhærentiam, nec per informationem: ergo per identitatem. Ant. prob. Forma, quæ unitur per inhærentiam est accidentalis, & forma, quæ unitur per informationem est forma substantialis; sed esse substantialem, vel accidentalem de materiali se habet respectu speciei: ergo &c. Maj. ultraquamquod est doctrina non infrequenter à nobis data, ex eo evincitur, quòd ejusdem rationis est species in esse repræsentativo sive sit accidens, sive sit substantia; cùm cognitio ejusdem rationis sit, sive species ejusdem objecti repræsentativa sit substantialis, sive accidentalis, V.G ejusdem rationis est cognitio, qua Angelus V.G. Gabriel cognoscit seipsum per sui substantiam. & qua cognoscitur à Michaele per illius speciem accidentalem.

Resp. nego ant. quò ad 2. p. Ad prob. dist. maj. forma, quæ unitur per informationem in esse entitativo est substantialis, concedo, quæ unitur per informationem in esse intentionali, nego maj. & data min. nego conseq.

Contra. Forma, quæ unitur per informationem in esse entitativo est substantialis in esse entitativo: ergo quæ unitur per informationem in esse intentionali erit substantialis in esse intentionali.

Resp. dato ant. nego conseq. & suppositum consequenti. Supponit namque, quòd ratio substantiæ, & accidentis extendatur ad lineam etiam intentionalem. Hoc autem falsum planè est. Linea siquidem intentionalis est de linea objecti, & de linea cognoscibili; linea autem substantiæ, & linea accidentis est duntaxat de linea entis, à qua (ut antegresso art. n.5. vidimus) distinguitur realiter distinctione reali intentionali ipsa intentionalis linea.

Inst. Forma, quæ unitur per informationem, sicut & illa, quæ per inhærentiam unitur, limitatur à subjecto, & fit hæc individua; sed species non limitatur in esse intentionali, & repræsentativo per unionem cum intellectu: ergo &c. Prob. min. Quandoquidem species repræsentativa Hominis in communi tametsi uniatur intellectui singulari remanet universalis in repræsentando: ergo &c.

Resp. dist. maj. quæ unitur per informationem, vel inhærentiam in esse naturali, & entitativo, concedo, quæ unitur in esse intentionali, & repræsentativo, nego maj. & data min. dist. consequens eodem modo. Forma etenim, quæ unitur cum potentia in esse intentionali, tametsi unitur per informationem non limitatur, nec determinatur; quia hoc pacto unitur modo quodam elevato, & immateriali.

7. Arg.3. invertendo ratiocinium nostrum supra n.3 Nisi per identitatem species uniretur cognoscitivæ potentiæ, nullum foret assignabile discrimen, propter quod Essentia Divina possit uniri intellectui in ratione formæ intelligibilis, non verò materiæ primæ, vel alteri subjecto in ratione formæ naturalis; quia utraque unio foret per modum partis, per informationem, ac per compositionem, & non per identitatem.

Resp. discrimen me assignaturum Deo dante in tract. de Incarn. q.5 art.5. concl.2. ad quartam positam in 4. arg. quia nimirum forma naturalis se tenet ex parte subjecti, forma verò intentionalis se tenet ex parte objecti, & respicit potentiam, non ut subjectum, sed ut comprincipium.

Dices. Forma etiam intentionalis, uti diximus, unitur cum potentia per informationem; sed informatio respicit subjectum ut subjectum: ergo &c.

Resp. data maj. dist. min. respicit subjectum ut subjectum subjectione objectiva, concedo, subjectione subjectiva, subdistinguo si sit informatio in esse entitativo, concedo, in esse intentionali, nego min. & conseq. Esse namque intentionale est esse objectivè, & terminativè Ob idque informatio in esse intentionali estò sit ad subjectum subjectione objectiva, non tamen subjectione subjectiva. Quod plenius dicam loco citato de Incarnatione.

Nec est verum, quòd etiam unio in esse intentionali fiat ad constituendum aliquod tertium, quemadmodum unio in esse naturali fit ad constituendum aliquod tertium. Quod fusiùs ibi exponam.

ARTICULUS QUINTUS.

Num species impressa unà cum potentia effectivè concurrat ad cognitionem.

§. I.

1. AFfinis satis est controversia ista ei, quam habuimus in Logicæ Posterioristicis: nimirum concurrant ne effectivè præmissæ ad assensum conclusionis; Et magis ei; quam breviter habuimus in 2. Phys. videlicet ad quod causæ genus spectet idea? quam diximus ibi, reduci ad genus causæ etiam efficientis.

Prima sententia, quam ferè omnes propugnant Thomistæ absolutè annuit.

Secunda, quæ est Patris Bannez, sentit, quòd si species est accidens, concurrit effectivè; secùs verò si sit substantia, ut essentia Angeli in cognitione suipsius, & Essentia Divina respectu beatificæ visionis.

Tertia universaliter abnuit, & defensitat, speciem concurrere tantummodo ut conditionem, & per modum excitantis, ac determinantis potentiam ad cognitionem. Hanc sententiam amplexantur Toletus, Henricus, & ferè omnes Jesuitæ, eisque favere videtur Javellus, Xantes Matiales, & Marletta.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. CUi adest Philos. hic 2. de Anima tex.60. ubi dicit *sensibilia esse activa sensitivæ operationis*: ergo cum nequeant esse activa, nisi mediante specie, dicendum est &c. Adest quoque S. Th. tum p p. q.56. art.1. ubi dicit, quòd quemadmodum calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo. Videri etiam potest q.85. art.2. & q.2. de ver. art.6. sed calor est principium formale proximum effectivum calefactionis: ergo etiam &c. Tandem S. Aug 9. de Trinit. *ex objecto*, inquit, *& potentia pariter noritur*.

Prob. cum communi. Forma intrinseca, per quam agens operatur ad assimilandum sibi effectum in forma, per quam operatur, concurrit effectivè ad talem effectum; sed species est forma, per quam cognoscens efficit cognitionem similem, non tantùm sibi, verùm etiam ipsi speciei: ergo &c Maj. patescit. Siquidem quia natura humana est forma, per quam Homo radicaliter efficit Hominem assimilando illum sibi in natura, Homo per suam naturam radi-

caliter effectivè producit Hominem: ergo etiam forma, per quam agens proximè operatur ad assimilandum sibi effectum in forma, per quam agit, concurrit effectivè proximè. Et reapse omne agens assimilat sibi effectum, præsertim univocum. Min quoque elucescit. Cognitio namque specificatur ab objecto; sed similitudo objecti est species: ergo cognitio assimilatur speciei impressæ.

Conf. Potentia se sola non est principium effectivum speciei expressæ, cùm ista non assimiletur soli potentiæ, ut perspicuum est: ergo aliquod aliud requiritur principium proximum effectivum. Hoc autem haud aliud esse potest, nisi species impressa, cùm non sit aliud assignabile.

Ex quibus deducas, quòd non modò species, quæ est accidens, verùm etiam illa, quæ est substantia effectivè cum potentia concurrit ad cognitionem, cùm sit de utraque eadem assimilationis ratio.

§. III.

Solvuntur Obversariorum argumenta.

3. ARg. 1. Species concurrit ad cognitionem per suum esse intentionale; sed per suum esse intentionale nequit effectivè concurrere ad cognitionem: ergo &c. Maj. est palam. Non enim concurrit secundùm suum esse physicum naturale, & entitativum, puta ut accidens, vel substantia, cùm id, ut persæpè diximus, de materiali se habeat respectu speciei. Min. prob Esse intentionale nequit effectivè causare esse naturale, & physicum; sed cognitio habet esse, non modò intentionale, verùm etiam entitativum & naturale: ergo &c. Prob. maj. Nemo dat, quod non habet; sed esse intentionale non habet in se esse naturale, secùs non esset purum intentionale: ergo &c.

Conf. Unus, atque idem est concursus speciei, & objecti; sed objectum concurrit ad cognitionem extrinsecè specificativè: ergo &c.

Urg. Ad hoc, ut voluntas prodeat in actum sufficit, ut objectum purè ei applicetur, sufficitque concurrere applicativè, non verò opus est, concurrere effectivè: ergo à pari &c.

Resp. ad arg. dist. min. nequit se sola, concedo, unà cum potentia, nego min. & conseq. Species itaque efficit cognitionem simul cum potentia, quæ concurrit tum secundùm esse physicum, cùm secundùm esse intentionale: Idcircò simul conflando unum effectivum principium possunt causare cognitionem habentem esse physicum, & intentionale. Hinc sufficit, quòd duntaxat intentionaliter objectum existat in specie, ut locum habeat maxima illa, quod *unumquodque agit inquantum est in actu*.

Alia solutio videatur apud Lermam.

Ad Conf Resp. quòd secundùm diversam rationem concurrit utroque modo; nimirum ut est cognitionis terminus specificativè concurrit; ut verò se tenet ex parte potentiæ concurrit effectivè.

Ad id, quo urg. dato ant. nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quia voluntas non trahit objectum ad se, sed trahitur ab objecto, nec est assimilativa; Ob idque ejus amor non est aliquis partus. Intellectus autem trahit objectum ad se, & est assimilativus, ejusque cognitio est partus quidam intentionalis: ex objecto namque & potentia paritur notitia, ut S. Aug. 9. de Trinit. inquit.

4. Arg. 2. Ad actum vitalem nequit effectivè concurrere principium non vitale; sed species non est vitalis, cognitio verò est vitalis: ergo &c. Min. tam certa est, quàm certum est, quòd species provenit ab objecto extrinseco non vitali.

Conf. Si species effectivè concurreret ad cognitionem, etiam species concurrentes ad Fidei actum concurrerent effectivè; sed propugnari hoc minimè potest: ergo &c. Prob. min. Principium naturale nequit effectivè concurrere ad actum supernaturalem; sed species concurrentes ad Fidei actum sunt naturales, actus verò Fidei est supernaturalis: ergo &c.

Resp. ad arg instando de habitibus, qui vitales non sunt; & tamen effectivè concurrant ad actus vitales. Præterea posset cum nonnullis dici, quòd species concurrit ad cognitionem, non ut vitalem, sed quatenus cognitio determinata est. Ulteriùs cum Lerma, & Ferre Resp quòd species licèt secundùm se vitalis non sit, per conjunctionem tamen ad potentiam est connexivè vitalis. Quod sufficit ad hoc, ut unà cum potentia effectivè ad vitalem actum concurrat.

Contra. Phantasma est connexivè spirituale; & tamen nequit principaliter effectivè concurrere ad productionem speciei intelligibilis: ergo à pari tametsi &c.

Resp. quòd mehercle species concurrit ad cognitionem non principaliter (secùs concurreret ut principium radicale) sed instrumentale ex parte potentiæ, uti dixi art. 2. §. 3. num. 6. ad 1 arg. Verùm quia Salm. p. p. q. 12. disp. 2. de visione Dei, quos hic sequitur Cav. sentire videntur, quòd principaliter concurrat. Idcircò cum iisdem Resp. discrimen esse, quia species est vitalis nonnihil intrinsecè, cùm sit intrinseca potentiæ vitalis determinatio. At Phantasma ceu intra sensibilium ordinem, duntaxat extrinsecè objectivè per connexionem objectivam dici potest spirituale.

Ad Conf. quam ineluctabilem putat Marletta, nego min. Ad prob. dist. maj. se solo, concedo, ut elevatum, nego maj. & dist. min. & aliàs ad aliquam elevantur supernaturalitatem per conjunctionem ad habitum supernaturalem Fidei, concedo, secùs, nego min. & conseq.

5. Arg. 3. Si species activè concurreret ad cognitionem, principaliùs concurreret, quàm potentia; sed hoc est falsum; ergo &c. Prob maj. Id, quod est actus formalis in aliquo genere, & influit activè, principaliùs concurrit, quàm id, respectu cujus est actus, cùm ei tribuat virtutem agendi, qua ratione forma principaliùs concurrit, quàm materia; sed species se habet per modum formæ, & actus respectu potentiæ: ergo &c.

Resp. nego sequelam Ad prob. insto de habitibus. Præterea dico, maj. esse veram vel quando forma est principium radicale, vel si non est radicale, est tamen magis intima principio primo radicali. At non species, sed potentia est Animæ intimior ut ejus innata virtus.

6. Arg. 4. ex Bannez. Species, quæ est ratio agendi subordinatur potentiæ cognoscitivæ, sed species, quæ est substantia nequit potentiæ subordinari, quia quod est excellentius ut substantia Angeli, & à fortiori Essentia Divina, nequit subordinari rei inferioris ordinis, ut intellectui, qui in creatis est accidens: ergo species, quæ est substantia, nequit esse agendi ratio. Prob. maj. Species activè influens in cognitionem concurrit per modum principii *quo* agendi; sed principium *quo* agendi subordinatur principio *quod* nimirum potentiæ cognoscitivæ: ergo &c.

Conf. Si species, quæ est substantia, activè, seu, quod idem est, effectivè ad cognitionem sequeretur, substantiam esse immediatè operativam; consequens non admittit Thomista: ergo &c.

Resp. ad arg. dist. maj. Species, quæ non est superioris ordinis, concedo, quæ est superioris ordinis ad potentiam, nego maj. & distincta min. nego conseq. Quemadmodum namque forma corporis dependet à corpore; & tamen non ita dependet quando est superioris ordinis, ut est rationalis Anima: Ita &c.

Contra. Principium *quo* non valet sine principio *quod* operationem producere: & quodcunque sit illud dependere debet.

Resp. dist. ant. ex defectu sui, nego, ex defectu alterius, subdist. si ejusdem sit ordinis, concedo, secùs, nego ant. & conseq. Sicut namque hoc, quod est, non posse à Deo produci visionem Beati sine Beati intellectu, nullam in Deo arguit dependentiam ab intellectu Beati; quia id provenit, non ex defectu se tenente ex parte Dei, sed ex essentia talis actionis: Ita hoc, quod est, speciem, quæ est substantia, non posse cognitionem producere sine potentia nullam in tali specie arguit dependentiam; quia id provenit ex eo, quod talis actio ceu partus quidam petit esse ab intellectu, qui est suapte natura assimilativus.

Ad Conf. respondi 2. Phys. q. 1. art. unico §. 3. n. 14. ad ult. arg.

Arg. aliud de Essentia Divina solvi loco art. prægresso ad 3. citato.

Aliud fieri arg. posset, quòd quemadmodum species est complementum potentiæ cognoscitivæ, ita existentia est complementum essentiæ, & subsistentia complementum substantiæ; sed existentia, & subsistentia non concurrunt effectivè ad operationem: ergo neque &c. Verùm argumenti hujus solutio tradita est in Logica Syntag. ult. ad Post. lib. q. 1. art. 1. §. 3. in secundo colligendo. Illò adeas.

LIBER TERTIUS DE ANIMA.



Librum secundum Deo juvante ad exitum perduximus. Reliquum est, ut tertium utilissimum, & pulcherrimum de rationali Anima adoriamur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Anima rationali secundùm se.

De rationali Anima separata pertractaturus in Meth. q. 13. impræsentiarum mitto.

ARTICULUS PRIMUS.

Possit ne Rationalis Animæ immortalitas naturali ratione demonstrativè probari.

§. I.

1. Catholicorum nemini dubium esse potest rationalem Animam mortis esse expertem, ceu illud, quod non modò Fide certum, sed & Fidei, ac salutis fundamentum. Ob idque complures sacræ paginæ authoritates legi apud Compl. possunt hic disp. 15. q. 2. §. 2. & apud Guerinois hic q. ult. art. 1. § 2. Idcircò Lateranense Concil. 5. sub Leone X. hanc determinando veritatem cum, inquit, *nonnulli ausi sint dicere de natura Animæ rationalis esse, quòd sit mortalis, quòd etiam aliqui temere Philosophantes saltem secundùm Philosophiam verum esse, sacro approbante Concilio damnamus omnes asserentes Animam mortalem, & hoc in dubium vertentes &c.*

Quòd si in 6. Synodo generali actione 11. verba approbantur Sophronii dicentis, Animam Hominis non esse immortalem per naturam, sed per gratiam illam à morte coercentem. Hoc nihil officit, quia ibi duntaxat intenditur, quòd non sit immortalis per essentiam sicut Deus; & quamvis suapte natura non tendat positivè ad interitum ut Brutorum Animæ; Dei tamen conservatio est Dei donum, quia si Divinus suspenderetur concursus illicò annihilaretur.

Et quamquam Animæ rationalis naturam mortis vectigalem fecerint Sadducæi, Epicuræi, & nonnulli veteres Philosophi cum Zenone, necnon recentiores quidam hæretici, seu Atheistæ. Tamen ejus Æternitatem ultra Catholicos tenent firmissimè non solùm Judæi, verùm etiam Barbari; eamque naturali lumine agnovere, ac docuere Plato, Pythagoras, Plotinus, Epithetus, & alii. Et videri potest Lactantius lib. 6. institutionum Cap. 8. Tertullianus lib. 3. de Anima cap. 34. sicut etiam Cicero 1. Tusculanarum quæstionum.

2. Lis modò intentatur prout in titulo: Ubi inficiatur Scotus; Annuunt verò Thomistæ omnes, & ferè omnes, ac du Hamel in Meth.

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. Prob. 1. ratiocinio D. Th. p. 1. q. 75. art. 2. & 2. Contra Gentes cap. 79. & alibi. Forma per se existens, & independens à materia est suapte natura, & ex suis intrinsecis immortalis; sed Anima rationalis est forma per se existens independens à materia: ergo suapte natura est immortalis. Min. abundè probata est 1. Phys. q. 3. art. 3. §. 2. illò adeas, cui hic addo, quòd sensus, quia sunt corporei, & materiales non sunt supra proprios actus reflexivi, V. G. visus non videt se videre; intellectus verò, qui est Animæ rationalis potentia, est supra suos actus reflexivus.

Maj. Prob. Res quælibet desinens esse sic desinit vel per corruptionem, vel per annihilationem; sed forma quælibet per se existens; & à materia independens neutro modo desinere petit: ergo &c. Prob. min. Et primò quò ad p. p. Forma per se existens, & independens à materia nec per se nec per accidens est corruptibilis: ergo nullo modo corruptibilis est. Prob. ant. 1. quò ad 1. part. Tunc aliquid corrumpitur per se quando corrumpitur ex semotione causæ efficientis, vel causæ formalis dantis esse; sed causa efficiens dans esse Animæ rationali est Deus, qui est indefectibilis, causam verò formalem nullam habet Anima, cùm ipsa sit forma: ergo cùm aliàs nequeat corrumpi ex suo contrario, quod non habet, cùm contraria sint primæ qualitates; nec mediatè ab istis, ceu materialibus, pati potest, cùm loco citato probatum sit, esse independentem à materia, jam &c. Atomistæ autem has respuentes qualitates, omnem quoque respuunt substantivam generationem, & corruptionem. Prob. præterea ant. quò ad 2. p. Forma dicitur corrumpi per accidens ea sublatione subjecti; sed forma per se existens independens à subjecto, nimirum à materia, non deficit ex deficientia subjecti: ergo &c.

Dices ex Arriaga, quòd non deficit per corruptionem, benè verò per annihilationem, nisi ab extrinseco habeat conservari. Quod idem & de Angelis tum ipse, tum Scotista dicit. Sed

Contra est. Quandoquidem nostrum intentum est, quòd rationalis Anima non indigeat miraculo, ut in æternum vivat, sicut eo egerent materiales formæ ut in æternum viverent extraordinaria adjutæ potentia. At hoc non eget Rationalis Anima; quia estò ex Divini concursus suspensione, ceu ex nihilo facta, in nihilum abiret; tamen generali attento concursu. & ordinaria providentia, in æternum vivit, cùm nullum in ea sit principium intrinsecum peculiare ad interitum speciali modo conducens, nisi ille generalis omni creaturæ, ceu ex nihilo factæ.

Qua ex re habes, quòd non tantùm ab extrinseco ex Dei favore (ut nonnulli censuerunt Arabes) rationalis Anima est immortalis, sed ab intrinseco; specialem excludendo saltem favorem, cùm non sit specialis favor damnatis, quòd in æternum vivant. Undè iy *ab intrinseco* non excludit generalem favorem generalis providentiæ extrinsecæ, sed duntaxat extrinsecum favorem specialem specialis providentiæ. Sanè Brutum saltem aliquod ad tempus ex suis intrinsecis suapte natura naturaliter vivit; & tamen ni à Deo conservaretur, nec per instans viveret.

4. Prob. 2. ratione morali. Post hanc vitam alia est expectanda vita, in qua virtuti præmium, & vicio supplicium reservetur: ergo cùm non vivat corpus &c. Prob. ant. Virtuti præmium, & culpæ debetur pœna; sed ignorat nemo, plerumque, virtutem præmio, & culpam pœna carere in hac vita: ergo &c. Maj. nemini dubia esse potest, cùm id bonus efflagitet regiminis ordo, quòd compensentur probi, & plectantur improbi, nec minùs justè Universum supremus regit Dominus. Min. quoque omni certitudine pollet experimentali. Imò vel maximè, quòd etsi cuipiam pro virtute honores, divitiæ darentur, voluptates, &c. non sunt aptum ejus præmium virtutis, Tum quia & ipsis conceduntur impiis; Tum quia ceu temporalia bona & inferioris ordinis ad virtutem, possunt propter virtutis bonum, & debent relinqui.

Dices cum Scotista existimante, ratiocinationes istas esse duntaxat probabiles, at non demonstrativas, quòd virtus sibiipsi est præmium per animi pacem, & voluptatem; & è contra peccatum sibi est pœna, juxta illud Aug. 5. confess. cap. 12. *jussisti Domine, & ita est, ut pœna sit sibi omnis animus inordinatus.* Sed

Contra, Tum quia hæc omnia sunt proprietates virtutis, & peccati: ergo ad ipsam spectant virtutis, vel peccati naturam, non verò illius sunt præmium, aut pœna. Sicut namque meritum est correlativum præmii, ita præmium est

correlativum meriti; sed perridiculum foret dicere, quòd ea quæ sunt proprietates, vel quasi proprietates præmii essent meritum: ergo æquè ridiculum esset dicere, quòd ea, quæ ut proprietates, vel quasi proprietates consequuntur ad meritum, essent præmium. Tum quia præmium est pro alliciendo ad virtutem, & pœna pro retrahendo à culpa; sed constat, perversos minimè retrahi à culpa per tale fastidium ex culpa proveniens: ergo non sufficit. Sanè si verum hoc esset, necesse minimè foret, judices humanos animadvertere criminatores, ceu sufficienter proprio à delicto punitos.

Dices 2. cum Arriaga, ex hoc evinci, non quòd durare in perpetuum debeat, sed tanto duntaxat tempore vivat post hanc vitam quoadusque præmium, vel pœnam susceperit. Sed

Contra, Tum quia jam præmium illud foret temporale, quod multoties ceu inferioris ordinis potest ob virtutis bonum, & interdum debet, dimitti. Tum quia Divinam ad providentiam attinet citra miraculum compensare probos, & improbos: ergo si hæc reservantur post mortem, jam Anima naturaliter, & absque miraculo manet post mortem. Cur ergo eodem modo non in perpetuum sic durabit.

Dices demum, ex hoc sequi, quòd etiam totus Homo, qui bonum, vel malum operatur, immortalis esse deberet. Sed

Contra. Ut namque diximus lib. 2. q. 3. art. 3. probando, potentias inorganicas subjectari in sola Anima, Homo licèt operetur *ut quod*, tamen talium potentiarum operationes operatur ratione solius Animæ. Ideo &c.

5. Quæ causa Platonem movit, ut quoniam videbat, optimos nullo insigni honoris titulo, nullo monimento decoratos, assereret, animos immortales officii præmium, & fructum aliquando percepturos. Absurdum quippe esse, ut verus, justus, & honestus labor, honoribus, præmiis splendore careat, si qua est in Cœlo pietas, si quod numen, quod talia curet.

§. III.

Solvuntur insensorum argumenta.

6. ARgumenta nonnulla soluta sunt 1. Phys. q. 3. art. 3. præcipuè ad primum arg.

Arg. 1. Forma, cujus existentia est corruptibilis, & ipsa corruptibilis est; sed Animæ rationalis existentia corruptibilis est: ergo &c. Maj. dicto ipso clarior est, cùm nonnisi ratione existentiæ forma perduret in esse. Min. prob. Una, eademque est Hominis, & Animæ rationalis existentia, Thomistis hærendo principiis de una totius existentia; sed existentia Hominis corruptibilis est, cùm Homo corruptibilis sit: ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob eadem, eodemque modo conveniens, nego, secùs, concedo maj cum min. & nego conseq. Existentia namque Hominis est propria Animæ, quæ eam communicat materiæ modo dissolubili, ex quo Hominis dissolutio provenit.

Inst. Perfectiori modo existit totum compositum Hominis, quàm ejus Anima: ergo si corruptibili modo existit Homo, à fortiori &c. Prob ant. Quoniam perfectiori modo existit totum, quàm pars: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob dico, verum esse ant. quando nulla ex partibus est quid completum, ut est Anima rationalis, quæ *ut quod* est quid completum, licèt quid incompletum *ut quo*, quatenus est eminenter vegetativa, & sensitiva.

Contra. Perfectiùs existit Anima unita corpori, quàm ab eo sejuncta; sed unita corpori non est existens per se *ut quod*: ergo multò minùs separata. Prob. maj Status separationis est Animæ præternaturalis saltem: ergo &c.

Resp. nego maj. Ad prob. dist. ant. est præternaturalis præternaturalitate perfectionis dandæ, concedo, perfectionis habendæ, nego ant. & conseq. Separationis status est Animæ præternaturalis, non quasi aliqua ei desit perfectio habenda per unionem ad corpus, sed quia ei connaturale est, dare corpori perfectionem sui esse.

7. Arg. 2. Eandem oppugnando rationem. Rationalis Anima quamquam non dependeat à corpore dependentia causali, dependet tamen dependentia occasionali tanquam à conditione sine qua non: ergo &c. Prob. ant. Rationalis Anima in primo suo fieri, estò non dependeat à materia dependentia causali, cùm fiat per creationem, dependet tamen ita, quòd saltem naturaliter nequit fieri extra materiam: ergo etiam in conservari. Ant. est fidei dandum, secùs quis Origenis lib. 1. Periarchon c. 7. posset profiteri hæresim à Platone haustam, quòd rationales Animæ sint ab æterno corpore antiquiores.

Conf. Anima rationalis tametsi non dependeat à materia, ut à causa materiali; dependet tamen in genere causæ finalis, quia Anima ordinatur ad dandum esse materiæ, & est propter illam: ergo nequit subsistere sine illa.

Urg. Sonus, impulsus, &c. deficiunt, non ex deficientia, nec ex adventu alicujus, nec ex defectu conservantis, benè verò sponte sua in multorum sententia: ergo & idem dici de rationali anima posset.

Resp. ad arg. nego ant. Imò Salm. in Theologicis 3. p. in tract. de Incar; disp. 11. dub. unic §. 3. cum aliis propugnant, quòd Anima rationalis sit in aliquo priori creata antequam materiæ uniatur, & quòd pro priori existat. Ad prob. nego iterum ant. Quod si id nusquam factum est, ideò est, quia nihil id requirebat. Sicut namque potest extra materiam naturaliter conservari, ita & extra illam creari. Ad prob. autem antecedentis dicas, aliud esse, quòd potuerit, aliud verò quòd fuerit. Primum est verum, secundum falsum esse fides docet.

Ad Conf nego ant. Ad prob. dico, ordinari ad materiam ut ad finem duntaxat *cui*; in quo nulla importatur dependentia. Finis autem proximus *cujas gratia* est sua operatio, seu potiùs ipsamet Anima ut operans. Præterea ex hoc solùm sequitur, quòd pendeat à possibilitate, non verò ab exercitio materiæ, uti dixi loco citato ex 1. Phys. ad 5. arg.

Ad id, quo urgetur Resp. quòd quando dicimus, formam deficere vel ex deficientia subjecti, vel ex sublatione subjecti, vel causæ, &c. locuti sumus de forma, quæ est de genere permanentis, non verò de formis habentibus esse transiens, cujusmodi sunt actio, sonus, impulsus, &c.

Dices (est oppugnatio rationis probantis illam min. adductæ 1. Phys. relato hic num. 3.) Ideo per nos Rationalis Anima est immortalis, & à materia independens, quia cùm discernat inter res materiales, & corporeas, debet omni materialitate carere: & rursus quia cùm attingat, saltem per discursum spiritualia, ut Deum, & Angelos, debet esse immaterialis: & ulteriùs quia cognoscit res in universali; sed rationes istæ minimè evincunt: ergo &c. Prob. min. Et primò quò ad 1. p. Tum quia Anima cognoscit omnia entia, omnesque substantias; & tamen non sequitur, quòd in se non sit ens, & substantia: ergo neque ex eo, quod &c. Tum quia Anima rationalis, & Angelus discernit inter omnes res spirituales; & tamen non sequitur, non esse spirituales: ergo à pari &c. Tum demum quia si ratio ista valeret, sequeretur, quòd Anima nostra, ejusque intellectus non esset forma conjuncta corpori. Siquidem Lingua tametsi non dependeat ab humore cholerico amaro; quia tamen ei conjuncta est, nequit tum cæteros sapores discernere.

Prob. modò illa min. quò ad 2. p. Tum quia ex eo, quod Anima per discursum cognoscit Deum ut actum purum absque reali potentialitate non sequitur, esse eam in se actum purum. Similiter estò per discursum cognoscat, Angelos esse immateriales completè, non sequitur, eam sic esse immaterialem completè per negationem informationis materiæ: ergo pariter ex eo, quod spirituales res cognoscat non sequitur eam spiritualem esse. Tum quia visus attingit Cœlum incorruptibilem, nec tamen visus incorruptibilis est. Tum quia intellectus cognoscit res secundùm earum esse quidditativum, quod est æternum tum à parte ante, cùm à parte post; & tamen non sequitur, quod Anima sit æterna à parte ante. Tum demum quia nonnisi per species rerum materialium res immateriales cognoscit: ergo potiùs materialis est dicenda.

Prob. denique illa min quò ad 3. p. Tum quia ex eo, quod potest cognoscere res in universali arguitur, quod immaterialis sit: ergo pariter ex eo, quod res in particulari dignoscit, arguas, quòd materialis sit. Tum quia ex eo, quod intellectus dependet à subjecto spirituali, quod est Anima, non sequitur, quòd non possit cognoscere ens spirituale in communi: ergo etiamsi à subjecto materiali penderet, non sequeretur, quòd non posset cognoscere in communi ens materiale.

Resp.

Resp. nego min. quò ad omnes partes. Ad 1. prob. primæ partis dato ant. nego conseq. & paritatem. Discrimen est, quia ratio entis, substantiæ, &c. non importat limitationem exclusivam cæterorum entium in esse intentionali, cùm sint prædicata communia limitatis, & illimitatis rebus: benè verò ratio entis materialis.

Ad 2. dato ant. nego conseq. Disparitas est, quia spiritualitas, cen ratio quædam à materia abstracta, quandam importet infinitudinem negativè, majoremque proinde amplitudinem: Idcircò non vetat, Animam fieri quodammodo omnia in esse intentionali.

Ad 3. nego sequelam. Ad annexam prob. dato ant. nego conseq. Disparitas est, Tum quia Anima ita est corporis actus, quòd ejus intellectus non est corporis actus, ut habes ex dictis in exordio lib. 2. q. 1. art. 1. §. 3. sub num. 7. Tum quia Anima unitur corpori ut ab eo independens, & præcisè, ut illi det esse. At qualitas illa unitur subjecto, ut ab eo dependens, cùm non sit perse existens.

Ad prob. secundæ p. nego conseq. & parit. Discrimen est, quia, uti nuper dixi, spiritualitas illimitationem quandam obtinet.

Ad 2. Resp. quòd proportio inter cognoscens & cognitum est in ratione immaterialis ut uniri queant; non in ratione æterni, infiniti, incorruptibilis, &c.

Ad 3. eadem est disparitas. Præterea visus estò cœlum incorruptibile attingat; non tamen ut incorruptibile attingit.

Ad ult. dico, quòd cognuscimus per rerum materialium species immaterializatas. Præterea estò per rerum materialium species cognoscamus, cognoscimus tamen reflexè ut immateriales, & à materia sejunctas.

Ad 1 prob. tertiæ partis dato ant. nego conseq. & par. Discrimen est, Tum quia ut infra q. 2. art. 3. dicetur, Intellectus indirectè duntaxat cognoscit singularia. Tum quia rei perfectio pensanda venit ex nobiliori cognitione, cujusmodi in Anima nostra est cognoscere res in universali.

Ad 2. jam dicta est spiritualitatis amplitudo.

8. Arg. 3. operari sequitur ad esse, illique proportionatur; sed omnes operationes Animæ rationalis sunt corruptibiles, ceu accidens fluidum: ergo &c.

Resp. primitùs, quòd aptatur cum debito inferioritatis ordine. Non est enim novum, quòd causa suum superet effectum. Præterea dico, quòd sunt corruptibiles, modo tamen incorruptibili elicitæ: non secùs, ac res materiales modo spirituali, & immateriali à Deo, & Angelo attinguntur.

9. Arg 4. authoritate Philos. qui (ut 8. Phys. vidimus) posuit mundum ab æterno cum generationibus. Qua ex re infertur, fuisse infinitas elapsas generationes humanas; ergo vel dicendum est, sensisse, quòd infinitæ in actu extarent animæ rationales, vel quòd rationalis Anima corruptibilis sit. Præterea hic 3 de Anima tex. 19. inquit, quòd intellectus passivus, est corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit Anima. Rursus 1. Ethic. cap. 10. reprehendit Solonem, eò quòd veram Hominis felicitatem dixerit, esse post mortem. Et ibidem lib 3. cap. 3. inquit, post mortem nec boni quidpiam esse, nec mali. Tandem 1. de Cœlo cap. 12 *omne*, ait, *quòd oritur interire intelligitur*.

Hanc in re Philosophum aberrasse, ac ea in sententia fuisse, quòd mortalis sit rationalis Anima, censent complures inter quos Plutarchus lib. 1. de placitis cap. 1. Justinus Martyr, Greg. Niss. Teodoretus, Alexander Aphrodisæus insignis Peripateticus, sic etiam arbitratus est noster Cano, & Cajet hic 3. de Anima, cui tamen pugnacissimè se opponit noster Bartholomæus Spina quadam speciali apologia de hac materia. Et re vera S. Th. 2. contra Gentes cap. 79. autumat, Arist. docuisse, rationalem Animam immortalem, cùm plures ejus ad hoc adducat Angelicus authoritates.

Hervæus, Scotus, Niphus opinantur, quòd Arist. quamquam propensior fuerit in sententiam asseverantem, Animam rationalem esse immortalem, tamen ancipitem fuisse dicunt, nec quicquam determinatè statuisse. Quod colligunt duabus ex epistolis, quas ad Alexandrum scripsit, in quibus lubricè locutus est.

Verùm enim verò haud probabile mihi videtur, Aristotelem errore tractum fuisse, aut dubio vexatum, ubi alii veteres Philosophi relati num. 1. veritatem attigerunt. Quod etiam visum est Philopono, qui tex. 65. quotquot oppositum de Arist. diffamant, eos calumniatores appellat, & tex. 66. eos deliros dicit. De quo videatur P. Abbas D. Clemens Tuusus Monachus ex 3. congregatione S. Sylvestri suo in opere Italicè edito, cui epigraphe *dell'India Orientale Gentilesmo confutato* tom. 1. disc. 13. divisione quinta pag. 181. & seqq & magis ibi disc. 14. divisione prima & seqq. Et S. Th. non solùm 2. contra Gentes citato, cap. 79. verùm & opusc 16.

Et re vera compluribus ex ejus locis deprehenditur Animæ rationalis immortalitatem minimè ignorasse. Quandoquidem lib. 1. hujus tract. tex. 6. *Intellectus*, inquit, *quid Divinum, & impassibile est*, & tex. 22. *Intellectus*, ait, *separatur ab aliis partibus Animæ sicut perpetuum à corruptibili*. Intellige nomine intellectus ipsam Animam rationalem, & nomine Animæ ens animatum, cùm partes Anima non habeat. Item in hoc lib. 3. tex. 6. hæc habet: *cùm intellectus debeat esse aliquid immateriale oportet ut corpori non misceatur*, & tex 19. & 20. affirmat, intellectum esse separatum, & immortalem, ac perpetuum.

Ad 1. autem jam diximus in Phys. posuisse Mundum ab æterno, humana dempta genesi. Quòd si expressè eam non excipit; implicitè tamen id facit, ex eo nimirum, quod statuit immortalem esse, & ex alia parte infiniti in actu possibilitatem improbat.

Ad 2. Resp ex D. Th. ibi Philos. nomine intellectus passivi sumere cogitativam, ceu Phantasiam, quæ dicitur intellectus assimilativè, & participativè quandam per assimilationem, & participationem.

Ad 3. Resp denegasse beatitudinem totius Hominis, quoniam mortuorum resurrectionem, ceu supernaturalem, minimè attigit. Cæterùm cap. 11 sequenti *post mortem*, inquit, *viros præstantissimos obtinere beatitudinem*.

Ad ult. Resp. ibi loqui de rebus materialibus, habentibus principium per generationem.

10. Arg. postremò Anima rationalis est ex nihilo: ergo suapte natura in nihilum ab intrinseco tendit, nisi ab extrinseco manuteneatur.

Ad huc in quo exultabundum quondam audivi quendam Minoritam Conventualem dist. consequens iy *ab intrinseco* excludente extrinsecum favorem specialem, vel specialem manutentionem, nego; generalem manutentionem, concedo. Vide dicta abundè sub num. 3. contra Arriagam &c. & hic applica.

11. Si petas per modum objectionis, quomodo Rationalis Anima sentire dolorem queat, cum immortalis sit, quem tamen sentire certum est, quia ea à corpore semota, corpus nihil sentit.

Resp. dolorem, aut delectationem percipere quatenus est eminenter sensitiva. Vel displicentiam, aut complacentiam habere de læsivo, vel utili sui corporis; quia est ei amicè satis unita.

Ob percipiendum verò, quomodo rationalis Anima separata sit perse existens, vide dicta lib. 2. q 3. art. 3.

12. Ex dictis collige, quòd si Cajet. super cap. 3. Ecclesiastes dicit, Philosophorum neminem Animæ rationalis immortalitatem demonstrasse, loquitur de antiquis Philosophis. Cæterùm p. p. q. 75. art. 2. propugnat rationem S. Th. quæ ex Aristotelis doctrina locis nuper citatis ad 4. hausta est.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Omnes Animæ rationales sint ejusdem substantialis perfectionis.

§. I.

1. Recole ex dictis 2. Phys. q. art. 3. & hic lib. 2. q. 2. art. 2. diversæ speciei Animas esse in perfectione inæquales. Modò de rationalibus agimus animabus, quæ ejusdem speciei sunt.

Annuunt Durandus, Toletus, Conimbr. & ex nostris Soncinas, & Soto.

Abnuunt verò Cajet. p. p. q. 85. super art. 7. D. Th. Capreolus in 2. sent. dist. 3. q. unica, Ferrariensis, Bannez, & communiùs Thomistæ.

§. II.

§. II.

CONCLUSIO.

Non omnes Animæ rationales sunt ejusdem perfectionis substantialis.

2. PRob. ratione S. Th. p. p. q. 85. art. 7. Tunc formæ non sunt æqualis perfectionis, quando una est perfectior alia perfectione substantiali; sed inter rationales Animas pluries una est perfectior alia perfectione substantiali: ergo &c. Prob. min. Tunc una forma est alia perfectior perfectione substantiali, quando est perfectior in sui substantia, sed interdum una rationalis Anima in suæ substantiæ perfectione excedit aliam; ergo &c. Prob. min. Accidentia perfectiora, & proprietates sequuntur ad substantiam perfectiorem in ratione substantiæ; sed nonnunquam uni Animæ competunt accidentia perfectiora, perfectioresque proprietates, quàm alteri: ergo &c. Min. experimento est palam. Qui namque melius, idest perspicaciùs, intelligunt, perfectiori pollent intellectu. Maj. prob. accidentia, & proprietates sunt proprietates substantiæ in ratione substantiæ: ergo &c.

Dices, quòd omnes Animæ secundùm sui substantiam sunt eisdem substantialis perfectionis, V. G. Anima Christi cum Anima Judæ, licèt extrinsecè una sit alia perfectior, quatenus in una organa corporea sunt meliùs disposita: non secùs, ac etiam cubatœdi in arte citharizandi perfecti meliùs eorum alter citharizat mediante meliori instrumento. Sed

Contra. Quandoquidem (ut S. D. inquit) Corpus meliùs dispositum, & compositum sortitur Animam meliorem: ergo ex hoc sequitur, Animam extare alia substantialiter perfectiorem. Prob. ant. Corpus alia in specie meliùs dispositum exigit Animam substantialiter specifice perfectiorem, V. G perfectiorem substantialiter specificè Animam obtinet corpus equinum, quàm Anguis: ergo pariter corpus meliùs dispositum numericè eandem intra speciem, petit Animam substantialiter numericè perfectiorem intra eandem speciem.

3. Prob. 2. Eandem intra speciem extare possunt accidentia accidentaliter perfectiora: ergo pariter eandem intra speciem dari possunt formæ substantiales substantialiter perperfectiores.

Dices, discrimen esse, quia substantia non suscipit magis, & minùs, benè verò accidens. Sed

Contra, Tum quia & ex accidentibus nonnullis non suscipiunt magis, & minùs, ut quantitas. Tum quia num. 6. ad ult. infra videbis, inde minimè sequi, substantiam suscipere magis, & minùs.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverso facta.

4. ARg. 1. Rationales omnes Animæ ejusdem sunt speciei; sed si una foret alia substantialiter perfectior, non ejusdem forent speciei: ergo &c. Prob. min. substantialis perfectio rei est illius perfectio essentialis: ergo si &c. Prob. ant. Substantia rei est essentia rei: ergo similiter &c.

Resp. nego min. Ad prob. nego ant. Si formaliter loquamur. Ad prob. dist. ant. materialiter, & entitativè, concedo, formaliter, nego ant. & conseq. Ut namque fert Gonet 3. p. tract. de Sacramento Eucharistiæ disp. 7. vestigando, *num omnia, quæ proferuntur verba in calicis consecratione sint de consecrationis essentia*, expendunt plerique Nostrates, discrimen esse inter substantiam, & essentiam rei. Nonnulla siquidem substantia sunt, quæ essentialia minimè sunt, V. G. partes omnes integrantes, puta in Homine nasus, digitus, &c. sunt de substantia Hominis, nec tamen sunt de Hominis essentia. Similiter apud non vulgares Theologos satisfactio censetur pars substantialis, non tamen essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Item in forma absolutionis verba illa *à peccatis tuis* censentur substantialia, non verò essentialia. Ita etiam in hoc casu dicimus, aliquam extare perfectionem substantialem, quæ essentialis non sit, nec proinde speciem variet.

Contra. Rerum essentiæ, uti Philos. inquit tum lib. 2. hujus tract. de An. tex. 30. tum 8. Meth. tex. pariter 30. sunt sicut numeri; sed numeri omnes inæquales sunt speciei diversæ: ergo animæ omnes inæquales in perfectione quomodocunque eis conveniente debent esse speciei diversæ.

Resp. nego conseq. Non enim dicitur, quòd substantiæ, sed quod essentiæ sunt sicut numeri. Ob idque cum perfectio illa essentialis non sit, &c.

Inst. ex dictis §. 5. Extare nequeunt plura individua diversæ speciei æqualia in substantiali perfectione: ergo ab opposito, & à pari dari nec poterunt individua ejusdem speciei inæqualia in substantiali perfectione.

Resp. dato ant. nego conseq. discrimen est, quia individua diversæ speciei diversificantur per aliquid, quod est de eorum essentia, nimirum per differentiam specificam essentialem: Idcircò diversitatem obtinent essentialem, proindeque inæqualitatem essentialem, & à fortiori substantialem. Cæterùm individua ejusdem speciei estò differant per aliquod non essentiale, sed per aliquod accidentaliter se habens; tamen hoc, quod respectu naturæ accidentaliter se habet, est quid substantiale: quemadmodum esse æneum, vel argenteum respectu sigilli accidentaliter se habet; & tamen esse æneum, argenteum, &c. est substantia.

5. Arg. 2. contra dicta num 2 Si corpus secundùm quòd est meliùs dispositum sortiretur Animam perfectiorem, sequeretur primò, quòd hæc numero Anima transmutaretur de imperfectiori ad perfectiorem; sed hoc propugnari minimè potest, secùs etiam Anima cresceret, & diminueretur: ergo &c. Sequela prob. Experimento namque comperimus, variari temporis decursu dispositiones corporum, ac complexiones, & juxta hujuscemodi variationem non semel majori pollere ingenii acutie, nonnunquam hebetari: ergo si &c.

Secundo sequeretur, quòd si corpus foret monstruosum, & Anima monstruosa foret. 3. quòd & Animæ aliæ masculini, aliæ fœminini sexus essent. Nec Anima B. Virginis, quæ cæteris omnibus perfectior, dempta Christi Anima, fuisset fœminino, ceu imperfectiori sexui, conveniens.

Resp. aliis missis responsis nego min. Ad probationes omnes, dico, nos loqui quò ad corpus per se perfectiùs dispositum. In adductis autem ab opponente est per accidens. In prima quidem. Etenim quòd temporis lapsu corpus meliorem acquirat dispositionem, quàm non obtinebat antea, est per accidens; quia nimirum antea ad debitam nondum pervenerat ætatem, & quantitatem. Similiter quòd corpus interdum deteriorem dispositionem acquirat est per accidens, nimirum propter extrinsecum aliquod noxium, ex quo etiam valetudo deficit, & ægritudines occasionem sortiuntur.

In 2. etiam. Per accidens namque aliqua ex indispositione materiæ corpus evenit monstruosum. Quemadmodum & artefactum ex ligno haud sufficienter exsiccato curvatur, ac deforme evadit.

In tertia quoque. Siquidem corporis differentia secundùm masculinum, & fœmininum sexum, evenit per accidens, cùm fœmineus sexus per accidens duntaxat habeatur. Uti namque docet S. Th. p. p. q. 92. art. 1. ad 1. per respectum ad naturam particularem fœmina est aliquod deficiens, & occasionatum, quia virtus activa, quæ est in semine Viri intendit producere sibi simile secundùm sexum: Ob idque, quòd gignatur fœmina est per accidens, idest propter virtutis activæ debilitatem, eò quòd semen non est perfectè decoctum, præsertim dum venti afflant australes, ut in lib. de animalium generatione dicitur. Verum est tamen, quòd relatè ad naturam universalem non est quid purè occasionatum, sed est de intentione naturæ ad opus generationis. Idem habet q. 99. art. 2. ad 1.

Ad id, quod subdebatur, quamquam non defuerit, qui dicere minimè dubitaverit, Animam B. V. non connaturaliter, sed vel præternaturaliter, vel supernaturaliter fuisse fœmineo unitam corpori: Consultius tamen dico, fuisse connaturaliter unitam licèt adeo perfectam, quia per accidens fuit, quòd corpus illud fœminei eveniret sexus, juxta nuper dicta.

6. Arg. postremò. Si una daretur rationalis Anima alia perfectior substantialiter, sequeretur, quòd substantia susciperet magis, & minus; sed oppositum est substantiæ proprietas: ergo &c

Resp. nego sequelam cujus oppositum palam est in formis diversæ speciei: & ratio est, quia, ut in Logica talem exponen-

ponendo ſubſtantiæ proprietatem diaimus, alind eſt dicere, unam Animam eſſe magis ſubſtantiam, quàm aliam, & aliud eſt dicere, eſſe ſubſtantiam magis perfectam.

7. Quod de rationalibus animabus eſt dictum, idem cum proportione de Equinis, Leoninis, &c. dicendum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Intellectu Agente, & Poſsibili.

DUas hic controverſias ventilare mos eſt, quarum prima eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

Nam intellectus Agens ſit potentia Animæ realiter ab intellectu poſſibili diſtincta.

§. I.

a. INtellectus Agens non ideo agens dicitur, quaſi agat, ideſt cauſet cognitionem; ſed quia reducit intellectum poſſibilem de potentia ad actum. Nec intellectus poſſibilis ideo dicitur poſſibilis, quaſi eſſet in potentia objectiva ad eſſe, ſed quia eſt in potentia, ut per intellectum agentem reducatur de potentia ad actum operationis. Dicitur etiam poſſibilis, quia dum ad actum reducitur paſſivè ſe habet, ſicut etiam recipiendo in ſe cognitionem, quam elicit: recipere namque eſt quoddam pati.

a. Extare hujuſcemodi intellectum Agentem univerſi annuunt Peripatetici cum D. Th. p. p. q. 79. art. 3. contra Durandum. Quandoquidem opus eſt earare principium aliquod producens ſpecies intelligibiles; ſed iſtud haud aliud eſt, quàm intellectus agens: ergo &c. Maj. in eo fundatur quòd ſupra lib. a. q. 7. adverſus eundem Durandum probavimus ſpecies intentionales. Prob. min. Species intelligibiles nequeunt immediatè effici à Phantaſmate, nec ab aliquo ſenſu, quia ſpecies intelligibiles debent eſſe ſimplicites ſpirituales, non ſecùs ac ipſe intellectus poſſibilis ſimpliciter ſpiritualis eſt; ſenſus autem, & Phantaſma licèt comparativè ad res omninò materiales, & inſenſitivas ſint ſpirituales; tamen abſolutè ſunt materiales, & corporei. Et multò minùs objectum materiale. Igitur &c.

3. Objicies 1. Non extat ſenſus agens, ſed duntaxat ſenſus poſſibilis; ergo à pari &c. Quemadmodum namque ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, ita intellectus ad intelligibilia.

Reſp. ex dictis lib. a. q. 5. art. 1. §. 2. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia intellectus cùm ſit ſpiritualis, & univerſalium, nequit actuari per phantaſma, quod eſt ſingularium; nec per quamcunque ſpeciem ſenſibilem, quia omnes materiales ſunt: idcircò requiritur intellectus agens, ut ex illis alias puriores efficiat. Senſus autem, ceu ille, qui materialis, & corporeus eſt, poteſt immediatè recipere ſpecies immediatè productas ab objecto, quod virtute corporis cœleſtis agendo actione formæ producit ſpecies minùs materiales, ut dictum eſt lib. a. q. 7. art. 1. ad ult. arg.

§. II.

CONCLUSIO.

Intellectus agens eſt potentia Animæ realiter ab intellectu poſſibili diſtincta.

4. PRima pars, nimirum, quòd ſit Animæ potentia docetur communiter contra Platonem, cui placuit, intellectum agentem eſſe ideas, & contra Avicennam, qui cenſuit, eſſe ſubſtantiam ſeparatam, nimirùm intelligentiam aliquam infundentem ſpecies, ſive habitum primorum principiorum à tali ſubſtantia ſeparata infuſum.

Prob. Hujuſmodi ſpecierum intelligibilium efficientia non excedit Animæ noſtræ vim: ergo Anima noſtra mediante aliqua ſui potentia poteſt id præſtare, adeoque neceſſe non eſt ad hoc ideas ponere, aut ſubſtantiam aliquam ſeparatam. Ant. prob Operatio cum dependentia à phantaſmatibus eſt illi maximè connaturalis pro hoc ſtatu; ſed hujuſcemodi efficientia ſpecierum intelligibilium eſt operatio cum dependentia à phantaſmatibus: ergo &c. Prob. min. Species intelligibiles pro hoc ſtatu ſunt abſtractæ à ſenſibus; ſed abſtractio à ſenſibus eſt operatio cum dependentia à phantaſmatibus: ergo &c. Prob. Maj. Res, quæ debent cognoſci, vel ſunt ſpirituales; Et iſtæ, cùm pro hoc ſtatu non cognoſcantur, niſi per ſpecies rerum ſenſibilium ab Anima noſtra, quæ omnia pro hoc ſtatu cognoſcit per connotationem ad ſenſibilia objecta (cujus namque objectum proportionatum pro hoc ſtatu eſt quidditas ſenſibilis ut dicetur infra) earum ſpecies debent eſſe à ſenſibus abſtractæ. Vel res cognoſcendæ ſunt materiales, & ſenſibiles; Et tunc evidentiſſimum eſt, ſpecies eſſe à ſenſibus abſtractas.

Si dicas, Ideas, & ſubſtantiam ſeparatam concurrere ut cauſas univerſales.

Contra eſt, quia cauſa univerſalis producit effectus ſuos ſaltem perfectos media cauſa particulari, quæ iſto in caſu alia excogitari haud poteſt, niſi intellectus agens.

5. Secunda pars eſt contra Niphum, Majorem, Suarez, Abulenſem, & alios. Et

Prob. Potentiæ diſtinguuntur per actus, & objecta, ut vidimus lib. a. q. 3. art. a. quod eſt verum ſaltem à poſt. etiam Adverſarii annuunt; ſed intellectus agens, & poſſibilis ſortiuntur actus, & objecta ſpeciei diverſæ: ergo realiter inter ſe ſpecificè diſtinguuntur. Prob. min. Actus intellectus agentis eſt facere ſpecies intelligibiles, actus verò ipſius intellectus poſſibilis eſt intelligere mediis ſpeciebus intelligibilibus. Similiter objectum intellectus agentis eſt intelligibile in potentia, ut faciendum intelligibile in actu, nimirum eſt aliquid actu materiale, ut ex eo aliquid fiat immateriale; objectum verò intellectus poſſibilis eſt aliquid in actu immateriale: ergo &c. Ex quorum etiam objectorum ſpecifica diverſitate ſequitur, eſſe diverſos actus, cùm ab objectis actus ſpecificentur.

Sequitur etiam, tales actus nullatenus poſſe eſſe inadæquatos, vel ſubordinatos, cùm verſentur circa objecta toto Cœlo differentia, nimirum circa materiale, & immateriale. Vid. etiam lib. 2. q. 4. art. unicn §. a. num. a.

Conſ. Quemadmodum in genere naturali materia prima eſt potentia paſſiva ſuſceptiva omnium formarum naturalium, ita intellectus poſſibilis ſpiritualis eſt ſuſceptivus omnium formarum, nimirum ſpecierum intelligibilium; ſed materia prima realiter diſtinguitur ab agente, per quod reducitur ad actum: ergo etiam &c.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

6. ARg. 1. contra a. p. ab inconvenientibus. Et primò. Si intellectus agens realiter diſtingueretur à poſſibili, ſequeretur, quòd producendo ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili ageret extra ſeipſum; ſed hoc eſt contra rationem actionis immanentis: ergo &c. a. Talia intellectus agens remaneret fruſtraneus in Anima ſeparata. 3. Extaret intellectus non potens intelligere; ſed hoc tam vanum eſt, quàm vanum eſſet dicere, quòd extat ſenſus non valens ſentire: ergo &c.

Conſ. Talis intellectus ceu alicujus rei cognoſcitivus, eſſet ad omnia indifferens: ergo non poſſet producere ſpeciem determinatam hujus, vel alterius rei. Præterea haud explicabile foret, quaſi perfectior ex eis foret. Ex una enim parte videtur perfectior intellectus agens, cùm omne activum ſit perfectius paſſivo. Ex alia parte videtur perfectior intellectus poſſibilis, ceu intellectivus.

Reſp. ad 1. diſt. maj. extra ſeipſum extraneitate ſuppoſiti, nego, ſecùs, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Etiam namque actio nutritiva agit in alimentum, & actio generativa agit circa generationis materiam.

Ad a. Reſp. quòd quemadmodum remanet in Homine potentia augmentativa etiam poſt congruam acquiſitam quantitatem, nec eſt ſuperflua, imò in corporibus Beatorum remanet potentia nutritiva, augmentativa, & generativa, quin ſuperflua ſit, ita remanere poteſt intellectus agens; quia ad hoc ut ſuperfluus non ſit, ſat eſt, aliquando fuiſſe ad ſuum actum redactum. Vel etiam dici poteſt, remanere ad ornatum.

Ad 3. dico, nullum eſſe inconveniens, quòd extet intellectus agens non intelligens; quia dicitur intellectus, non ab intelligendo, ideſt efficiendo intellectionem, ſed à producendo intelligibiles ſpecies. Ad prob. annexam, nego

conseq. Ideò namque non extat sensus impotens sentire, quia non extat sensus agens. Quare autem non extet sensus agens dictum est §. 1. num. 2.

Dices ex Du Hamel. Intellectus agens, hoc ipso, quod non est intelligens nequit species progere; ergo ad nihil deservit.

Resp. nego suppositum. Supponit etenim imperitè, quòd species plugi indigeant. Quod tamen esset rudè loqui. Sunt namque similitudines naturales objecti suapte natura. Quod ergo facit intellectus agens est tanquam virtus luminosa luce spirituali perfundere phantasma, quod tali luce illustratum elevatur tanquam instrumentum ad producendam speciem spiritualem ut spiritualem. Dixi *ut spiritualem*, quia ut repræsentativa producitur principaliter à phantasmate, quod ceu repræsentativum assimilat sibi talem speciem: Intellectus enim agens non est repræsentativus. De quo iterum art. sequenti §. 3. in fine.

Ad 1. C. nf. Resp. quòd (ut art. sequenti dicetur) determinatur à Phantasmate. Ad 2. dico, quòd intellectus possibilis est simpliciter perfectior; quia licèt sit simpliciter passivus, tamen habet actionem intellectionis, quæ est longè perfectior actione intellectus agentis. Vide dicta supra lib. 2. q. quinta art. 1.

7. Arg. 2. Una, eademque potentia potest esse formativa, & receptiva specierum: ergo non est necesse duas realiter distinctas ponere potentias. Prob. ant. 1. Intellectus (ut infra dicetur) ex præconceptis speciebus in sententia probabili format tertiam speciem. 2. Potest optimè idem secundùm diversam rationem esse activum simul, & passivum, in actu, & in potentia. 3. Unus, atque idem est Docentis, & Utentis Logicæ habitus; & tamen habitus Logicæ docentis respicit modum sciendi, ut contemplabilem, & habitus Logicæ utentis respicit modum sciendi ut factibilem, & usui mandandum. 4. In communi sententia idem realiter est intellectus practicus, & speculativus ratione superior, & inferior.

Resp. nego ant. Ad 1. prob. nego conseq. & par. Discrimen est, quia intellectus dum ex præconceptis speciebus tertiam format speciem, supponitur aliqualiter actuatus per aliam speciem cognoscendo, & componendo. Non sic autem supponitur in actu ante primam speciem, nec potest sic agere componendo, & cognoscendo; quia sine specie non fit cognitio.

Ad 2. Resp. primitèr, quòd tunc potest idem esse agens, & patiens secundùm diversam rationem, quando diversum non respicit objectum formale juxta dicta n. 5. Præterea Resp. quòd nos ibi diximus, posse aliquid esse in actu applicativè, & simul in potentia elicitivè. Si autem non extaret intellectus agens realiter distinctus, idem esset in actu, & in potentia applicativè; quia idem intellectus seipsum applicaret, & reduceret ad actum. Quæ ex re

Ad 3. habetur discrimen, Tum quia Logica Docens, & Utens habent idem objectum formale. Tum quia Logica Utens non determinatur intrinsecè à suis instrumentis, quæ facit, sicut potentiæ à specie ab extrinseco immissa determinantur ad alias faciendas, ut intellectus agens à Phantasmate.

Ad 4. Discrimen idem est. Tum quia intellectus practicus non determinatur à suo opere. Tum quia practicum, & speculativum conveniunt in una ratione formali entis, veri cognoscibilis, seu potiùs intelligibilis; quòd verò sit practicum, vel speculativum de materiali se habet; quemadmodum respectu visus de materiali se habet, quòd aliquod sit album, vel nigrum. Cæterùm agentis, & possibilis intellectus objecta in nullo conveniunt ad unum constituendum formale intellectus objectum; quia agentis intellectus objectum est quid materiale in actu ut faciendum immateriale in actu. Materiale autem nullam obtinet rationem intelligibilis ab intellectu possibili, qui spiritualis est.

PERCONTABERIS.

Num in parte intellectiva extet Memoria, & an sit potentia realiter ab Intellectu distincta.

1. QUantùm ad p. p. universi consentiunt cum D. Th. p. 1. q. 79. art. 6. quod in parte intellectiva extet Memoria dempto Avicenna. Ratio in promptu est, quia meliùs, fortiùs, & permanentiùs recipit intellectus, quàm sensus, cùm intellectus sit spiritualis potentia longè perfectior; sed in parte sensitiva extat potentia conservativa specierum sensibilium, ut probavimus lib. 2. agendo de sensibus internis: ergo multò magis in parte intellectiva extabit Memoria sive (ut inquit S. Th. p. 1. q. 79. art. 7.) Memorativa, quæ thesaurus quidam est specierum intelligibilium conservatrix.

2. Objicies, Si in parte intellectiva conservarentur species, sequeretur, quòd intellectus foret incunctanter in actu secundo intelligens; sed hoc experimento falsum evincitur: ergo &c. Prob. maj. Intellectus specie fœcundatus habet quicquid ad intellectionem desideratur; sed potentia naturalis, qualis est intellectus, dum cuncta obtinet requisita operatur; ergo &c.

Resp. nego sequelam. Siquidem nec sensus internus est incunctanter in actu secundo sentiens. Ad prob. dist. maj. fœcundatur specie per modum actus secundi, quando nimirum occasione ejusdem, vel alterius similis, aut saltem aliqualiter connexi, excitatur species illa conservata, concedo; siquidè, ac veluti habitualiter, nego maj. & data min. nego conseq. Perseverant namque in Memorativa per modum habitus; habitibus autem occasione data utimur quando pro libito volumus.

3. Quantùm ad 2. p. tituli Resp. cum D. Th. p. 1. q. 79. art. 7. quòd Memoria non distinguitur realiter ab intellectu, sed una, eademque potentia est duplici cum munere, nimirum conservandi species, & intelligendi. Ratio suffragatur. Siquidem memoria respicit objectum præteritum; sed ratio præsentis, & præteriti non sufficiunt ad realiter distinguendas potentias in parte intellectiva: ergo &c. Prob. min. Differentiæ contingentis, & necessarii, æterni, & temporalis, practici, & speculativi non sufficiunt ad realiter distinguendas potentias, & attinguntur ab una, eademque potentia sub universalissima entis ratione: ergo similiter &c.

Conf. Potentia conservativa specierum sensibilium est sensitiva: ergo pariter potentia conservativa specierum intelligibilium est intellectiva. Cùm igitur potentia intellectiva sit intellectus, jam &c.

4. Objicies. In parte sensitiva Memoria distinguitur realiter ab aliis sensibus: ergo & in parte intellectiva realiter ab intellectu distinguitur.

Resp. dato ant. nego conseq. & par. Tum quia pars intellectiva est incomparabiliter amplior. Tum quia sensus cùm recipiat dependenter ab organo corporeo, diversam expostulat dispositionem pro vi benè retentiva, ac pro vi benè receptiva efflagitet.

5. Quibus non obstantibus adhuc locum habet id, quod familiare apud Theologos est cum D. Th. nimirum Hominem præferre Trinitatis imaginem in memoria, intellectu, & voluntate. Locum, inquam, licèt realiter non distinguantur, Personæ verò realiter omnes distinctæ sint; quia potentiæ istæ sunt similitudo deficiens valdè, & imperfecta. Vid. S. Th. loco relato.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Phantasma efficienter concurrat unà cum intellectu agente ad speciei intelligibilis productionem, & quomodo.

§. I.

1. A Phantasia phantasma compellatur, estque imago rei sensibilis existens in Phantasia per actum ejusdem phantasiæ; vel alterius sensus externi producta.

Exploratum est, phantasma necessariò exposci ad speciei intelligibilis productionem; quia intellectus agens est indifferens ad hujus, vel alterius rei speciem intelligibilem producendam, cùm in se non habeat rerum omnium species, secùs à principio rerum omnium produceret species, ceu agens ut potentia naturalis: ergo determinari indiget à Phantasmate. Dubium itaque emergit prout in titulo.

2. Nonnulli cum Suarez, & Rubio sentiunt, Phantasma concurrere in genere causæ duntaxat materialis, & per modum exemplaris, ex quo intellectus agens habeat ideare, & veluti pingere speciem.

Alii cum Scoto tenent, concurrere per modum causæ principalis, licèt partialis, & non totalis.

Thomistis autem cunctis placet, concurrere Phantasma, ut in-

ut instrumentum intellectus agentis. Sed adhuc dissidium inter eos extat in determinando modum instrumentaliter concurrendi. Pro quo

Scito, quòd duplex solet illuminatio distingui. Alia dicitur formalis, & alia objectiva. Formalis fit per inhærentiam lucis in objecto illuminato. Objectiva fit per extrinsecam luminis assistentiam facientis apparere objectum; sicque intellectus agens per suam lucem habet assistere phantasmati, ut in eo appareat natura sine singularitate, & materialitate.

Primus dicendi modus est Cajetani, qui p. 1. q. 84. art. 6. & q. 85. art. 1. ponit, quòd intellectus agens operetur in Phantasma per illuminationem, non formalem, sed objectivam, quam sufficientem putat, ut phantasma concurrat ad productionem speciei intelligibilis, sicque intellectus agens per suam lucem habet assistere phatasmamati, ut in ea emicet natura sine singularitata, & sine materialitate.

Secundus dicendi modus placet Ferrariensi, Bannez Compl. Conimbr. & aliis, sentientibus, phantasma nec formaliter, nec objectivè, sed radicaliter duntaxat illustrari, quatenus Phantasia radicata in eadem Anima, in qua est intellectus agens, producit phantasmata apta, ut ab eis intellectus agens abstrahat species. Quæ aptitudo reddit phantasma actu intelligibile.

Tertius dicendi modus communior apud Thomistas est, quòd phantasma illustratur formaliter ab intellectu Agente illustratione formali, à quo aliquam recipit virtutem, media qua elevatur ad instrumentaliter producendam speciem intelligibilem.

§. II.

CONCLUSIO.

Phantasma effectivè instrumentaliter concurrit ad productionem speciei intelligibilis per formalem illuminationem, & virtutem ab intellectu agente receptam.

3. QUò ad duas priores partes explicatè docetur à D. Th. quodl. 2. art. 2. & quodl. 8. art. 3. & q. 10. de ver. art. 6. ad 7. Et

Prob. à sufficienti divisione, cæteros omnes respuendo dicendi modos. Phantasma non concurrit in genere causæ purè materialis, nec in genere causæ formalis, nec in genere causæ finalis: ergo concurrit in genere causæ efficientis. Difficultas tota sita est in prima antecedentis parte, quia quò ad reliquas ab Universis conceditur. Prob. itaque ant. quò ad p. p. Si concurreret in genere causæ materialis, vel concurreret ut causa materialis propriè, vel (ut alii dicunt) in genere causæ materialis dispositivæ, nimirum ut dispositio, vel concurreret tanquam exemplar, ut alii dicunt, sed nullo ex his modis concurrit: ergo &c.

Min. quò ad p. p. apud cunctos est in confesso, & meritò quia causa materialis accidentis est subjectum, ex quo educitur; species autem intelligibilis hæret intellectui possibili, at non phantasmati.

Prob. præterea min. quò ad 2. p. Dispositiones requisitæ ad effectum spiritualem debent spirituales esse, sed phantasma nequit esse spirituale, aut spirituales ponere dispositiones: ergo non concurrit dispositivè ad productionem speciei intelligibilis, quæ spiritualis est.

Prob. demum eadem min. quò ad 3. p. Tum quia (uti 2. Phys. vidimus) exemplar non causat, nisi ut cognitum, sicut & idea, sed intellectus agens non est cognoscitivus: ergo &c. Tum quia, ut ibidem vidimus, idea, & exemplar reducitur ad genus causæ efficientis.

4. Quòd verò concurrat ut causa instrumentalis, non verò principalis prob. contra Scotum, quia phantasma est quid corporeum, & materiale, sed nullum corporeum, & materiale habet sufficientem virtutem ad producendum principaliter effectum spiritualem, qualis est species: ergo &c.

5. Quòd demum non sufficiat illuminatio radicalis. Prob. Si Phantasia ut in Anima radicata posset producere phantasma obtinens virtutem aptam ad causandam speciem intelligibilem, istud phantasma esset causa principalis, quia non indigeret ab intellectu agente adjuvari, sed hoc vanum est: ergo &c. Min. ultraquamquod ab universis docetur Thomistis Prob. (& simul oppugnatur responsum Scotistarum) quia si semel Phantasia ut in Anima radicata posset sic, &c. cùm etiamsi non extaret intellectus agens, adhuc radicaretur in Anima, etiam sine isto posset &c. adeoque frustraneus foret intellectus agens. Itaque concurrit ut instrumentum illuminatum formaliter.

Ut instrumentum, inquam, elevatum ab intellectu agente aliquam per virtutem sibi intrinsecè communicatam, cùm, ut 2. Phys. q. 2. art. 1. vidimus, instrumentum necessariò participet virtutem sibi intrinsecam à principali causa derivatam.

Nec objectiva sufficit extrinseca illuminatio. Non, inquam, quia talem per illuminationem, ceu extrinsecam, Phantasma non mutatur intrinsecè: ergo remanet intrinsecè sicut prius, adeoque sicuti priùs erat intrinsecè impotens ad productionem intelligibilis speciei, ita & impotens etiam talem post illuminationem erit.

Neque satis est cum Cajet. dicere, quòd illuminatio objectiva facit, quòd in phantasmate appareat natura universalis sine singularitate, cæterisque materialibus conditionibus. Non, inquam, est satis, quia, uti dictum est, talem per illuminationem cùm non muterur intrinsecè, remanet sicut antea, proindeque si antea naturam exhibebat materialibus vestitam conditionibus, ita & talem post illuminationem objectivam.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverso producta.

6. ARg. 1. in favorem Suarez contra p. p. concl. Ad speciei intelligibilis productionem requiritur exemplar; sed non aliud est excogitabile præter phantasma: ergo Phantasma concurrit in genere causæ exemplaris. Prob. maj. Species non semel à D. Th. præsertim lib. de Memoria, & Reminiscentia lect. 3. compellatur pictura objecti, sed pictura fit imitando exemplar: ergo &c.

Resp. nego maj. Ad prob. dist. min. Pictura, quæ est effigies, & similitudo artificialis rei, concedo, quæ est similitudo, & effigies naturalis nego min. & conseq. Responsum patet ex dictis antegresso art. §. 3. ad 5. arg. sub finem num. 6. Vide etiam lib. 2. q. ult. art. 3. ad 4.

7. Arg. 2. contra 2. p. in favorem Scoti. Effectus assimilatur causæ principali, sed species intelligibilis assimilatur, non tantùm intellectui agenti: ergo &c. Prob. min. Quatenus spiritualis assimilatur intellectui agenti, & quatenus repræsentativa assimilatur phantasmati: ergo &c.

Conf. Objectum concurrit principaliter ad speciei productionem, sed objectum concurrit mediante phantasmate: ergo &c.

Resp. dist. maj. assimilatur causæ principali in eo, quòd nobilius est, concedo, in ignobiliori, & minùs principali prædicato, nego min. & conseq. Etiam namque instrumentum (ut 2. Phys. q. 2. art. 2. diximus) cùm suam habeat actionem prævlam, potest per illam sibi assimilare effectum, sic V. G. licèt scissio, ut scissio est, correspondeat serræ; quia tamen non correspondet illi ut scissio artificiosa est, idcircò solus Artifex, non verò serra concurrit principaliter ad artificiosam scissionem. Ratio autem repræsentativi in specie est prædicatum minùs principale, potissima verò ejus ratio est ratio spiritualis.

Contra. Quemadmodum intellectus agens concurrit ad productionem speciei intelligibilis ut spiritualis est, & phantasma concurrit ad illam ut repræsentativa est, ita intellectus possibilis concurrit ad intellectionem ut vitalis est, & species concurrit ad illam ut determinata est. Quod idem est de cæteris cognoscitivis potentiis. Similiter Deus concurrit ad entitatem, & creatura ad deformitatem peccati, sed nec species dicitur, ut instrumentum intellectus possibilis causare intellectionem, nec creatura dicitur causa instrumentalis peccati: ergo à pari &c.

Resp. nego maj. Discrimen est, quia phantasma, ceu quid materiale, subordinatur in speciei intelligibilis productione intellectui agenti, qui spiritualis est: materiale etenim subordinat spirituali: Cæterùm species quamquam vitalitatem aliquam à potentia participet, tamen non subordinatur simpliciter potentiæ; quia potentia respectu speciei passivè se habet. Similiter creatura non subordinatur Deo producendo peccati deformitatem; quia Deus nullatenus movet creaturam ad deformitatem peccati.

Oppugnabis. Causa secunda esto instrumentaliter duntaxat causet rationem entis in suo effectu; quia tamen causat Principaliter cæteros gradus, dicitur causa, non instrumentalis, benè verò principalis: ergo & Phantasma esto instrumentaliter tantùm causet rationem spiritualitatis in specie; quia tamen causat illam principaliter secundùm rationem repræsentativi, &c.

Resp. quodam cum Nupero in m. f. nego conseq. discrimen est, quia ad hoc, ut aliquid sit propriè instrumentum debet causare instrumentaliter, non rationem communem omnibus rebus (secùs foret instrumentum universale commune omnibus effectibus) sed rationem aliquam particularem. Ratio autem entis est communis cunctis rebus; non sic verò est communis ratio spiritualitatis in specie.

Qua ex re infero, quòd Cœlum non est principalis causa viventium quorundam, quæ virtute ipsius ea putri procreantur, sed est eorum causa duntaxat instrumentalis, ut Instrumentum Intelligentiæ.

Ad Conf. dico, quòd objectum licèt causet principaliter species intentionales in potentiis corporeis; non tamen species intelligibiles, cùm sit materiale.

8. Arg. 3. In favorem Ferrariensis. Phantasia in Homine ut radicata in Anima rationali elevatur ad participandum aliquem discursum; ergo etiam potest elevari ad producendum phantasma aptum producere speciem intelligibilem.

Resp. quod participat discursum aliquem formalem valdè imperfectum. Ob idque solùm sequitur, posse participare spiritualitatem duntaxat imperfectam insufficientem ad productionem speciei intelligibilis, quæ debet esse simpliciter spiritualis, quemadmodum Intellectus simpliciter spiritualis est.

9. Arg. 4. Directè contra nostram assertionem. Materiale nequit saltem naturaliter elevari ut instrumentum ad productionem effectus spiritualis; sed phantasma est quid materiale: ergo &c. Prob. maj. Siquidem nonnisi miraculosè Sacramenta elevantur ad causandam instrumentaliter gratiam; Ignis nonnisi miraculosè elevatur ad torquendos spiritus.

Conf. Phantasma non in intellectu est, benè verò in alia distincta potentia, nimirum in Phantasia: ergo nequit esse instrumentum intellectus agentis. Conseq. est exacta. Non enim potest Artifex V. G. uti Serra tanquam instrumento, si ista sit in alio à se.

Resp. ad arg nego, vel dist. maj. si illud materiale nullam habeat connexionem cum spirituali, concedo, secùs, nego maj. & distincta min. nego conseq. Ad prob. aiter discrimen, quia nimirum res materiales, puta aqua baptismalis secundùm se nullam cum gratia connexionem habet, sicut nec Ignis cum spiritu. Adde quòd gratia est supernaturalis etiam respectu Animæ, & Angeli licèt spirituales sint.

Ad Conf. Resp. quòd licèt sit in alia potentia, tamen ista alia potentia non est disparata, sed est subordinata. Quod sufficit.

10. Arg. 5. Phantasma nequit virtutem aliquam recipere ab intellectu agente; sed de ratione instrumenti est participare virtutem à causa principali, juxta dicta 2. Phys. q. 2. art. 1. ergo &c. Prob. maj. Virtus illa vel est spiritualis: Et hoc non, quia spiritualis virtus haud capax est, ut recipiatur in subjecto corporeo. Vel est materialis: Sicque sufficiens non erit ad spiritualem producendum effectum.

Resp. ex dictis loco relato in arg. ad 3. quòd licèt virtus spiritualis completa nequeat recipi in subjecto corporeo per modum permanentis, benè tamen virtus incompleta, & vialis per modum transeuntis.

11. Ex dictis collige, quòd Phantasma in productione speciei intelligibilis suam habet propriam actionem præviam, sicut ad instrumenti rationem exigitur. Actio namque ipsius propria prævia est, per quam attingit rationem repræsentativi in tali specie, ut num. 7. ad 2. dixi.

QUÆSTIO TERTIA.

De Objecto Intellectus Possibilis.

ISta quoque in quæstione tres resolvendæ dubitationes sese offerant, quarum prima est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam sit objectum adæquatum Intellectus Possibilis.

§. I.

1. PRæcipua, & quidem non modica dubitandi occasio est, quia palam est, creatum intellectum ad aliquod etiam infinitum intelligibile attingendum elevari, nimirum Deum ipsum ut est in se, qui non est objectum illi proportionatum, & connaturale. Et ex alia parte objectum opus est, esse proportionatum, & connaturale potentiæ.

Duplex autem distingui consuevit à non paucis adæquatum objectum. Unum dicitur extensivum, idest adæquatum extensivè, & est illud, ad quod qualitercunque extendi potentia cognoscitiva potest, sive virtute propria, sive ut superiori adjuta virtute. Aliud dicitur objectum adæquatum intensivè, sive proportionis, quod attributionis objectum compellatur, estque objectum naturali proportionatum potentiæ cognoscitivæ. Et hoc est objectum illius specificativum, cujus ad varietatem variantur Intellectuum species, puta intellectus humanus ab Angelico, & plures intellectus Angelici inter se. Mihi tamen videtur, quòd esse objectum sit idem prorsus, ac esse extensivum; quia objectum est illud, ad quod potest extendi, idest pertingi; sicut idem est esse terminum V. G ac esse completivum.

2. Plures hac in re sunt dicendi modi.

Unus est quorundam, qui in intellectu distinguunt id, quod est capacitatis genericæ, & passivæ ab eo, quod est virtutis, & activitatis. Aliud enim (ajunt) est in Intellecto capacitas passiva, aliud verò activitas ejusdem. Capacitas correspondet intellectui possibili ut est sub statu puræ potentiæ, nimirum ut est quid perfectibile. Virtus autem eidem correspondet intellectui ut formato specie sibi connaturali, idest correspondet modo habendi species connaturales, sive per intellectum agentem abstractas, sive per substantias spirituales infusas actuetur intellectus ut à proprio motivo: Tanta enim est virtus activa, quantum objectum motivum.

Ad hunc dicendi modum alter reducitur dicendi modus Godoy, qui p. p. q. 12. dub. 2. super art 1. D. Th. duplicem distinguit in intellectu nostro formalitatem. Unam secundùm quòd creatus est, secundùm quam rationem dicit, quòd objectum ejus specificativum est ens inquantum ens, modo finito attingibile. Et tunc asseverat, Deum ut clarè visum contineri intra objectum specificativum intellectus. Aliam secundùm quòd humanus est. Et hoc modo negat, Deum clarè visum contineri intra objectum intellectus specificativum. Verùm enim verò uterque modus iste refutatus manet ex dictis lib. 2 q. 3 art. 1. ad 3. num. 8. ubi contra Cajetanum vidimus, eandem rem, etiam secundùm diversam rationem nequire duplex habere specificativum. Videri etiam potest Cavion hic disp. 2. q. 2. §. 1.

§. II.

CONCLUSIO.

Objectum adæquatum extensivum imò & specificativum quoad rem intellectus nostri est ens finito modo attingibile: objectum verò specificativum pro hoc statu est quidditas reperta in re materiali; pro statu verò separationis est quidditas ipsius Animæ.

3. COnsentiunt ferè omnes, quibusdam recentioribus tum Philosophis, tum Theologis demptis. Sicque sentit Angelicus, qui p. p. q. 79. art. 7. in corp. inquit, quòd *intellectus respicit suum objectum secundùm rationem communem entis, & quòd intellectus possibilis est, quod est omnia fieri*. Idem docet q. 87. art. 3. ad 1. & alibi non infrequenter. Et

Prob. p. p. 1. à priori. Extensionis objectum illud dicitur, ad quod valet potentia extendi, juxta dicta num. 1. Sed Intellectiva potentia potest extendi ad omne ens intelligibile finito modo: ergo &c. Prob. min. Intellectiva potentia fundatur in immaterialitate omnem excludente materiam, & corporeitatem, ut ejus ex operationibus probatum

tum est 1. Phys. q.3. art.3. §.2. sed hoc ipso, quòd talem obtinet immaterialitatem, & spiritualitatem in seipsa potest ad omne intelligibile finito modo attingibile pertingere: ergo &c. Prob. min. Hoc ipso, quod immaterialis est, & spiritualis est capax modi immutandi cujuscunque objecti intelligibilis; ergo &c. Prob. ant. Modus immutandi, & informandi, quo immutatur intellectiva potentia ex parte objecti intelligibilis, quantumcunque objectum sit perfectissimum, non est alius, quàm modus spiritualis, & immaterialis: ergo &c. Quæ ratio probat etiam de specificativo.

Prob. 2. à post eadem pars. Quilibet Intellectus potest se extendere ad omne intelligibile finito modo, cùm elevetur Intellectus noster etiam ad Deum clarè visum; sed nulla potentia valet attingere id, quod non est suum objectum: ergo &c.

Præterea quòd ens in tota sui latitudine queat esse specificativum intellectus objectum, Prob. Ideo negatur esse objectum specificativum, quia diversum specificativum objectum habent humanus, & Angelicus intellectus; & id minimè obtinerent, si ens in tota sui latitudine foret objectum intellectus specificativum eò quòd uterque, ut vidimus, valens attingere omne ens finito modo attingibile, idem sortiretur objectum specificativum. Sed hæc ratio nulla est: ergo &c. Prob. min. Tum quia sufficit diverso modo attingere. Tum quia etiam omnes Angeli sunt diversæ speciei, adeoque habent intellectum diversæ speciei. Sed de hoc plura in tract. de Visione dicam.

4. Secunda pars prob. Intellectus Animæ nostræ pro hoc statu est in infimo intellectualitatis gradu: ergo objectum ejus proportionatum aliquid esse debet intelligibile infimum, & imperfectius; sed hoc est quidditas materialis: ergo objectum proportionatum, nimirum specificativum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei materialis, seu reperta in quidditate materiali.

Conf. 1. Experimento deprehendimus, nos non intelligere, nisi per cognitionem à sensibilibus, & per connotationem ad phantasmata: ergo signum est, Animam ibi habere, & reperire sua intelligibilia proportionata pro hoc statu.

Secundò. Quidditas rei sensibilis modo quodam spirituali sumpta est intelligibile quoddam in actu: ergo debet esse connaturale alicujus intellectus objectum; sed non alterius, quàm nostri: ergo &c. Min. Prob. Est namque intelligibile infimum, adeoque infimo correspondens intellectui.

Prob. præterea eadem secunda simul, & tertia pars. Objectum proportionatum, & specificativum intellectus opus est, esse eodem in immaterialitatis gradu cum intellectu; sed quod est in eodem spiritualitatis gradu cum intellectu nostro pro hoc statu est quidditas rei materialis, & pro statu separationis est ejusdem Animæ quidditas: ergo &c. Prænitet maj. Cùm namque objectum cognoscatur secundùm quòd est in cognoscente, idcircò si naturaliter cognoscitur, connaturaliter est in cognoscente; non est autem connaturaliter in illo, nisi conveniat in modo essendi penes immaterialitatem, quæ totius cognoscitivi ordinis est fundamentum. Min. prob. Et primò quò ad p. p. Anima pro hoc statu est partim intra, & partim extra materiam (est enim nonnihil intra per receptionem, seu informationem, & est aliqualiter extra, quatenus est independens in esse, & in sui virtute intellectuali à materia) sed haud aliud est, excogitabile, quod sit quodammodo in materia, & quodammodo extra illam, nisi quidditas materialis abstracta à singularibus: ergo &c. Prob. præterea eadem min. quò ad 2. p. à sufficienti divisione. Siquidem nec Deus, nec Angelus, nec quidditas materialis est in eodem immaterialitatis gradu cum Anima separata: ergo sola ejusdem Animæ quidditas. Prob. ant. siquidem Anima separata licèt actum non sit materia; est tamen forma ex se materiæ conjungibilis; sed res materialis est actu in materia, Deus verò, & Angelus nec potentia, nec actu est in materia: ergo &c. Et quidem quòd non sit quidditas rei materialis palam est, quia Anima separata non intelligit per conversionem ad phantasmata.

Pro hujusce ratiocinationis notione non est prætereunda doctrina D. Th. p. 1. q. 12. art. 4. ubi tres distinguit immaterialitatis gradus, qui ad tres extendi possunt. Primus earum est rerum, quæ habent esse in materia individuali, & sensibili, à qua separari nec per intellectum possunt, ut sunt singularia, & sensibilia. Secundus est earum, quæ licèt habeant esse in materia individuali, & sensibili, à qua nequeunt separari secundùm rem, sunt tamen separabiles per intellectum, ut sunt essentiæ rerum materialium. Tertius est earum rerum, quæ secundùm rem separatæ sunt à materia, non tamen à potentialitate, quia habent essentiam realiter ab existentia distinctam, ut substantia Angelica. Quartus est rei, quæ secundùm rem est separata ab omni potentialitate, & carens omni compositione, quia formaliter est suum esse, & sua operatio, & actus purus, nimirum Deus.

§. III.

Oppugnantium argumenta dissolvuntur.

6. ARg. 1. Potentia nequit exire limites sui objecti seu extendi (quod idem est ac extensivè, ut præoccupetur de objecto extensivo ut petitio principii) sed ens in tota sui latitudine excedit limites objecti. Specificativi intellectus: ergo nequit intellectus creatus extendi ad omne ens. Prob. min. Deus namque clarè visus excedit intellectum nostrum.

Resp. dist. min. excedit quò ad rem, nego, quò ad modum infinitudinis, concedo min. & nego conseq. Recole dicta num. 1. Et quidem posse intellectum elevari ad claram Dei visionem spectat ad Theologos probare in tract. de Visione. Nos autem id supponimus hic; & quod Deus sic clarè visus sit proportionatus creato intellectui, non sibi relicto, sed ut adjuto supernaturali virtute elevante finito modo ad objectum infinitum claro modo videndum modo finito, sed finitudine excedente alias finitudines.

7. Arg. 2. Intellectus saltem pro hoc statu non cognoscit spiritualia: ergo objectum ejus extensivum non est ens universalissimè inspectum. Prob. ant. Intellectus pro hoc statu cognoscit ministerio sensuum; sed horum ministerio nequit spiritualia deprehendere: ergo &c.

Resp. dist. ant. non cognoscit spiritualia ut sunt in seipsis, concedo, ad modum quidditatis materialis, nego ant. & conseq.

Contra. Id minimè sufficit, ut ens in tota sui latitudine sit primarium intellectus objectum: ergo &c. Prob. ant. Quotiescunque unum attingitur per ordinem ad aliud nequit per se contineri sub objecto primario: ergo si spiritualia non attinguntur, nisi per ordinem ad quidditatem materialem, &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. maj. si id ejus exigat natura, concedo, si duntaxat per accidens illi eveniat, nego maj. & distincta min. nego conseq. Quod enim spiritualia ad modum quidditatis materialis attingantur est per accidens, nimirum ratione dependentiæ, quam Intellectus pro hoc statu à sensibus habet.

8. Arg. 3. Objectum intellectus nostri non debet esse æquivocum, cùm & ipse potentia univoca sit; sed ens in tota sui latitudine est analogum: ergo &c.

Resp. 1. ex dictis in Logica Syntag. 1. prodromo art. 5. concl. ult. ad 2. quòd quemadmodum ens rationis estò non sit simpliciter scibile intrinsecè, & subjectivè; est tamen simpliciter tale extrinsecè, & objectivè: ita ens in communi estò non sit univocum intrinsecè, & subjectivè; est tamen univocum extrinsecè & objectivè. 2. quòd licèt non sit univocum in esse entis, nimirum in prædicando; est tamen univocum in esse objecti, & in specificando. Solutionem aliam promitto in Meth. q. 1. prodroma art. 3. §. 3. ad 1. conf. 5. arg. sub num. 7.

9. Arg. 4. contra 2. p. Si proportionatum Intellectus nostri objectum pro hoc statu foret quidditas rei materialis, sequeretur, quòd Anima etiam unita corpori impassibili post resurrectionem haberet pro proportionato objecto talem rei materialis quidditatem; sed hoc propugnari minimè potest: ergo &c. Min. est D. Th. 3. p. q. 11 art. 2. ubi ostendens, quomodo uti Christus potuerit scientia infusa absque conversione ad phantasmata, in fine corporis dicit, quòd Animæ Beatorum & ante, & post resurrectionem intelligere possunt absque conversione ad phantasmata. Maj. prob. Tum quia etiam unita corpori impassibili est in infimo intellectualitatis gradu. Tum quia etiam tum verificatur, esse partim intra, & partim extra materiam.

Resp. nego sequelam. Ad probationes dist. & aliàs est elevata supra talem statum per virtutem aliquam supernaturalem,

talem, concedo, secùs, nego. Hæc itaque est conditio Animæ comprehensoris (inquit S. Th. loco in arg. relato) quòd nullo modo suo subdatur corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Eapropter post resurrectionem redundabit ex Anima gloria ad corpus. Ex hoc autem Anima Hominis viatoris indiget ad phantasmata converti, quia est obligata corpori, & quodammodo ab eo dependens.

Dices. Ex hoc sequetetur, quòd Anima Hominis in statu innocentiæ non indiguisset conversione ad phantasmata; sed hoc vanum est: ergo &c. Liquet sequela, quia tali in statu perfectum habebat supra corpus dominium.

Scotus in 1. sent. dist. 3. q. 5. dub. 2. tenet, Hominem in statu innocentiæ intellexisse absque conversione ad phantasmata, putans, indigentiam conversionis esse pœnam peccati originalis. Contra quem stat S. Th. p. p. q. 92. art. 2. ubi hæc ratione docet, quòd Adam in statu innocentiæ Angelos per essentiam non viderit. Igitur

Resp. nego sequelam. Ad prob. dico, quòd licèt perfectum dominium tale tunc haberet supra corpus, quod nullam sensus experiebatur rebellionem, non tamen ita quòd non indiguerit ministerio sensuum ad intelligendum.

10. Arg postremò contra ultimam rationem. Ideo proportionatum intellectus nostri objectum pro hoc statu est quidditas rei materialis, & pro statu separationis quidditas Animæ, quia objectum in eodem esse debet immaterialitatis gradu, sed ratio ista vel nihil, vel nimis probat: ergo &c. Prob. Min. Si quid probaret, probaret etiam, quod etiam hoc pro statu proportionatum objectum foret ejusdem Animæ quidditas, sed hoc non admittitur: ergo &c. Prob. maj. Anima pro hoc statu est in eodem immaterialitatis gradu cum intellectu; ergo &c.

Resp. nego min. Ad prob. nego maj. cujus ad prob. dist. ant. & aliàs impedimentum obviat ex alio capite, concedo, secùs nego. Obstat enim hoc, quod est intelligere ministerio sensuum, qui non valent ministrare species rei spiritualis, qualis est Anima.

SI PETAS.

Num pro hoc statu intellectus intelligat substantiam per speciem ejus propriam.

RESp. affirmativè, quia licèt pro hoc statu intellectus, intelligat dependenter à sensibus, & sensus versentur duntaxat circa accidentia, eò quòd substantia non est perse sensibilis. Tamen accidens in virtute substantiæ potest ut instrumentum ejus propriam producere substantiæ speciem, non minùs ac ut substantiæ instrumentum aliam queat producere substantiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Intellectus pro hoc statu cognoscat directè singulare materiale.

§. I.

1. QUatuor percensentur sententiæ. Prima absolutè annuit, quam post Durandum defensitant Scotus, Suarez, & alii apud Martinez.

Seconda negat non solùm directam ejus repræsentationem, verùm etiam & distinctam, solum admittens confusum conceptum. Hæc attribuitur Cajet. & Capreolo.

Tertia distinguit, & dicit, quòd loquendo de speciebus, quæ primò abstrahuntur à Phantasmatibus, indirectè duntaxat, & in obliquo repræsentat singularia. Quæ verò deserviunt secundæ cognitioni, & præsupponunt primam in intellectu, repræsentant directè. Idem dicunt de specie expressa. Hanc tutantur Compl. Philippus à SS. Trin. & nonnulli in m. s. clarissimi cujusdam ea nostris.

Quarta respuit repræsentationem directam loquendo de quacunque specie, approbat verò propriam, & distinctam. Pro hac stat Ferrariensis, Bannez, & alii, inter quos Cavinus.

§. II.

CONCLUSIO.

Per nullam intelligibilem speciem potest directè repræsentari singulare materiale; adeoque directè nequit cognosci ab intellectu nostro pro hoc statu, sed duntaxat indirectè, propriè tamen, ac distinctè.

2. ADest Philosophus, qui 1. Phys. cap. 5. tex. 49. & 2. de Anima cap. 5. scribit, quòd sensus est singularium, intellectus verò & scientia universalium.

Prima pars Prob. 1. ex Gonzalez p. p. q. 14. art. 11. ratione, quam ipse dicit, esse apud sapientes demonstrativam. Intellectus humanus medium obtinet locum in genere cognoscitivi inter sensum, & intellectum Angelicum, sed sensus ceu materialis, ac organo affixus corporeo, cognoscit directè, & propriam per speciem singulara materiala; intellectus verò Angelicus ceu penitùs spiritualis, nec unitus formæ corporis, attingit objectum spirituale: ergo humanus intellectus quia non est materialis, & aliàs est virtus Animæ, quæ est corporis forma debet habere pro objecto proportionato, ac specificativo quid materiale, non quidem materialiter, sed immaterialiter inspectum, quod idem perinde est, ac dicere abstractum à conditionibus singularibus, & consequenter singulare materiale non repræsentatur ei directè.

Prob. 2. eadem pars. Ad hoc, ut singulare materiale directè repræsentaretur deberet repræsentari vel primariò, vel secundariò per speciem intelligibilem (etiam enim objectum secundarium potest directè attingi, quia attingere indirectè sumitur, ac attingere resteaè, & per regressum ad principia) sed per speciem intelligibilem nec primariò, nec secundariò repræsentatur singulare: ergo non repræsentatur, nec cognoscitur directè. Prob. min. Species intelligibilis est à singularibus abstracta: ergo &c. Nitet ant. quia, uti scripsimus supra, ad hoc ponitur intellectus agens, ut speciem à materialibus conditionibus depuratam producat: ergo &c.

Conf. Species intelligibilis repræsentat directè objectum proportionatum intellectus possibilis, sed hoc (ut prægresso art. vidimus) est sola quidditas rei materialis, non verò singularitas materialis: ergo &c. Dilucidatur maj. simul, & min. Quemadmodum sensus, ceu materialis, respicit pro objecto proportionato quid materiale, & propterea species sensui deserviens repræsentat singulare, sic quia intellectus noster est quodammodo extra materiam, objectum ejus proportionatum erit quidditas materialis, proindeque species intellectui deserviens habet directè repræsentare materialem duntaxat quidditatem.

Quod verò nec per speciem expressam, aut secundariam possit directè repræsentari Prob. Tum quia & istæ deserviunt intellectui humano, qui medius est sensum inter, & Angelicum intellectum. Tum quia ratio, ob quam primaria species, & impressa nequit directè repræsentare singularia, est quia spiritualis est, & immaterialis, sed talis est quoque species secundaria, & expressa: ergo &c.

Dices cum præiaudato in m. s. quòd prima est facta per abstractionem à singularibus, secùs secundæ. Sed

Contra, Tum quia sive sint abstractæ à singularibus, sive non; tamen humano deserviunt intellectui, qui medius est, &c. adeoque semper viget prima ratio. Tum quia & istæ sunt abstractæ à singularibus saltem mediatè, quia producuntur media specie impressa, quæ fuit à singularibus abstracta.

Rationes istas redintegrabo in Metaphys. q. 2. art. 1. §. 2. ubi & alias refutabo solutiones.

3. Quod demum singulare distinctè repræsentetur, & cognoscatur Prob. quoniam ni clarè repræsentaretur, & cognosceretur, sequeretur, quòd nunquam posset intellectus unum singulare materiale ab alio discernere, sed hoc vanum est: ergo &c. Min. prob. Quamvis etenim duo singularia summoperè similia haud de facili discernantur; tamen non est absolutè denegandum, posse unum ab alio singulare secerni: quemadmodum certum est, discerni Petrum, qui est Vir à Joanne, qui est puer, tametsi eandem habeat specificam quidditatem.

§. III.

§. III.

Adversariorum argumentationes dissolvuntur.

4. ARg. 1. Singulare materiale est per se directè ab aliqua ex potentiis cognoscibile; sed non à sensu: ergo ab intellectu. Niter maj. Est namque ens quoddam, & cognoscibile reale. Min. etiam, quia sensus attingit accidentia duntaxat extrinseca.

Resp. 1. nego maj. & dico, esse cognoscibile tantummodo indirectè, & reflexè. Ad prob. dico, quòd licèt sit aliquod ens, & cognoscibile reale, tamen est penitùs materiale, quod officit, ne sit directè ab intellectu attingibile: & secundùm sui entitatem non est accidens, adeoque non est per se sensibile. 2. Omissa maj. nego min. Extat namque sensus aliquis, præcipuè internus, qui attingit objecta modo insensato, nimirum Æstimativa, quæ (ut scripsimus in quæstiuncula ult. posita in fine quæstionis 6.) est virtus apprehendens de sensato non sensatum.

Contra. Singulare materiale est directè cognoscibile ab intellectiva potentia; ergo &c. Prob. ant. Non minùs est spiritualis voluntas, quàm intellectus; sed singulare materiale est directè appetibile à voluntate: ergo &c. Min. elucescit. Non enim voluntas amat naturas universales, quæ à parte rei non extant.

Resp nego ant. Ad prob. dist. maj. reliquis paribus, nego, ceteris disparibus, concedo maj. cum min. & nego conseq. Discrimen situm est diverso illo in modo tendendi ad objectum, quem habent intellectus, & voluntas. Intellectus siquidem cùm objectum ad se trahat, sibique illud uniat indiget, eum recipere materialibus exutum conditionibus. Non sic autem Voluntas, quæ licèt spiritualis sit, tamen non trahit ad se objectum, nec illud sibi unit, sed potius trahitur affectivè ab objecto.

Contra. Et est objectio contra primam rationem. Voluntas nostra estò trahatur ab objecto, tamen est media inter voluntatem Angelicam, & appetitum sensitivum, non secùs, ac humanus intellectus sit medius inter intellectum Angelicum, & sensum: ergo currit adhuc paritas.

Conf. Etiam Angeli intermedii sunt medii inter supremum, & infimum Angelum; & tamen cuncti directè attingunt singularia materialia: ergo pariter licèt intellectus humanus sit medius &c.

Urgetur. Etiam Angelorum, & Animæ separatæ species sunt immateriales, imò magis quàm illæ, quæ nostro deserviunt intellectui pro hoc statu; sed hoc non obstante illæ repræsentant directè singularia materialia: ergo etiam &c.

Urgetur magis. Etiam intellectus Animæ separatæ est medius inter intellectum Angelicum; & sensum; sed hoc non obstante cognoscit directè singularia materialia: ergo &c.

Resp. ad inst. quòd quò ad hoc voluntas non sic mediat, quia nec Angeli voluntas fertur ad universalia singuli, & singularia, sicut Angelicus fertur intellectus ad Universalia, & singularia directè. Nec Angelus amat res abstractas, quæ ceu non existentes, nullam ad se trahere voluntatem valent.

Ad 1. Conf. nego conseq. Non enim ut potentia aliqua nequeat directè attingere singulare materiale sat est quæcunque intermedii ratio, sed requiritur, quòd sit media inter Angelicum intellectum & sensum immediatè, ut verum sit deficere ab Angelico in hoc, quòd attingit duntaxat quidditatem materialem; & excedat sensum in hoc, quòd quandam obtinet immaterialitatem, nimirum quidditatem abstractam, & non conditionem materialem. Inter sensum autem & intellectum Angelicum mediat intellectus humanus.

Ad 2. dist. maj. sunt immateriales immaterialitate habita per abstractionem à phantasmatibus, & à singularibus, nego, secùs, concedo maj. cum min. & nego conseq. Sunt namque à Deo infusæ. Cæterùm pro hoc statu nequeunt directè repræsentare singularia, quia sunt à singularibus, adeoque à singularitate abstractæ.

Dices. Angelorum species tametsi repræsentent objecta cum eorum singularitate, ac conditionibus materialibus adhuc sunt immateriales: ergo etiam species nostro deservientes intellectui possunt pro hoc statu repræsentare objecta cum ipsorum singularitate, adeoque absque eo, quod sint ab eis abstractæ, & adhuc esse immateriales.

Resp. nego conseq. Discrimen est, quia species Angelicæ non sunt acceptæ à rebus, sed sunt à Deo infusæ. Species autem nostræ desumuntur à rebus materialibus, adeoque nisi depurentur ab earum immaterialitate remanent materiales, sicut sunt materiales res.

Ad 3. Resp. sicut de Angelis intermediis. Anima siquidem in statu separationis non immediatè mediat inter Angelicum intellectum & sensum, quia mediat intellectus in statu unionis. Sanè & Anima separata ad modum Angelorum per species à Deo infusas intelligit, ut in Meth. q. 13. defensabimus.

5. Arg. 2. Intellectus noster pro hoc statu cognoscit singulare materiale per conceptum distinctè illum repræsentantem, ut distinguitur ab alio, & ab ipso universali: ergo dari debet species impressa directè ipsum repræsentans. Ant. nitet, Tum quia voluntas distinctè amat singulare; amor autem supponit cognitionem. Tum quia Prudentia est circa singularia agenda hic, & nunc. Tum quia formantur propositiones, in quibus universalia de singularibus enunciantur. Conseq. prob. Hoc ipso, quòd intellectus cognoscit distinctè singulare dari species debet illud distinctè repræsentans; sed hujusmodi nequit esse species repræsentans directè naturam universalem, & duntaxat indirectè singulare: ergo si &c. Prob. min. Species repræsentans naturam universalem abstractam, repræsentat, non distinctè, sed solummodo confusè singularia: ergo &c.

Conf. 1. Natura universalis est indifferens ad hoc, vel illud singulare: ergo species naturam repræsentans universalem, nullum determinatè singulare repræsentat, adeoque istud nullatenus erit distinctè cognoscibile.

Secundò. Non est explicabilis repræsentatio indirecta. Non enim dici potest, speciem repræsentare singulare reflexè, cùm species non sit reflexiva, licèt reflexivus intellectus sit.

Resp. nego conseq. Ad prob. nego min. Ad prob. dicitur, verum esse, quando natura abstrahitur à pluribus indeterminatè, secùs quando ab aliquibus determinatè abstrahitur. Tunc enim aliqua determinata importatur connotatio, licèt abstractio sit purè negativa, & non positiva explicata in Logica Syntag. 3. q. 5. art. 3. §. 5. Siquidem estò abstractio negativa non attingat terminum à quo, tamen ea supposita intellectus regressum quendam facit reflectendo, sicque reflexè attingit illum.

Ad 1. Conf. Resp. vel quòd ant. verum est de natura à pluribus indeterminatis abstracta. Vel quòd determinatur à phantasmate, à quo fuit abstracta, & cum quo connexionem habet.

Ad 2. nego ant. ac dico quod ly *indirectè* ex parte speciei idem est ac purè connexivè, ex parte verò intellectus idem ac reflexè, ut hactenus dictum est.

6. Arg. 3. Quicquid potest potentia inferior, potest etiam superior, & aliquid plùs, sed sensus, qui est intellectu inferior potest directè attingere singulare materiale: ergo &c.

Resp. dist. maj. potest eodem modo, nego, perfectiori modo, concedo maj. cum min. & nego conseq. Intellectus namque cognoscit singulare reflexè, quia cognoscit præscindendo à conditionibus materialibus. Eapropter cognoscere directè singulare est quidem perfectio in sensu, at non in intellectu.

Dices. Si ex sui perfectione impediretur, nec Angelus posset.

Resp. quòd impeditur ex perfectione imperfectioni admixta, quia nimirum spiritualis est, & aliàs pro hoc statu intelligit per conversionem ad phantasmata accipiendo species à rebus. Ob idque ut illi proportionatæ fiant indigent abstrahi à conditionibus individuantibus.

7. Arg. postremò pro 3. sent. ex prælaudato in m. s. datur in nobis propria species expressa de Deo quò ad an est, puta cùm forma conceptum, quo mihi objicio, primam dari causam: ergo à fortiori dari conceptus potest proprius primariò expressivus singularis, qui sit purè arguitivus, & non quidditativus. Quemadmodum namque Deus, & Angelus non sunt primariò à nobis attingibiles ratione tantæ immaterialitatis, ita nec singulare ratione tantæ suæ materialitatis.

Resp dato ant. nego conseq. Discrimen est ex dictis nitens, quia nimirum pro hoc statu species nostræ sunt à singularibus abstractæ. Ad annexam prob. dist. ant. in se accepti, concedo, ad modum rei materialis, nego. Pro hoc

statu

statu namque cognoscimus Deum, & Angelos ad modum rerum materialium. Quo pacto non sunt objectum improportionatum intellectus nostri pro hoc statu, ubi habet pro objecto proportionato (ut supra diximus) quidditatem rei materialis.

8. Colligitur, singulare materiale non esse cognoscibila directè summum exercitè, benè verò inspectum signatè, idest directè est cognoscibilis quidditas singularitatis, nimirum ipsa singularitas in communi, quæ habet rationem quidditatis abstractæ.

9. Colligitur etiam, singulare non esse primò cognitum. Sed de hoc in Metb. dicam q. 2. art. 1. & 2.

ARTICULUS TERTIUS.

Num queat Intellectus plura ut plura simul intelligere.

§. I.

1. EXploratum est, posse intellectum plura per modum unius intelligere, quatenus unum dicit ordinem ad aliud, vel est ratio aliud cognoscendi, aut inferendi, ut scribit S. Th. q. 8. de ver. art. 8. ad 6. V. G. præmissas, & conclusionem, &c. Dubium itaque emergit num possit simul plura intelligere disparatè se habentia.

Annuunt cum Scoto in 2. sent. dist. 3. q. 6. Scotistæ, quibus adhæsent Suarez, Conimb. & alii. Abnuunt verò Thomistæ.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

QUam conscribit Arist. 2. Top cap. 4. ubi *contigit, ait, plura sciri* (intellige de scientia habituali) *non autem cogitari, aut intelligi.* Ex professo autem eam statuit S. Thom p. 1. quæst 85. art 4. & primo contra Gentes cap. 55. Et

2. Prob 1. Nequit intellectus unica intellectione plura per modum plurium intelligere; sed si posset ea simul intelligere, jam unica intellectione plura ut plura intelligeret: ergo &c. Min. conceditur ab obversantibus, secùs posset intellectus simul diversas ut diversas elicere actiones per modum plurium, quod est impossibile, non secùs, ac sit impossibile, idem moveri per te motibus diversis, ut in fine 5. Phys. dictum est. Maj. prob Actus, sicut & potentiæ specificantur ab objectis (quod esse verum, saltem à post. licèt non à priori vel Scotus annuit) ergo unica nequit intellectio esse circa objecta ut plura.

3. Prob 2. ratiocinio, quod habet S. Th. loco citato ex p. p. Species expressæ se habent ut figuræ terminantes potentiam intellectivam; sed nequit idem corpus duplici simul terminari, seu figurari figura: ergo neque idem intellectus duplici simul informari specie; consequenter &c. Non enim potest intelligere plura, nisi per plures species. Maj. dilucidatur. Quemadmodum corpus terminatur figura ut ultimo termino, ita potentia intellectiva terminatur verbo, sive specie expressa tanquam ultimò termino in linea intelligibili. Min. prob. Figura est ultimus terminus quantitatis ut habes ex dictis in Logica Syntag 4. quæstione 4. in appendice post. art. 4. collocata; sed nequit idem, duos sortiri terminos ultimos, secùs illorum alter esset, & non esset ultimus: ergo &c.

§. III.

Solvuntur obversa partis argumenta.

4. ARg. 1. sensus unico potest actu plura sentire: ergo & intellectus intelligere. Conseq. est exacta à pari. Ant. perspicuum est in visu, qui unico intuetur actu album, & nigrum; Equum, & Hominem, &c. quæ disparatè omnia se habent.

Resp. omissis responsis Bannez, & Ferrariensis dist. ant. per modum unius, concedo, per modum plurium, nego ant. & conseq. Visus namque attingit album, & nigrum, Hominem, & Equum &c. sub una eademque ratione lucidi colorati, adeoque per modum unius. Et etiam diversæ species illæ talia repræsentantes objecta se habent per modum unius, etsi objecta illa disparatè se habeant in esse entis.

Contra. Quemadmodum visus omnia attingit sub ratione lucidi colorati, ita Intellectus omnia attingit sub ratione entis, vel veri: ergo si &c.

Resp. discrimen esse, quia lux, quæ est ratio formalis *sub qua* potentiæ visivæ, est in omnibus ejusdem speciei in omnium sententia. Ratio autem formalis *sub qua* ipsius Intellectus est abstractio à materia, quæ (ut in posterioristicis vidimus) multiplicatur specificè. Certum namque est, Deum habere diversam speciè abstractionem ab illa, quam obtinet creatura, & sic de aliis. Idcircò respectu visus non dantur objecta disparatè se habentia in esse attingibilis, benè verò respectu intellectus.

5. Arg. 2. & est oppugnatio ejus, quod diximus n. 3. Non repugnat, intellectivam potentiam pluribus simul informari speciebus impressis: ergo nec pluribus expressis, proindeque &c. Consequentia tenet à pari. Ant. à nemine respuitur. Et teaste idem Christi intellectus de eodem objecto habuit & infusas, & acquisitas species.

Resp. nego conseq. & par. discrimen in eo situm est, quòd impressa tametsi termini rationem obtineat, quatenus objecti loco sufficitur, quod est potentiæ terminus; non tamen termini perfecti rationem sortitur, quia vices gerit objecti. Objectum autem est, non tantùm terminus, verùm etiam intellectionis principium, adeoque non est perfectè terminus.

6. Arg. 3. ad idem. Species expressa, qua Angelus cognoscit seipsum, & expressa qua cognoscit alia à se, sunt simul in ejus intellectu: ergo &c.

Resp. quòd se habent per modum unius, quia illa qua cognoscit alia à se subordinatur, seu inferior, illi, qua cognoscit seipsum, seu superiori.

Idem dicas de specie expressa cognitionis Beatæ in Christo in ordine ad cognitionem creaturarum, cui subordinatur species expressa scientiæ infusæ, vel acquisitæ.

7. Quare autem plures formæ naturales contubernium non admittant eodem in subjecto, dictum est 1. Phys.

Reliqua argumenta soluta vide apud S. Th. loco ex p. p. citato.

QUÆSTIO QUARTA.

De Intellectione, & Verbo Mentis, nimirum specie expressa.

ARTICULUS PRIMUS.

Num intellectio sit vera actio de prædicamento actionis.

§. I.

1. DEfinitur intellectio *actus secundus intellectivæ potentiæ vitaliter percipientis objectum.* Hanc veram esse operationem habetur ex D. Th. q. 8. de ver. art. 6. ubi discrimen assignat actionem inter, & operationem, quòd actio transit in externam materiam; operatio verò manet in agente ut ejus perfectio, ut sensatio, intellectio &c. licèt vulgò actio, & operatio usurpari pro eodem consueverint.

Annuunt Jo: Gonzalez, Conimbr. & alii apud Compl. Abnuunt verò Thomistæ omnes, quos sequitur Suarez.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

2. NEgat S. Th. p. p. q. 18. art. 1. & in 1. sent. dist. 8. q. 4. art. 3. ad 3. ubi *actio*, scribis, *secundùm quòd est prædicamentum dicit aliquid fluens, & motum ab agente.* Et opusc. 47. cap. 7. ubi *intelligere*, scribit, *& sentire sunt actiones immanentes; quia dicunt actum intelligendi, vel sentiendi esse actu in intelligente, vel sentiente. Hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis.* Item 3. Phys. ubi illam solam vocat propriè actionem, quæ conjunctam habet transmutationem, & motum physicum. Idem q 8. de ver. art. 6. Et

Prob. 1. Actio quæ physicum non importat motum non perti-

pertinet ad actionis prædicamentum; sed actio importans motum physicum non est intellectio, nec ulla immanens actio: ergo intellectio, aut ulla immanens actin oon spectat ad actionis prædicamentum Prob. maj. Actio prædicamentalis infert passionem prædicamentalem, sed ubi extat passio propriè prædicamentalis, extat motus physicus, quia patiens ex vi passionis ad novum, & ulteriorem transit terminum, qui transitus fieri nequit, nisi per motum physicum, vel alterativum, vel localem &c. ergo &c. Min. verò enitescit ex dictis in exordio 3. Phys. ubi vidimus, motus definitionem convenire quidem mutationi instantaneæ physicæ, at non mutationi instantaneæ intentionali.

3. Prob. 2. Actio prædicamentalis duo essentialiter dicit, seu connotat, nimirum principium *à quo*, & effectum, quem inducit in passum, sed intellectio non connotat essentialiter effectum à se realiter distinctum productum in passo: ergo &c. Maj. ex eo elucescit, quòd actio, & passio prædicamentalis relationem fundant prædicamentalem inter agens, & patiens, quia ut constat ex dictis in Logica Syntag. 4. q. 5. inter fundamenta prædicamentalis relationis supputatur etiam actio, & passio. Min. etiam est palam, tum in visione beatifica, quæ verbum non producit; Tum in sensatione sensuum externorum, qui ut infra patescet, non habent producere verbum, seu speciem expressam.

§. III.

Adversariorum argumenta solvuntur.

4. ARg. 1. probando, motus definitionem convenire actioni etiam immanenti. Verùm id solutum lege in præloquiis tertii Physicorum.

Arg. 2. Intellectio, & quævis alia Intentionalis actio veram obtinet actionis prædicamentalis essentiam: ergo &c. Prob ant. Actio prædicamentalis est causalitas agentis, & fieri effectus, sed intellectio est causalitas agentis, & fieri effectus, nimirum Verbi: ergo &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. maj. cum motu physico, concedo, secùs nego. Lege num. 2.

Contra 1. Essentia prædicamentalis actionis constituitur per hoc, quòd sit actualitas agentis, non verò per motum physicum, cùm ab illo realiter distinguatur: ergo si intellectio &c.

Secundò. Quod est essentialiter fieri alterius, est semper cum motu physico, quia est actus imperfecti relinquens in potentia ad ulteriorem terminum, sed intellectio est essentialiter fieri termini, nempe Verbi: ergo &c. Prob. min. Si non foret essentialiter fieri indigeret fieri per aliud fieri: ergo &c.

Resp. ad 1. dist. ant. in recto, concedo, in obliquo nego ant. & conseq. Motus namque est quid essentialiter connotatum, & necessariò requisitum ad actionis prædicamentalis essentiam, quæ proinde sine illo non salvatur, licèt non sit ejus in recto constitutivum. Idcirco ejusdem essentia est causalitas agentis, non utcunque, sed cum motu physico.

Dices. Illuminatio non est cum motu physico. Item ambulatio est actio immanens; & tamen ponuntur in actionis prædicamento.

Resp. primitèr, quòd non est adeo certum, hujuscemodi actiones poni in prædicamento. Præterea non omnino sunt sine motu. Illuminatio namque est cum motu saltem præcedenti, quia supponit corporis luminosi localem motum. Item ambulatio est cum locali motu. Imò deambulatio non est actio omnino immanens, ut vidimus lib. 2. q. 1. art. 2. ad 5.

Ad 2. nego min. Solùm namque permissivè id importat, non verò positivè intellectio. Ad prob dico, quòd quando non est fieri conceptus intellecti, est saltem fieri ipsius subjecti ut intelligentis; quia intelligens *ut quod* est subjectum, quod fit intelligens *ut quod*. Undè intellectio semper est fieri *ut quo*. Unum autem *quo* non indiget alio *quo*.

5. Arg. 3. Omnis substantia ponitur in prædicamento substantiæ, omnis quantitas in prædicamento quantitatis, omnis qualitas in prædicamento qualitatis ponitur: ergo à pari omnis actio debet in prædicamento actionis poni; sed intellectio est actio: ergo &c.

Resp. nego min. subillatam. Intellectio namque, estò sit actio verè & propriè prout ly *verè & propriè* contradistinguitur à purè metaphoricè, & purè grammaticaliter; tamen non est simpliciter actio, sed potius est simpliciter operatio. Differentia autem inter actionem, & operationem, habetur ex dictis supra cum D. Th. num. 2.

6. Si autem petas ad quod prædicamentum spectet; Resp. spectare ad prædicamentum qualitatis.

Ad quamautem speciem qualitatis spectet?

Resp. cum Thomistis, non spectare, ut asseverat Suarez, ad tertiam speciem, quæ est passio, & passibilis qualitas, quia istæ sunt termini alterationis, intellectio autem non est alterationis terminus. Spectat itaque ad primam qualitatis speciem, nimirum ad speciem dispositionis, quia benè disponit intelligentem.

Nec sequitur, processus in infinitum ex eo, quod omnis qualitas indiget per aliquam produci actionem. Non, inquam, quia id verum est duntaxat de qualitate, quæ non est eminenter actio. Intellectio autem est eminenter actio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num intellectio sit qualitas distincta à specie expressa, seu verbo mentis.

§. I.

1. SPeciem expressam extare plausibilis simul, & efficax suadet ratio. Est namque necessaria species hæc expressa, seu requiritur hoc verbum mentale ab intelligente productum, quotiescunque objectum non est actu intra intelligentem cum debita proportione, ut contemplatio terminetur ad illud percipiendum in se; quia cum intelligens intelligendo trahat rem ad intra immateriali modo, si objectum sit absens, aut extra intellectum modo immateriali, non poterit intelligi, nisi trahatur intra ab intellectu cognoscente; sed ad hoc minimè sufficit, quòd sit intra per speciem impressam, quia intellectio non tendit, nec terminatur ad speciem impressam, sed potiùs ab ipsa est, ut à principio: ergo intellectus necessariò debet formare verbum ex indigentia habendi objectum intelligibile in actu secundo intra se. Verùm extat etiam Verbum ex abundantia, ad hoc nimirum, ut id, quod intelligitur aliis pandatur per internam locutionem proferendo verbum; Sicut Unus Angelus alteri loquitur. In Divinis etiam est necessarium ex infinita abundantia, & fœcunditate intellectus Patris concipientis seipsum, & omnia, quæ in ipso sunt, sicque exprimentis Verbum sibi consubstantiale.

Exploratum est, verbum hoc, sive speciem hanc expressam realiter ab impressa specie distingui, stando in creatis. Palam namque est, quod intellectus fœcundatus speciebus impressis, quæ in memoria conservantur, modò intelligit, modò verò non intelligit, adeoque verbum non format. Præterea species impressa unà cum intellectu est causa, & principium efficiens speciei expressæ.

Tres hac in re dimicant sententiæ. Prima quamcunque excludit distinctionem intellectionis à verbo. Hanc tuentur Scotus, Suarez, Vasquez, & alii.

Secunda quandam agnoscit distinctionem modalem. Hanc ex nostris tutatur Soto, Bannez, Torres, & alii.

Tertia astruit distinctionem realem entitativam rei à re. Hanc reliqui omnes propugnant Thomistæ.

§. II.

CONCLUSIO.

Intellectio, & species expressa sunt duæ qualitates inter se entitativè realiter distinctæ.

3. S. Thomæ verba lege apud Compl. & Cavinum.

Prob. 1. à priori. Via, & tendentia ad terminum realiter distinguitur ab ipso termino, sed verbum est terminus intellectionis, & intellectio se habet ut via, & tendentia ad illum: ergo &c. Maj. est conspicua, secùs posset, idem esse simul in via, & in termino. Min prob. Effectus est terminus actionis, quæ est via, & tendentia ad effectum, cùm sit fieri effectus, sed intellectio est actio,

actio, seu potiùs operatio, per quam producitur, seu exprimitur verbum: ergo &c.

Conf. Si Verbum foret realiter ipsa intellectio, sequeretur, quòd visio beatifica esset ipsa beatitudo, non solùm formalis, verùm etiam objectiva, quia esset ipsum Verbum, quod esset species expressa Dei, & ipse Deus. Nequit autem Beatitudo objectiva consistere in aliquo creato, ut videre est apud S. Th. p. 2. q. 1. art. 2.

4. Quòd verò distinguantur realiter entitativè suadetur, quoniam sunt quid completum, eò quòd directè in qualitatis prædicamento collocantur: ergo &c. Quemadmodum de relatione in Logica probavimus.

§. III.

Solvuntur argumenta Adversariorum,

5. ARg. 1. Superfluum est hoc verbum realiter ab intellectione distinctum: ergo &c. Prob. ant. Una, eademque intellectio facit quicquid faceret verbum realiter distinctum: ergo &c. Prob. ant. Verbum habet constituere intellectum in actu secundo intelligentem; sed intellectio constituit intellectum in actu secundo intelligentem, cùm sit actus secundus potentiæ intellectivæ: ergo &c. Maj. quæ aliàs est certa prob. Species impressa constituit intellectum in actu primo intelligentem: ergo expressa constituit in actu secundo intelligentem.

Resp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. cujus ad prob. dist. maj. Verbum habet per modum termini constituere intellectum in actu secundo intelligentem, concedo, per modum operationis, nego maj. & distinguo min. Intellectio constituit &c. per modum operationis, concedo, per modum termini, nego min. & conseq.

6. Arg. 2. ex Mauro. Si Verbum distingueretur realiter ab intellectione, esset objectum immediatum ejusdem intellectionis; sed hoc vanum est: ergo &c. Maj. enitescit, quia objectum est id, ad quod terminatur actus, & potentia. Min. prob. Dum intelligitur Homo, Equus, &c. intellectio habet pro objecto immediato Hominem, Equum, &c. existentem à parte rei, sicut cum videmus calorem, vel audimus sonum, &c. visio habet pro objecto immediato colores, auditio sonum: ergo &c.

Conf. Nullam in videndo producimus imaginem naturalem distinctam realiter à visione: ergo nec intelligendo &c.

Resp. primitèr, quòd esset objectum immediatum intellectionis reflexæ. Præterea habes ex dictis q. 6. quòd species expressa est ipsamet rei repræsentatæ natura in esse intentionali.

Ad Conf. patescet ex dicendis in fine hujus quæstionis, ubi ostendemus, sensus externos non producere verbum.

Dices ex eodem. Dum nos aliquod cognoscimos objectum, non experimur, nos cognoscere hoc verbum etiam in esse intentionali: ergo &c.

Resp. cum Serra, quòd licèt non experiamur, nos cognoscere verbum ut qualitas est, & ut imago objecti in actu signato; experimur tamen, nos illud cognoscere in actu exercito, quia exercitè experimur, nos cognoscere res ut abstractas à conditionibus materialibus, ac per consequens in aliquo, in quo habent esse immateriale, nimirum in verbo.

7. Arg. 3. Variis authoritatibus SS. PP. D. Anselmus in Monologio cap. 21. habet, quod *ipsa cognitio, seu cogitatio est sui imago*. Damasc. lib. 1. Fidei Ortod. dicit, *verbum esse naturalem motum, quo intellectus intelligit*. Aug. 9. de Trin. cap. 10. ait, quod *verbum nihil aliud est, quàm actualis notitia cum amore*, & alibi non infrequentar Verbum Dei vocatur ab ipso *cognitio, Ars, vel sapientia Dei*.

Resp. ex doctrina S. Th. p. p. q. 34. art. 1. ad 2. eos loqui in sensu causali, intelligendo, quòd verbum sit ipsa intellectio causaliter, quatenus per cognitionem causatur, & notitia dicitur sui imago causativè, quatenus sui causat imaginem.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Intellectio, & dictio sint duæ operationes realiter inter se distinctæ.

§. I.

1. DIctio haud aliud est, quàm actio productiva, sive expressiva, sive ipsa expressio, seu conceptio Verbi.

Dubio procul est, intellectionem sub ratione formali intellectionis non esse productivam Verbi; quia intelligere (ut etiam inquit S. Th. p. p. q. 34. art. 1. ad 3.) importat duntaxat habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in quo nulla importatur ratio originis, sed solummodo importatur informatio quædam in intellectu nostro. Dicere autem principaliter importat habitudinem ad Verbum conceptum (nihil enim aliud dicere mentaliter, quàm mentale proferre Verbum) sed mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ ipsi intelligenti manifestatur in ipso Verbo à se prolato. Ille. Qua ex re habes, quòd Verbum ad sui productionem ultra purum intelligere petit hoc, quod est dicere, ut idem exponit Angelicus q. 4. de ver. art. 2.

2. Prima sententia, quam tenet Scotus, Suarez, & Molina, affirmat, distingui realiter. Secunda, quam tenuit Ferrariensis, & Torres arbitratur, distingui formaliter modaliter. Tertia, quam reliqui propugnant Thomistæ, est nostra.

§. II.

CONCLUSIO.

Intellectio, & Dictio, non realiter, sed duntaxat virtualiter, idest sola ratione ratiocinata distinguuntur.

3. S. Th. clarè loquitur tum locis nuper citatis, tum p. p. q. 27. art. 1. & consentit Aug. 15. de Trin. cap. 10. ubi ponderans illud sapientiæ 2. *dixerunt apud se cogitantes non rectè*, inquit, *exponit* (idest Scriptura) *quid sit dixerunt apud se, cùm addidit cogitantes*. Ille. Ubi ly *dixerunt* idem est, ac cogitaverunt.

Prob. Per unicam, eandemque intellectionem intellectus constituitur in actu secundo producens Verbum; sed id, per quod constituitur in actu secundo producens Verbum est dictio: ergo dictio, & intellectio sunt una, eademque realiter actio. Prob. maj. Per unam, & eandem actionem, per quam constituitur in actu secundo intelligens intellectus, constituitur etiam in actu secundo producens Verbum, si Verbum sit producendum; sed constituitur in actu secundo intelligens per intellectionem: ergo &c. Prob. maj. Per unam, eandemque actionem per quam constituitur in actu secundo agens seu operans intellectus, constituitur etiam in actu secundo producens Verbum, si istud sit producendum; sed per actionem, per quam constituitur in actu secundo intelligens, constituitur etiam in actu secundo agens, cùm intelligere sit quoddam agere, & operari vitaliter; ergo &c. Prob. maj. Agens actione transeunti, per unam, eandemque actionem, per quam constituitur in actu secundo operans, & agens, constituitur etiam effectum extra seipsum: ergo multò magis agens actione immanenti, ceu perfectius, majori proinde unitate gaudens, &c.

Nec dicere cum Mastrio juverit, quòd intellectio est actio purè grammaticalis. Non, inquam. Siquidem nisi foret actio, alia indigeret actione, per quam produceretur; quia quicquid efficitur vel est actio, quæ est id, quo aliquid efficitur, vel est id, quod per actionem efficitur. Eò vel maximè quòd intellectio non est aliquid necessariò resultans dimanativè, ut proprietas, sed efficitur ab intellectu quando voluerit. Idcircò promiscuè hic sumuntur actio, & operatio, cùm nec dictio sit actio cum motu physico etiam per Adversarios.

4. Prob. 2. cum communi. Dictio (ut universi annuant) est actus intellectus possibilis; sed omnis actus intellectus possibilis est realiter, imò (ut Mastrii præoccupetur evasio) etiam formaliter intellectio: ergo dictio, & intellectio sunt eadem realiter, & formaliter actio. Prob. min. Omnis actus voluntatis est volitio, omnis actus potentiæ visivæ est vi-

est visio, &c. ergo à pari &c. Alias probationes lege apud Caviuum.

Nec dicere valet, discrimen esse, quia aliæ potentiæ non habent producera aliquem terminum. Non, inquam. Quandoquidem saltem voluntas terminum producit, qui dicitur poodus, & in Divinis est Spiritus Sanctus per Patris, & Filii voluntatem procedens.

§. III.

Solvantur Adversariorum argumenta.

5. ARg. 1. ex Scoto. Si intellectio, & dictio essent eadem realiter actio sequeretur, quòd omnis intellectio foret dictio: ergo intellectio &c.

Resp. dist. antecedentis sequelam omnis intellectio fœcunda foret dictio, concedo, secùs, nego. Quemadmodum Scotistæ sustinentes, quòd fruitio sit idem ac amor, dicunt, quòd fruitio est non quicunque amor, sed duntaxat amor rei præsentis, ut videbimus in Ethica q. 3. art. unico §. 2. secùs desiderii amor foret fruitio. Vid. Cav.

Contra. Ista fœcunditas est quid realiter ab intellectione distinctum: ergo si in illa consistit dictio, jam dictio est realiter ab intellectione distincta. Prob. ant. Fœcunditas est realiter ab intellectione separabilis: ergo &c. Prob. ant. Stat intellectio sine dictione ut visio beatifica, &c.

Resp. nego ant. Ad prob. dist. ant. est separabilis ab intellectione, cui convenit, nego, secùs, concedo ant. & nego conseq. Fœcunditas itaque est modus quidam, non realiter, sed duntaxat virtualiter intellectioni superadditus. Licèt autem talis modus separari queat ab intellectione, cui non convenit (in quo importatur separatio quædam poré negativa, non verò positiva) non tamen ab illa cui convenit, & cum qua realiter identificatur.

Contra. Dictio est prior intellectione; sed si fœcunditas, in qua dictio consistit, esset modus virtualiter duntaxat superadditus, dictio non foret intellectione prior: ergo &c. Min. est conspicua, cùm modus sequatur, non verò antecedat rem, cujus est modus, vel sequela reali, si est realiter superadditus, vel sequela virtuali, si est virtualiter superadditus. Maj. prob. Tum quia verbum est id, in quo intelligitur objectum; id autem, in quo objectum intelligi debet, supponitur ad intellectionem. Tum quia intellectio est unio vitalis objecti ut repræsentati in Verbo; Unio autem supponit extrema unibilia.

Conf. Dictio supponitur ad intellectionem: ergo &c.

Resp. dist maj. dictio est prior intellectione sumpta intellectione in facto esse, & ultimata, concedo, in fieri, nego maj. & distincta min. nego conseq. In fieri namque est productio Verbi, licèt non ultimetur, nisi in Verbo. Vel tùm ad instantiam, tùm ad Conf. dicatur, quod intellectio cùm importet diversa munera, contemplationis nempe, & dictionis, potest secundùm diversa munera esse prior, & posterior.

6. Arg. 2. ex Suarez. Actus habentes distinctos terminos, & modos tendendi sunt realiter distincti; sed dictio, & intellectio habent terminos, & modos tendendi distinctos: ergo &c. Prob. min. Dictio respicit Verbum, illud producendo, intellectio verò respicit objectum illud speculando: ergo &c.

Resp. quòd habent modos & terminos distinctos, tamen subordinatos per modum primarii, & secundarii; quia quod primariò intenditur est objecti contemplatio, cùm non producatur verbum, nisi ut pro perfecta contemplatione deserviat.

Contra. Etiam Deus, & proximus se habent ut objecta Charitatis per modum primarii, & secundarii; & tamen alius realiter est actus, quo amatur Deus, & alius, quo amatur proximus.

Resp. quòd Deus, & proximus sunt objecta primaria respectu actus (si verum est, quod sint actus diversi) licèt sint per modum primarii & secundarii respectu habitus charitatis. Dixi, si verum est, quod sint actus diversi; quia non video repugnantiam, quæ occurrat in hoc, quòd eodem actu Deus ametur, & proximus.

Oppugnabis. Superest assignare, quare etiam Verbum, & objectum non sint termini primarii respectu actus intellectionis.

Resp. rationem esse Tum quia actus intellectus majori pollent amplitudine, quàm actus voluntatis, quemadmodum potentia intellectiva majori gaudet extensione, quàm potentia volitiva. Tum quia ex eo, quod alius realiter sit actus, quo amatur Deus, & quo amatur proximus, non sequitur, aliquem extare voluntatis actum, qui non sit volitio; si verò dictio esset alius realiter actus ab intellectione, sequeretur, quòd actus aliquis intellectus, nimirum dictio extaret, qui non sit intellectio, ut scripsi num. 4.

7. Arg. 3. Philosophus 9. Meth. tex. 16. hanc assignat differentiam inter actionem immanentem, & actionem transeuntem, quòd in ista est aliquid operatum præter ipsam, secùs verò per illam; sed intellectio est actio immanens: ergo productio verbi non est realiter intellectio.

Resp. primitùs intendere, quòd in actione immanenti non adest positivè essentialiter quid productum præter ipsam; at solùm permissivè extat. Idcircò non omnis intellectio producit verbum, ut dictum est n. 5. Præterea intendit, non haberi quid productum extra ipsum suppositum agens, cùm negari nequeat, per actus immanentes frequentatus produci habitum.

Dices Idem Philos. 5. Meth. cap. 1. docet, quod quando per actionem producitur terminus distinctus, terminus est actione nobilior, & finis actionis; sed actio immanens nequit ordinari ad terminum ut ad finem, quia (ut idem docet Philos. 9. Meth. tex. 16.) actio immanens est ultima potentiæ operativæ perfectio: ergo &c.

Resp. Philos. in maj. loqui de actione productiva termini propter ipsum terminum; non verò de actione productiva termini propter seipsam, ut est intellectio, quæ verbum producit, ut sibi in sui objecti contemplatione deserviat.

8. Arg. 4. Una qualitas non est productiva alterius; sed intellectio, & verbum sunt de genere qualitatis: ergo productio verbi, nimirum dictio non est intellectio.

Resp. primiter, quòd etiam dictio est de genere qualitatis. Præterea ad hoc habes ex dictis art. 1. §. 3. num. 6. solutionem.

QUÆSTIO QUINTA.

De Appetitu rerum Cognoscentium.

IUxta triplicem rerum ordinem S. Th. p. p. q. 80. art. 1. percenset appetituum diversitatem, unum nimirum innatum, quem naturalem compellat, alium sensitivum, & alium moralem. Ad quamlibet namque formam (inquit S. D.) aliqua sequitur inclinatio, sicut ignis ex sua forma inclinatur in superiorem locum, & quòd generet sibi simile; grave naturaliter inclinatur ad centrum illudque appetere dicitur appetitu naturali, nimirum innato. In illis autem, in quibus extat cognitio, quia adest forma perfectiori modo, extat appetitus elicitus; in Belvis quidem sola sensitiva cognitione sensitiva dotatis, appetitus sensitivus; in Hominibus verò, qui intellectu donantur, appetitus rationalis, qui voluntas nuncupatur.

De appetitu secundo, & tertio modo, nimirum cognoscentium proprio, agemus hic, qui definitur à Stagyrita hic tex. 50. *Potentia vitalis passiva nata moveri à bono apprehenso. Dicitur potentia passiva*, quia estò non trahat objectum ad se, illud in se recipiendo, ut potentiæ faciunt cognoscitivæ; tamen trahitur & movetur quando allicitur à bono apprehenso. In hoc siquidem distinguitur potentia cognoscitiva ab appetitiva, quòd illa trahit ad se objectum, ista verò trahitur ab objecto; & sicut appetitus ut sic, & absolutè movetur ad bonum, ita appetitus cognoscentium movetur ad bonum cognitum, seu apprehensum.

ARTICULUS UNICUS.

Nam Intellectus sit Voluntate simpliciter perfectior.

§. I.

1. NOn infrequenter contingit nonnulla sese mutuò excedere in pluribus prædicatis; sicut in subjecta materia intellectus dicitur voluntate perfectior, quatenus ista sine illo, idest sine illius propositione nihil velle potest: Voluntas verò quatenus est libera, & primum movens, & applicans ad exercitium suorum actuum cum intellectum, tum reliquas potentias, dicitur intellectu perfectior: Præ-

terea nonnulli actus intellectus sunt simpliciter perfectiores aliquibus voluntatis actibus, V. G. visio Dei est simpliciter perfectior amore pecuniæ; & è contra aliqui voluntatis actus sunt simpliciter perfectiores aliquibus actibus intellectus, V. G. amor Dei est perfectior simpliciter cognitione formicæ.

Ad dignoscendum in his casibus quodnam ex duobus sese mutuò excedentibus debeat dici simpliciter, & absolutè perfectiùs regula generalis, cujus mentionem facit Arnù, sit ista.

Nobilitas simpliciter, & absolutè attendenda venit penès ea, quæ conveniant rebus essentialiter, V. G. Homo simpliciter, & absolutè est nobilior Leone, quia nobiliorem obtinet differentiam essentialem, nimirum rationale, quod est nobilius quacunque differentia irrationalium. Nobilitas verò, & excellentia secundùm quid attenditur penès ea, quæ accidentaliter, vel respectivè ad aliud conveniunt, V. G. Leo dicitur nobilior Homine secundùm fortitudinem, adeoque secundùm quid; quia fortitudo est differentia quædam accidentaliter utrique competens. Eapropter cùm nos lib. 2. probaverimus, potentias sumere speciem, idest specificari ab objecto; idcircò illa potentia erit nobilior simpliciter dicenda, quæ habet nobilius objectum formale, seu nobiliorem rationem formalem objectivam.

2. Tres percensentur opiniones. Prima tenet, intellectum, & voluntatem esse perfectionis ejusdem. Hanc tenet Aversa, contra quem facit id, quod dictum est in hoc 3. libro q. prima art. 2. §. 1. ubi vidimus, ea quæ sunt diversæ speciei non esse ejusdem perfectionis essentialis. Intellectus autem, & voluntas non modò specie, verùm etiam ordine, genere, & linea differunt, cùm intellectus sit generis, ordinis, & lineæ cognoscitivi; voluntas verò sit lineæ, generis, & ordinis appetitivi.

Secunda profitetur, voluntatem esse simpliciter intellectu perfectiorem. Hanc amplexatur Scotus suis cum gregalibus, D. Bonav. Ocham, Gabriel, Argentina, Aureolus, Alensis, & alii.

Tertia sentit, quòd intellectus sit simpliciter voluntate perfectior. Sic communiter Thomistæ, quos sequitur Durandus, Vasquez, Suarez, Ravius, Conimbr. & alii, missis illis, qui utramque probabiliter tutantur partem.

§. II.

CONCLUSIO.

Intellectus absolutè, & simpliciter est perfectior voluntate.

3. VIdendus S. Th. p. p. q. 82. art. 2. ubi hoc ex professo resolvit.

Peculiarem pariter, & efficacem hujus rationem producam in Ethica q. 1. art. 1. §. 2. num. 7. Interim cum communi

Prob. 1. Potentia, cujus formale objectum est absolutè, & simpliciter perfectius, est simpliciter absolutè perfectior; sed objectum formale intellectus est simpliciter perfectius objecto voluntatis: ergo &c. Maj. patescet ex dictis n. 1. nec potest respui ab Adversariis, qui, ut probent voluntatem esse simpliciter perfectiorem intellectu, ad majorem confugiunt objecti perfectionem, dicentes, bonum, quod est voluntatis objectum esse perfectius vero, quod est intellectus objectum, ut videbimus num. 8. Min. prob. Quò magis aliquid est abstractum abstractione formali est perfectius; sed objectum intellectus est simpliciter abstractius objecto voluntatis; ergo &c. Maj ex eo clarescit, quod quantò magis aliquid est abstractum est immaterialius, minùs habens de materialitate, proindeque minùs de imperfectione. Min. prob Objectum præscindens ab existentia est abstractius abstractione formali; sed objectum intellectus præscindit ab existentia, non sic verò objectum voluntatis: ergo &c. Min. est palam, cùm voluntas non moveatur à bono abstracto, secùs posset avarus divitiis in abstracto inspectis satiari. Maj prob. Existentia importat rei singularitatem, conditionesque individuales, ac materiales, quæ sunt hic, & nunc in rebus corporeis: ergo &c.

Respondes, duo falsa in nostra inveni probatione. Primum, quòd objectum præscindens ab existentia sit perfectius. Melior namque est quidditas cùm existentia, quàm sine existentia. Secundum, quòd voluntatis objectum sit duntaxat bonum existens. Voluntas siquidem fertur etiam ad bonum in abstracto, & in communi, imò etiam ad impossibile, saltem per actum simplicis complacentiæ. Sed

Contra. Quandoquidem primum, ultraquamquod est jam satis nostro in ratiocinio probatum, adhuc ostenditur. Quidditas licèt in esse rei sit melior cum existentia, & singularitate; non tamen in esse objecti: ergo &c. Prob. ant. De singularibus existentibus non est possibilis scientia, cùm continuæ sint mutationi obnoxia. Secundum quoque fit palam. Dato etiam, quòd voluntas posset ferri in bonum in communi, & etiam impossibile; tamen solummodo potest ferri imperfectè, & inefficaciter, at non perfectè; sed potentiæ perfectio sumenda venit ex actu illius perfectissimo, non verò ex imperfectis: ergo &c Min. est conspicua. Non enim voluntas eligit media ad bonitatem in communi, vel ad aliquid impossibile. Intellectus autem perfectissimè in ipsam fertur quidditatem, intima quæque illius penetrando. Ob idque de illa, neutiquam verò de singularibus scientiam habet.

4. Prob. 2. Potentia, quæ modo simpliciter perfectiori ad suum tendit objectum, est simpliciter perfectior, sed modus, quo intellectus ad suum fertur objectum est simpliciter perfectior modo, quo voluntas ad proprium tendit objectum: ergo &c. Maj. videtur manifesta, Tum quia modus tendendi ad objectum debet esse proportionatus potentiæ. Tum quia potentiæ specificantur ex modo, & ordine tendendi ad objectum. Min. prob. Intellectus trahit objectum ad se, voluntas verò trahitur ab objecto extra se, cùm pro voluntate non dentur species intentionales eam informantes; sed perfectius est trahere intra se, quàm trahere extra se: ergo &c. Min. est constans, quia quò magis aliquid est independens ab extrinseco, magis habet perfectionis.

Conf. Perfectius est, tendere ad objectum absolutè, quàm tendere ad illud comparativè, quia tali modo independentiam præsefert majorem; sed intellectus tendit ad objectum absolutè, voluntas verò comparativè: ergo &c. Prob min. Voluntas tendit ad objectum præcisè ut fundat rationem convenientis, & disconvenientis, ac proinde ut se habet comparativè ad alia, & non præcisè in se; intellectus verò tendit ad illud ampliori modo, & secundùm omnem rationem.

5. Prob. Demum alio ratiocinio, quod iterum indigitabitur §. sequenti num. 7. Magis habet de perfectione Animæ intellectus, quàm voluntas: ergo &c. Prob. ant. Intimior, & affinior est Animæ intellectus, quàm voluntas: ergo &c. Prob. ant. Intellectus priusquàm voluntas ab Anima dimanat: ergo &c.

6. Nihilominùs voluntas secundùm quid est intellectu perfectior, quoad ea nimirum, quæ scripsi num. 1.

§. III.

Adversantium argumentationes dissolvuntur.

7. ARg. 1. ex Scoto in 4. sent. dist. 49. q. 4. Quæ sunt priora generatione sunt imperfectiora; sed intellectus ordine generationis est voluntate prior, cùm nihil sit volitum quin præcognitum; ergo &c. Maj. est conspicua in Hominis genesi, in qua Embryonis forma, quæ prius gignitur est imperfectior.

Resp. quòd ratiocinium hoc contra Scotum invertam in Ethica q. 1. art. 1. §. 2. num. 7. Interim dist. in his quæ præcurrunt essentiam, & constitutivum rei (quo modo dispositiones antecedentes quantò Magis à forma sunt remotæ, sunt magis imperfectæ,) concedo semel essentia constituta, seu ultima essentiali forma introducta, nego maj. & data min. nego conseq. Eapropter prima passio est perfectior secunda, & secunda perfecta magis, quàm tertia. Cùm itaque intellectus Hominis essentiam immediatè consequatur, & voluntas dimanet ab Anima mediante intellectu, jam &c. Item substantia est accidente prior, & tamen est perfectior.

Nec est verum id, quod Scotus inquit, nimirum quòd intellectus ordinetur ad voluntatem tanquam ad finem. Non, inquam, sed potiùs ordinatur ad illam tanquam medium dimanativum ad dimanatum, non secùs ac prima proprietas ad secundam. Videri potest S. Th. p. p. q. 77. art. 7. ubi ordinem describit, quo potentiæ ab Anima fluunt, à qua priùs prioritate *à quo* dimanant potentiæ, quæ

sunt

sunt Animæ proximiores, mediis quibus profluunt aliæ. At quò Animæ sunt propriores, eò sunt perfectiores, quia quantò aliquid est suo principiu proximius est perfectius. Sic quod eit igni propinquius, est calidius: aqua fonti ptoprior est purior. Angeli Deo proximiores sunt excellentiores: sydera Soli proximiora sunt lucidiora. Vide dicta num. 5. & retorque arg.

8. Arg. a. retorquendo ratiocinationem à nobis num. 3. productam. Potentia, cujus objectum est simpliciter perfectius, est simpliciter perfectior; sed voluntatis objectum est simpliciter intellectus objecto perfectius; ergo &c. Prob. min. Voluntatis objectum est bonum, intellectus objectum est ens, aut verum; sed bonum est simpliciter perfectius ente, & vero: ergo &c. Prob. min. Bonum dicitur pes convertentiam cum perfecto, & perfectio entis per bonitatem explicatut; at non sic verum dicitur ad convertentiam cum perfecto, nec entis perfectio pes veritatem explicatur: ergo &c.

Resp. cum communi dist. min. est simpliciter perfectius materialiter, & in esse entis, concedo, formaliter in esse objecti, nego min. & conseq. Estò namque in esse rei objectam voluntatis majorem sortiatus perfectionem, quàm objectum intellectus, quia eorum, quæ per voluntatem attinguntur, existentiam importat; non tamen est pesfectius in esse objecti, quia, ut num. 3. scripsimus, intellectus objectum ceu magis abstractum, est immateriale magis, & simplex.

Contra. Objectum voluntatis est in esse objecti perfectius: ergo &c. Prob. ant. Est perfectius in esse boni ut ouperrimè in argumento probatum est; sed in esse boni est objectum voluotatis: ergo &c.

Conf. Illud objectum est in esse objecti perfectius, quod efficaciorem movendi vim habet; sed hoc est objectum voluntatis: ergo &c. Prob min. Bonum, & finis dicuntur ad convertentiam; sed finis habet vim movendi efficaciorem: ergo &c. Psob. min. Finis est prima omnium causa: ergo &c.

Urg. Finis est ultima sei perfectio simpliciter; sed finis rei est bonum bonitate finis: ergo bonum est objectum simpliciter perfectius alio quovis objecto.

Resp. ad inst. nego ant. Ad prob. dist. maj. est perfectius in esse boni, sumpta bonitate in esse entis, concedo, in esse objecti, nego maj. & distinguo min. in esse boni est objectum voluntatis inspecta bonitate in esse objecti, concedo, in esse entis, nego min. & conseq. Inspecta namque in esse objecti, ceu minus abstracta, proindeque minùs immaterialis, est vero imperfectior.

Ad Conf. nego min. Objectum siquidem intellectus cum habeat perfectiori, nimirum immaterialiosi modo, movere, efficaciorem quoque movendi vim obtinet. Cujus signum est, quòd bonum non movet voluntatem, nisi sit existens, verum autem movet etiam ut præcisum ab existentia. Ad prob. (ultra sesponsum Cavini) nego iterum min. cujus ad prob. dist. ant. finis est prima omnium causa in esse entis, concedo, in esse objecti, nego ant. & conseq. Siquidem, cùm ut scripsimus nam. 5. & 6. prima potentia, quæ dimanat ab Anima sit intellectus, etiam primum objectum movens debet esse objectum intellectus, Eapropter retorqueas arg. Ex quibus

Resp. ad id, quo Urg. Maj. esse veram in esse entis, at non in esse objecti. Vel dicas, quòd etiam verum suo modo est finis potentiæ intellectivæ, quemadmodum universim objectum quodcunque est finis illius potentiæ, quæ ad illud terminatur, & ab illo specificatur.

9. Arg. 3. Eandem oppugnando rationem. Ideo Intellectus asseritur simpliciter voluntate perfectior, quia ejus objectum est abstractius, & simplicius, sed inanis est ratio ista: ergo &c. Prob. min. 1. Et intellectus potest cognoscere objectum abstractivè, & intuitivè, & quò ad quidditatem, & quò ad an est sub ratione exercita existentis 2. Cognitio intuitiva, quæ est de re existenti, & præsenti est abstractiva perfectior, Thomisticis hærendo principiis 3. Deus ut conceptus cum præcisione à suis attributis est abstractior; & tamen minimè sequitur, quòd prout sic majorem præseferat perfectionem 4. Relationes Divinæ concipiuntur ut quid abstractius, cùm de sui linea non dicant existentiam; & tamen de sui linea nullam dicunt perfectionem frequentiori in Thomistarum placito.

Conf. Tum quia etiam voluntas attingit objectum in universali, ut cùm amat virtutem ut virtus est, & ulteriùs ad impossibile quoque ferri potest, ut si quis optet, Angelum esse. Tum quia tum verum, tùm bonum consequitur ad ens inquantùm ens: ergo si veritas competit enti in abstracto, etiam bonitas. Tum quia voluntas præcisiva magis videtur, & abstractivà, quàm intellectus, cùm possit voluntas attingere unum relativum suo absque correlativo; ad differentiam intellectus, qui unum non valet absque alio selativo concipere, cùm relativa *sint simul natura, & cognitione.*

Urg. Hujuscemodi præcisionis status est ens quoddam sationis (realiter namque verum, & bonum sunt idem) sed ens rationis non valet tribuere enti reali majorem perfectionem supra aliud ens reale: ergo &c.

Resp. ad arg. nego min. Ad 1. prob. primodùm dicas, quòd intellectus indirectè duntaxat attingit objectum sub exercita ratione existentis juxta dicta q. antegressa 3. art. 2. Præterea tametsi directè cognoscat, tamen hujuscemodi cognitio est illius actus minùs perfectus, minùsque principalis; potissimus verò actus ejus est cognitio quidditatis abstractæ. Perfectio autem potentiæ penès potiorem ejus actum attendenda venit, juxta dicta num. 1.

Ad 2. Resp. quòd cognitio intuitiva si sit etiam quidditativa, ut est visio beatifica, est perfectior purè abstractiva; si autem sit præcisè intuitiva, cognoscens existentiam, est imperfectior abstractiva secùs sensus externi forent intellectu præstantiores. Alia solutio indigitata fuit lib. 2. suit q 6. ad 2. inst. 2. arg. contra 5. p. Conci. Alia potest videri apud Cavinum hìc ad 5. arg.

Ad 3. & 4. nego conseq. Discrimen est, quia abstractio ab attributis, vel ab existentia non majorem in Divinis facit immaterialitatem; quia in Deo omnia sunt actus purus. Adde, quòd relationes, si non dicunt de propria linea existentiam relativam, dicunt existentiam absolutam, quæ est communis omnibus Divinis attributis, & proprietatibus Divinis.

Ad conf. Resp. quòd ad 1. primitèr habetur solutio ex dictis num. 3. Præterea Resp. quòd voluntas attingit aliquod objectum in universali, cum ordine tamen ad statum particularitatis, in quo est acquisibile, & babet rationem convenientis. Ad id, quod subditur Resp ex D. Th. p. 2. q 13. art. 3. quòd voluntas fertur ad impossibile, non ut impossibile, sed sub conditione, quòd foret possibile, vel inquantum apprehenditur in ordine ad existentiam, secùs non appeteretur.

Ad 2. Resp. primitùs, ant. esse verum in esse entis, non verò in esse objecti. Præterea cum aliis Resp. quòd veritas, & bonitas ad ens alio, & alio sequuntur modo. Bonitas namque sequitur ad ens, quatenus istud dicit ordinem ad existentiam, & fundat convenientiam. Verum autem sequitur ad ens abstractivè, & in omni statu; propterea entia mathematica, quamquam bona non sint, ut Philosophus inquit; sunt tamen vera; relatio quoque secundùm esse *ad* nec perfectionem, nec imperfectionem peculiarem dicit, juxta non paucos Thomistas; & tamen vera, & intelligibilis est. Eam ob rem si sumatus verum in communi, ut omnem comprehendit intelligibilem quidditatem est universalius bono, non transcendentali, sed ut determinatam importante rationem objecti, & finis voluntatis, quatenus ista est particularis potentia.

Ad 3. Resp. quòd voluntas potest esse præcisiva circa nonnullas duntaxat res in particulari, at non circa quidditates, & ses universales, & in communi, nec potest esse præcisiva ab existentia, sicut est præcisivus intellectus propter dicta sub num. 3.

Ad id, quo Urgetur Resp. quòd licèt sit quoddam ens rationis; tamen ab intellectu consideratur, ac si foret seale; quia intellectus attingit res per rationem abstractas, ac si forent ab illa realiter separatæ, quoniam tunc nullatenus existentiam attingit: non absimili modo, ac nonnunquam potentiæ realiter distinctæ, ut intellectus, & voluntas, &c. attingunt objecta virtualiter duntaxat distincta, ut verum, & bonum, &c.

10 Arg. 3. Potissimus voluntatis actus est simpliciter perfectior potissimo actu intellectus, sed ex dictis num. 5. & num. 9. perfectio potentiæ absolutè attendenda venit ex potissimo ejus actu: ergo &c. Prob. maj. 1. Potissimus voluntatis actus est actus charitatis, amor nimirum Dei, potissimus verò intellectus actus est cognitio Dei, sed Dei amor est simpliciter perfectior cognitione Dei, tum ju-

dice Apostolo 1. Corinth 13. *major autem horum est charitas* tum Judice D. Th. p. p. q. 18. art. 6. ad 3. dicente, quòd Angelorum Ordo, qui excedit in amore, nimirum Seraphin præeminet ordini, qui excedit in scientia, nimirum Cherubin: ergo &c. 2. Illud est melius simpliciter cujus oppositum est simpliciter pejus; sed odium Dei est simpliciter pejus quacunque ignorantia Dei, & quocunque errore circa Deum: ergo &c. 3. Amor est unitivus cum Deo magis, quàm quæcunque intuitiva cognitio, cum opponatur peccato, quod est alongatio, & aversio à Deo; sed actus quo magis est Deo unitivus est simpliciter perfectior: ergo &c. 4. Per Virtutes morales, & actus voluntatis dicimur absolutè, & simpliciter boni; at non per virtutes intellectuales, & actus intellectus: ergo &c.

Resp. interim (alias mittendo doctrinas, quæ adduci consueverunt in tract. de Charitate à Theologis, & videri potest præsertim noster Vincentius Ferre, tum aliis in materiis) dist. maj. moraliter, hoc est in esse moris, concedo, metaphysicè, nego maj. & distincta min. nego conseq. Qua distinctione universis fit satis adductis probationibus.

Primæ quidem. Amor namque Dei est cognitione Dei perfectior duntaxat moraliter, at non quò ad essentiam. Et in hoc sensu Apostolus scribit. Hac etiam ratione Seraphin præeminent ipsis Cherubin, qui, ceu excedantes in amore, sunt moraliter præstantiores. Secundæ quoque. Odium namque Dei moraliter, at non metaphysicè est ignorantia pejus. Tertiæ similiter, quia amor Dei est magis unitivus duntaxat affectivè, adeoque moraliter; qua ratione adversatur peccato, quod est moralis à Deo aversio, & elongatio. Demum ultimæ. Ideo namque per morales virtutes residentes in voluntate, & per illius virtuosos actus dicimur simpliciter boni, quia sunt simpliciter perfectiores in esse moris, at non metaphysicè.

Vel aliis sub nominibus dicas; potissimum voluntatis actum esse simpliciter perfectiorem actu potissimi Intellectus bonitate, & perfectione Theologica, quæ eadem perinde est, ac bonitas moralis, quæ ad Theologos spectat; at non bonitate philosophica, seu metaphysica, quæ ad nos hic attinet.

Dices. Ideò metaphysicè Intellectus actus est simpliciter præstantior voluntatis actu, quia attingit objectum abstractivè; sed ratio ista vel nimirum, vel nihil probat: ergo nec metaphysicè, &c. Prob. Min. Siquidem inde sequeretur, quòd Fides esset simpliciter Charitate perfectior; sed hoc adversatur Apostolo, cunctisque Theologis: ergo &c. Sequela ea eo elucescit, quòd Fides attingit Deum abstractivè, & præscindendo ab ordine ad exercitium.

Resp. nego min. Ad prob. dicas, quòd Fides est charitate perfectior metaphysicè, at non moraliter. Sicqua Theologia loquitur.

11. Arg. 4. Voluntas se habet ut potentiarum Regina, Intellectus verò, & reliquæ potentiæ se habent ut illius subditi: ergo &c. Prob ant. Voluntas obtinet dominium supra intellectus, cæterarumque potentiarum actus, ceu illa, quæ sola est libera: ergo &c.

Resp. cum communi, nego ant. Ad prob. nego ant. loquendo originativè, ad cujus prob. dist. ant. sola voluntas est potentia libera subjectivè, & formaliter, concedo, originativè, & radicaliter, nego ant. & conseq. Tota siquidem voluntatis libertas originatur ab intellectu, nimirum ex judicii indifferentia. Cujus signum est, quòd si intellectus proponat objectum undequaque, & complete bonum, ut in Beatitudine, voluntas circa illud non manet ampliùs libera, sed necessariò illud amat, Thomisticis insistendo vestigiis. Eam ob rem Intellectus potiùs se habet ut voluntatis Dominus, & veluti Rex; quia totum Reginæ hujus dominium ab ipso derivatur Rege intellectu, & ad summum subditus dici valet secundùm quid.

Adde, ea hoc duntaxat sequi, quòd voluntas sit præstantior tantummodo secundùm quid, nimirum in genere causæ efficientis, quia voluntas in movendo alias potentias se habet ut causa. Perfectio autem potentiæ simpliciter attendenda venit penes causam formalem extrinsecam, nimirum penes objectum, à quo specificatur, hoc est speciem sumit Vid. S. Th. loco relato supra num. 3.

F I N I S.